
C. Domenico Banzini B.ta



Ex libris

LUIGI FIRPO

8 . 3 . 1 .

FIRPO

1383

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO

CHRISTOPHORI FORSTNERI

In XVI. Libros Annalium, (quatenus extant)

C. CORNELII TACITI NOTÆ POLITICÆ:

Hac ultimâ editione longè, quàm antè, emendatiores.



Cum Grat. & Privil. Sacr. Cæſ. Majeſtatis.

FRANCOFURTI,

Sumptibus JOHANNIS BEYERI.

M. DC. LXII.

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO

SERENISSIMO
JOHANNI
CORNELIO
Venetiarum Principi.

P. F.

NImium erat, Sereniſſime Princeps, quòd ſuperiore anno cum Excellentiſſimo Senatu tam benignas mihi in publico aures præbuiſti. Tu verò tanquam merito gratiam habuiſti, meqveultro Equeſtri veſtro Ordini adſcripſiſti. Ego quidem quam mihi domi curta ſupellex ſit, non ignoro: ſed

* non

non oportuit me pro maxi-
mo beneficio, quia æqua-
lem non poſſem, nullam
gratiam rependere. Et hæ ad
Cornelium Tacitum notæ
politicę ad Cornelium Prin-
cipem, etiam me non mit-
tente, ultrò ibant. Præterea,
civilis prudentiæ doctor,
cum quo libentiùs, quam
cum Prudentiſſimi Senatus
Veneti ſapientiſſimo Prin-
cipe verſaretur? Denique
peſſimum Imperatorem, &
ſcelera, flagitiaque cum fa-
ctis promeret, locis oco l-
tantem, in altiſſima Europæ
ſcena,

ſcena, coram optimo Principe produxi: quo utiliſſima comparatione fœda flagitiorum facies, & ex diverſo virtutum tuarum pulcherrimus ſplendor pulcherrimum Orbi ſpectaculum repræſentarent. Vale. Patavii XII. Calend. Octobr. cIↃ. IↃ. CXXVI.

Serenitatis Tuæ

humillimus Cliens

Chriſtophorus Forſtnerus
Auſtrius.

AD
LECTOREM.

HUmaniſſime Lector, exhibemus tibi nitidiſſima Editione Viri Clariſſimi, Præſtantiſſimique Chriſtophori Forſtneri *Notas in Principem Politicorum* , CORNELIUM TACITUM, *opus eruditum & nunquam ſatis laudatum. Non opus eſt ambitiose muneri noſtro pompam addere. Ipſe hic liber totiens excuſus ſatis ſeipſum commendat. Ridere illos ſoleo, qui verborum phaleras libris ſuis præfigunt, in ipſo autem veſtibulo credulum Le-*

ctorem fruſtrantur. Hic acrem, ſubtilem, igneam Taciti amplecti licet prudentiam ſimul & mirari. Et quia magnus in Politicis artifex non niſi erecta & magna ingenia admittit, ad ejus normam hic formavit ſuam Politicam Cl. Forſtnerus, notiſque eximiis inſtruxit, ſimulque faciem hiſtoriæ accendit. Non hic de interpunctionibus literarum deliberatur. Febriculoſa res eſt iis adhærere, quæ nulli uſui ſunt. Sed quid majus quam Principem formare, atque arcana dominationis detegere? Præceptis illis devincitur totum ge-

nus humanum. Sicut ſummus ille gubernator univerſi cuncta vehit, ita cives ſuos ſapiens Princeps. Qui Principem ſalubribus monitis inſtruit, regit, flectit ipſum quoque Principem. Ingredere itaque hoc mecum Palatium, virtutes Principum oſculare, flagitia deteſtare, denique artem illam hic diſce, qua feliciter Reſp. reguntur, conſervantur. Vale, & inſtituto noſtro fave.

Ho-

Honori Laborique
Forſtneriano
S.

POliticorum Doctor TACITUS,
à nullo non Politicorum ſæpius citatus,
reconditiorem hodiè Prudentiam qui docent;
ab omnibus qui Politici eſſe amant, aſſiduè lectus
à paucis verò ſat *intellectus*,
niſi illa quæ tacet, *ſagaciter inveſtigantibus*,
Multorum quamvis magno ſtudio explicatus,
dubites tamen, an feliciorem
nactus unquam Interpretem
Feliciſſimo iſthoc FORSTNERO.
tam eruditè penetrat vetera,
tam ſcitè adplicat ad hæc noſtra,
palmã vel hoc uno ut cæteris præripiat.

Nil Magno detraham, abſit hoc! Lipſio,
Nec Scipioni quidpiam Amirato,
Gruterove & infinitis aliis;
Laus ſua quemque manet:

FORSTNERus tamen hoc uno, quod diximus, Omnes
Exſuperat, quævis pagina quod loquitur.

amori in hunc librum ſingulari teſtando

P. L. M. Q.

Erudite

Erudite HOSPES

qui hunc Librum manu teris, oculo percurris, ad TACITI *medullam accede.*
per has notas ille tibi obſcurus alioqui & implexus notior & planior fiet.
Per has ad Tiberianas technas, ut deçlines, non ut fallas, pertinges.
Ad hanc Cynoſuram tu
& in maleſida popularis auræ ſtatione,
& in dubio Principalis malaciæ ſalo,
invidiam inter & gratiam,
tutus enavigabis.
Hic denique ediſces
& alios regere pro imperio, & te ipſum pro dignitate.
Te felicem TACITE *hiſce notis.*
Te feliciorem FORSTNERE *hac* TACITI *notitia.*
præconia ſua ultro tibi commodat LOCUTIUS.
non jam TACITUS, *ſed merito* LOCUTIUS,

ut

ut
poſthac nulli ſis tacendus eri:
utque
Notæ placeant nunquam ſine
laude loquendæ.

Laurent. Pignorius

amico eruditiſſ. ponebat.

Lectori

Lectori meo Salutem.

MI Lector, hanc variæ lectionis ambitioſam tabulam non hîc ſuſpendiſſem, niſi, dum imprimitur liber, quidam de ſchola homo nullum à me bonum authorem laudatum, &, ut ipſe loquebatur, *allegatum* dixiſſet. Trajanum Boccalinum eſſe caput & caudam meæ ſcriptionis. Primum equidem non miror, Boccalinum inter bonos ſcriptores non cenſeri iis, quibus præter Avicennam & Averroem nihil bonum eſt. Deinde, quare Principum artes, regnorum arcana, aulæ genium deſcribenti Scotus, Albertus Magnus, & cætera quamvis magna, ſcholis tamen nata ingenia, teſtes producendi fuerint, nō video. Quid enim, nec Regionē, nec Eginardum, nec Abbatem Urſpergenſem, nec Othonē Friſingenſem, nec Nauclerum, nec omnes denique hiſtoricos laudavi; qvia nec omnes ad inſtitutū meum faciebant. An

verò

verò etiam Beroſus & Metaſthenes, & nugator Annius,& Turpini fabula, & ex recentioribus ille, qui Fæſularum antiquitatem aſſerturus L. Catilinam in ea urbe Miſſam Spiritus Sancti audiviſſe ſcribit, *allegandi* erant? Juſtus Lipſius in notis ad ſua politica pauciſſimos ex omni hiſtoricorum numero recenſet, quos comparandæ prudentiæ magiſtros putabat. Nunc, quanto pluribus ego doctoribus uſus ſim, ex hac tabula vide, & vale.

An-

Andreas Alciatus I. C. *in hiſtoria Mediolan.*
Ariſtoteles in polit.
Auguſtinus in lib. de Civitate Dei *& confeſſionibus.*
Ammianus Marcellinus.
Arrianus.
Achilles Tatius.
Æneas Sylvius.
A. Gellius.
Ant. Maria Gratianus.
Albericus Gentilis.
Ant. Perezius.
Andr. Maurocenus.
Antonius Contius *I.* C.
Arnoldus Clapmarius.
SS. BIBLIA.
Blondus.

C. Cæ-

C. Cæſar.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Chriſtophorus Beſoldus.
Columella.
Caßiodorus.
Coriolanus Cepio.
Carolus Sigonius.
C. CORNELIUS TACITUS.
Dio Caſſius.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Euripides.
Florus.
Frontinus.
Feſtus.
Fr. Guicciardinus.
Fr. Balduinus I. C.
Fr. Bocchus.

Ge-

Gerardus de Roo.
Georgius Phranzes Protoveſtiarius Conſtantinopolit.
Guilielmus Neubrigenſis.
Herodotus.
Heliodorus.
Helmoldus.
Hieronymus Coneſtaggius.
Iuſtinus Trogi Epitomator.
Impp. Conſtitutiones.
Iulius Paulus I. C. falsò pro Patavino habitus.
Io Barclajus.
Io. *Bodinus.*
Io. Boterus.
Io. *Baptiſta Ginus.*
Io. *Baptiſta Hadrianus.*
Io. *Baptiſta Pigna.*

Io.

Io.Cuſpinianus.
Iacobus Cujacius I.C.
Iuſtus Lipſius.
Io.Baptiſta Egnatius.
Iac. Auguſtus Thuanus.
Iulianus Goſelinus.
Leonardus Aretinus.
Lucanus.
Lactantius.
Lampridius.
Lazarus Superantius.
Laurentius Pignorius.
M.Cicero.
Marcianus I.C.
Mamercus Panegyriſta.
Martialis.
Nicetas Choniates.
Nicephorus Gregoras.

Ni-

Nicolaus Machiavellus.
Orland. Malavolta.
Ovidius.
Pomponius I.C.
Plutarchus.
Polybius.
Plinius uterque.
Philoſtratus.
Polyænus.
Pomponius Mela.
Polydorus Virgilius.
Paulus Paruta.
Paulus Æmilius.
Pandolfus Colenutius.
Paulus Iovius.
Petrus Iuſtinianus.
Petrus Matthæus.

Pau-

Paullus Manutius in deſcriptione Tranſylvaniæ.
Q. Curtius.
Saluſtius.
Seneca Philoſophus.
Seneca Tragœdius.
Suetonius.
Statius.
Spartianus.
Sozomenus.
Sextus Aurelius Victor.
Scipio Amiratus in diſp. ad Tacitum & Hiſtoria Flor.
Scipio Gentilis I. C.
T. Livius.
Thucydides.
Theophylactus Simocata.
Tryphonius I.C.

Tra-

Trajanus Boccalinus.
Thomas Dempſterus.
Thomas Campanella.
Tiberius Decianus I. C.
Vellejus Paterculus.
Valerius Maximus.
Virgilius.
Vopiſcus.
Ulpianus I. C.
Ubbo Emmius.
Xenophon.
Xiphilinus.
Zonaras.

CHRI-

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ POLITICÆ,

Ad Librum I. Annalium.

C. CORNELII TACITI.

URBEM *Romam à principio Reges habuere*] quemadmodum principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges fuit, teſtante Juſtino, (*Lib. I.*) & Salluſt. (*in Catilin.*) his verbis: igitur initiò Reges, nam in terris nomen imperii id primum fuit. Quibus Ariſtoteles adſtipulatur, *XI. Polit.* fuerat, inquit, antiqua Civitatum gubernatio paucorum & regia. Et his omnibus antiquior ſcriptura ſacra, interprete D. Auguſtino *XV. de Civitate Dei XX.* Cainum cum ſucceſſoribus, & poſt terrarum illuvionem Nembrot Reges fuiſſe aſſerit. Inde ſua Principatui antiquitas, & ex antiquitate dignitas conſtat.

Conſulatum L. *Brutus inſtituit*] Monarchia ſive legitimus Principatus, cùm in tyrañidem degenerat, corrigitur ariſtocratico, ſive optimatum imperio. Plerumq; enim qui optimates ab unius tyrannide patriam liberarunt, ipſi ſibi dominatum adſciſcunt: ut apud Trogi Epitomatorem, qui Magos ſuſtulerant ipſi ſorte de imperio certant.

Dictatura ad tempus ſumebantur.] Omnis imperii arcanum eſt, præcipuos magiſtratus temporarios facere: qua de re alibi commodior monendi locus erit. *infr. ad lib.* II. *ad verba*: *cæterum Tiberio &c.*

Qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit.] Popularis dominatus cũ ſeneſcit, in anarchiam & omnium rerum confuſionem tranſit: ejuſq; non aliud remedium eſt, quàm potens unius dominatus. Certè Roma in ea conditione erat Cæſaris & Auguſti temporibus, ut impoſſibile eſſet, recuperare libertatem. Omnia fa-

ctio-

ctionibus laborabant. Salva eſſe Roma nō poterat niſi beneficio ſervitutis. *Senec. V. de benef. XVI.* Non enim ultra ferre poterat libertatem. Tot millia hominū pugnabant, nō an ſervirent, ſed cui. *Sen. II. de benef. XX.* Quid tibi vis? M. Cato, exclamat in epiſtolis Seneca, jam non agitur de libertate: jam peſſundata eſt: quæritur, utrū Cæſar, an Pompejus poſſideat Rempublicam. Quid tibi cum iſta contentione? nullæ tuæ ſunt partes, dominus eligitur. Hoc intuitu Pōponius I.C. (*in l. II. ff. de orig. jur.*) neceſſe fuiſſe ſcribit, per unum conſuli Reipublicę: & Tacitus noſter, paulò inferius: *nō aliud diſcordantis Patriæ remedium fuiſſe, quàm ut ab uno regeretur*: & alibi (1 *hiſt.*) *pacis interfuiſſe, omnem poteſtatem ad unum transferri.* Non enim gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum: vetus diſciplina deſerta, nova inducta; in ſomnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis ad otium erat converſa civitas (*Vell. Pater II.*)

omnia virtutis præmia ambitio poſſidebat.(*Salluſt. in Catilin.*) ſuſpectum erat provincialibus Senatus populique imperium, ob certamina potentium, & avaritiam magiſtratuum; *invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur.* (Tacit. I. Annal.) *Rebus modicis facile æquitas habebatur, poſtquam ſubacto orbe, & æmulis urbibus, Regibuſq; excisis ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit: prima inter Patres plebemque certamina exarſere: modò turbulenti Tribuni, modò Conſules prævalidi; & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox è plebe infimâ C. Marius, & nobilium ſæviſſimus Lucius Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Cornelius Tacitus, II. Hiſtor.*

Multi mirantur, Romanos auſpiciis L. Bruti, ejectis Tarquiniis felici auſu libertatem adipiſci potuiſſe: M. verò Brutum occiſo Cæſare idem decus appetentem, infeliciter rem tentaſſe. Nec abſque cauſa mira videri debet iſta fati di-

diverſitas. Quippe Tarquiniorum regnum temporum vetuſtate coalitum erat, & radices egerat: Cæſaris novella poteſtas. Primis temporibus exigua Populi Romani potentia; Cæſar in maximam urbem inciderat. Libertatis bonum vetuſſimis Romanorum, uti aſſuetis regiæ dominationi incognitum; poſtremi ſe ſuoſque majores multis ſæculis in libertate vixiſſe meminerant. Quæ omnia faciliorem M. Bruto libertatis recuperationem, difficiliorem Lucio efficere debebant. Verum enim verò cùm Lucio Bruto tyrannos ejicere ſine tumultu, ſine cæde (quod in converſionibus Rerump. aut nunquam aut rarò accidere ſolet) contigerit: Marcus verò eodem ardore recuperandi libertatem à tyranno occupatam armatus nihil profecerit: diverſorum effectuum diverſas fuiſſe cauſas conſentaneum eſt. Roma primis temporibus de urbis ſuæ pomœrio propagando eoque contra finitimorum invidi-

am tuendo ſolicita, ingenti, ac prope incredibili libertatis ſtudio tenebatur: nec erat paucorum ambitio, nec partium ſtudia, quę inſequentibus temporibus invaluêre. Omnium ordinũ conſilia, cogitationes, opera deniq́; patriæ ſalutem & amplitudinẽ ſpectabant. Nondum ſolutiore mollitie ſobria vetuſtas infecta, nec ambitioſis menſis, nec flagitioſis quæſtibus inhiabat: ſed unanimanti ardore ſummi, & infimi inter ſe congruentes ad ſpecioſam pro Rep. mortem tanquam ad portum aliquem tranquillum & placidum properabant. (*Ammian.* XXXI.) Poſtea morum corruptela ab armorum perpetuo ſtudio (quod cũ libertatis æternitate pugnaſſe alibi oſtendemus) & militum enormi licentiâ orta eſt. His enim imperatores, ut promptam illorum operã contra inimicos ſuos, & interdum contra ipſam quoq́; Remp. haberent, effręnem libertatẽ permittebant. Inde reliquos quoq; ordines pervaſit malum. Qui magiſtra-

tus

tus ſibi aut ſuis petebant, donis & omni ambitu ſuffragia civium emercabantur; ipſe quoq; Senatus non jam aut publicæ rei memor, in factiones diſceſſerat, & adhærebat partiū ducibus auctoribuſque novitatum. Unde omnia confuſionis plena erant: *nihil uſquam priſci & integri moris:* (C. Tacit. 1. Annal.) nec qui virtute præſtabat; ſed quo ditior quiſq; & inſolentior, eò facilior ipſi ad honores aditus patebat. Dum ergo Roma à factionibus im̄unis libertati ſtudebat, urbisq; dignitatem, & imperii amplificationem unice ſibi propoſitam habebat; pronum fuit Lucio Bruto totū populum tàm egregii facinoris ſociū habere; & ſemel partam libertatem retinere: quod corruptâ Republicâ quæ niſi beneficio ſervitutis ſalva eſſe nō poterat, M. Bruto impoſſibile fuit. Prætereà magna diverſitas non modò inter primos Romanos, & ultimā Romuli fæcē fuit, ſed & inter illos, qui dominationē affectabāt. Tarquinii n. ſuperbia, inſo-

lentiâ, crudelitate omnium in ſe odia provocaverant. Cæſar verô militem donis, populum univerſum comitate, ſpectaculorum epulorumque magnificentiâ,& profuſâ largitione ſuum fecerat:quibus viribus fultum cùm occidiſſet Brutus, nil aliud actum eſt quàm quòd Cæſari, qui clementiâ regnum ſe ſtabiliturum putaverat, Octavius ab illo adoptatus, in eundem militum, plebiſque favorem ſucceſſit; qui cum Cæſaris exemplo didiciſſet, tyrannicas vires indulgendo,ignoſcendoque everti; ſecurius remedium exiſtimavit, uti ſæviſſimis nobiliſſimorum civium proſcriptionibus: quibus factum eſt,*ut ſeq. & domum & pacem ſuſtentaverit*:(Tacit. 1.Annal.) denique imperium tanquam rem hæreditariam, nemine contranitente,in Tiberium tranſmiſerit.

Ex quo liquet,verum eſſe quod quidam tradit, civitatem corruptis moribus viventem & à primis inſtitutis degenerantem, etſi tota tyranni familia

ex-

extinguatur, nunquam ſe in libertatem aſſerere poſſe. Quamquam autem nullum poteſt eſſe illuſtrius documentum, quàm quod modò de Romanis attulimus: ſunt tamen & alia hinc inde in hiſtoria, non veteri tantùm, ſed & recenti, quæ idem oſtendunt. Athenæ perpetuis converſionibus ſubjectæ erant: & Solon, qui Remp. optimis legibus formaverat, illam adhuc vivus Piſiſtrati tyrannide oppreſſam vidit. Nam corruptio illius populi facultatem ſubminiſtrabat omnibus, qui occupare libertatem volebant. Syracuſæ cùm breve tempus libertas affulſiſſet, in antiquam ſervitutem reciderunt. Mediolanenſes mortuo Philippo Vice Comite (*Blondus Amir in hiſt.*) & Florentini occiſo Alexandro Duce (*Ioann Baptiſta Hadrianus in hiſt.*) novis dominis in prædam conceſſerunt. Ut veriſſimè Coſmus Medices Cardinali Salviato dixerit, in tanta opum inæqualitate, morumque corruptione Florentinam

Remp.non amplius eſſe libertatis capacem; quæ optari potius quàm ſperari debeat (*Cinus l.de vita Coſmi*) Cæteræ Italiæ civitates, ex quo ſe obedientiæ Imperatorum Romanorũ ſubduxerunt fræno, quo regerentur, potenti deſtitutæ, non tanquã liberæ, ſed ut in factiones miſerè ſciſſæ, egerunt. Et Guicciardinus (*lib. XIII. hiſt.*) ob tot principatus, in quos diſtracta eſt Italia, & diverſa imperantium conſilia, quibus quiſq; ſuam potentiam augere aut tueri cupit, penè impoſſibile eſſe fatetur, pacatam eam agere. Et alius ait, nullã provinciam verè felicem eſſe, niſi unius ſive Reip. ſive Principis imperio contineatur. De Senẽſibus ſpeciatim notat Guicciardinus (*I.hiſt.*) magis nomen tenuiſſe libertatis, quàm vim ac poteſtatem. Diſtractos enim perpetuo in multas factiones, illi parti ſubjectos fuiſſe, quæ pro conditione temporum, & auxiliis innixa exterorum Principum, ſuperior eſſet. De Mutinenſibus apud Ioan. Bapt. Pignam
in

in hiſtoria Principũ Ateſtinorum (lib. IV.) atrociſſimi caſus, & ſæviſſimæ tragœdię narrãtur quas hîc enumerare nimis longũ forẹt. Friſii à Rollonis Normanni diſceſſu, cõtinuatâ libertate patriis legibus Remp. adminiſtrabant: Imperatorem Romanorum ſum̃um Principem reverebantur: ejusq; Legatum, qui diffuſis Reip. membris uno imperio legitimo colligandis concordiam ordinum tueretur, è medio ſui creabant; Poteſtatis nomine, Italorum more, ei impoſito. Pòſt conſuetudine Præfectum hunc ſupremum creandi intermiſſâ aliquoties, cum ſeorſim ſibi conſulere membra ejusdẽ Reip. inciperent, unumq́ue corpus in partes plures ſcinderetur: libertas quidẽ, in hoſtẽ externum conſenſus, cætera omnia paria: ſed vitio ferè communi im̃odicæ libertatis domi non ſemper eadem quies aut cõcordia. Nam inter familias nobiles, quę opibus & auctoritate eminebãt, æmulationes ſæpius exortæ in factiones (Vet-

cooperorum & Scringiorum, barbara & infauſta nomina) populum diſtrahebant; armaque civilia ſumpta, ac in mutuam perniciem exercita: donec tandem ad orientem Friſia, decoctâ libertate in Grethanæ familiæ (ex qua orientalis Friſiæ Comitum origo) ditionem, cæteræ partes Ultrajectinis & Monaſterienſibus Epiſcopis, Ducibusque Saxoniæ, mox Geldris, poſtremò Burgundis cederent (v. Ubb. Emm. in hiſt. Friſ.)

Donec gliſcente adulatione] tria ſunt hiſtoricæ veritatis impedimenta, inſcitia, adulatio, odium. Veritas, inquit Tacitus (I. *hiſt.*) pluribus modis infracta: primùm, inſcitiâ Reip. ut alienæ: mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes. Et hîc: Tiberii, Cajique & Claudii, ac Neronis res florentibus ipſis ob metum falſæ; poſtquam occiderant, recentibus odiis compoſitæ ſunt.

Sine ira, & ſtudio quorum cauſas procul

culhabeo] nota, hiſtorias veriſſimè ſcribere, qui non immixti geſtis, quæ ipſi ſcribunt, amoris odiique cauſas nullas habent. Mihi Galba, ait Tacitus (1. *hiſt.*) Otto, Vitellius, nec beneficio, nec injuriâ cogniti, &c.

Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis] nota obſecro, nota, quibus artibus, qui Rerump. libertatem opprimunt, utantur. Devicerat Auguſtus diverſarum partium duces; ſed & illos quorum ope inimicos oppreſſerat: uſitatâ Magiſtratuum appellatione relictâ, militem donis, populum annonâ, cunctos otii dulcedine pellexerat. Interim ſentiente, aut contradicente nemine munia Senatus, Magiſtratuum, legum, ad ſe trahebat. Ferociſſimi per acies aut proſcriptione ceciderant: Cæteri ex ſervitio honores, ex contumacia exitium ſperabant, aut timebant. Provinciæ; quæ ſuperbè & avarè habitæ erant, mutationem ſtatus amabant. Porrò Auguſtus recens imperium multiplici liberorum

& pro-

& propinquorum ſubſidio firmavit. Eadem erant veterum Magiſtratuum vocabula: & ipſe Auguſtus uſitatâ principis appellatione contentus. Juniores poſt Actiacam victoriam, etiam ſenes plerią; inter bella civiũ nati. Nullus penè reliquus, qui Rẽp. viderat. Verè Trajanus Boccalinus (1. *Ragguag.* LXXXIV.) primæ hujus paginæ Annalium Taciti præceptis à Medicis feliciſſimè curatum eſſe cancrum populi Florentini ait. Junge his quæ diximus, & compone Coſmi Medicæi acta ut à Joanne Baptiſta Hadriano, & ejuſdem nominis Cino ſcribuntur: jurabis ex Taciti ſcholâ prodiiſſe. Adverſæ factionis duces, Strozius, Valerius, cæterią; ad montem Murium capti, & deinde carnificis manu cæſi. Veteres Reip. inane ſimulacrũ in XLVIII. viris conſiſtebat. Eædẽ Magiſtratuum appellationes, quæ ſtante Rep. duodecim collegia, ſex Procuratores, octo practici, Montiũ officiales, Camerlingi & cæteri. Verùm ipſe Princeps

ceps vi ipſâ horum omnium munia ad ſe traxerat. Excubiæ, arma, cætera aulæ. Miles ex Germanis lectus in forum, miles in curiam comitabatur. Nobiles Florentini, quantò quis ſervitio promptior, opibus & honoribus augebantur. Piſæ, aliaque Florentini dominii oppida, cùm antè Magiſtratuum avaritiâ lacerarentur, & alias etiam inviti parerēt, hanc mutationē non abnuebant. Plebs Florentina, ingenito erga Nobilitatem odio, & jam ſub Alexandro, annonâ, ludis, & otii dulcedine capta ſuperiores Reip. turbas, *velut præteritam maris tempeſtatem ex ſecuro littore gratiſſimo horrore recordabatur.*

Adtuendam plebem] quicunq; dominatum appetiverunt, libertatem & plebis patrocinium cupiditatibus ſuis obtenderunt. De quo alibi dicam.

Populum annonâ] conſentit Italorum adagium, quo dicunt, panem in foro, juſtitiam in tribunali, ſecuritatem ubique, boni imperii ſigna eſſe. Coſmus

mus ſuperior Medices, cum Joannem Annibalis F. Bentivolum ad Bononienſem principatum capeſſendum dimitteret, inter cætera Reip. gerendæ præcepta tria hæc præcipua dediſſe dicitur annonæ curam ſedulò ageret: omnibus nullo diſcrimine jus diceret: ab alienis uxoribus abſtineret. (*Ioh. Bapt. Pigna VII. hiſtor. Ateſtin.*) Cæterùm quantum interſit, paſcere plebem, quamq; illi aberrent, qui ab expilatione & inopia civium Principum ſalutem dependere arbitrantur, alibi quoque tractavimus.

Qua vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur] ita aſſolet in corrupta Republica. Vis, ambitus, pecunia omnia poſſunt. Quàm vellem! non hac infirmitate Europæ noſtræ provinciæ penè omnes laborarent. Niſi me omnia fallunt, funus erunt; aut vehementiſſimâ, & ingratiſſimâ medicinâ pellenda erit tanti morbi vis.

Subſidia dominationi] numeroſa proles

les ſubſidium aulæ,ac dominationis, & munimentumRegni bonis authoribus (*Sueton. Tacit. hic & 4. & 5 hiſtor.*) dicitur: contra principis orbitas contemnitur. (*Alexander Magnus apud Q. Curt.*) Ubi enim certus ſucceſſor eſt pravæ aliorum ſpes cohibentur (*Tacit. III. Annal.*) Inde Tacitus *plenam Cæſarum domum cupitis Seiani moram attuliſſe* ait (*III.* Annal.) *Non legiones, non claſſes perinde firma imperii munimenta ſunt, quàm numerus liberorum.* (*Tacit. 4. hiſtor.*) Hinc pium juxta & prudens conſilium eo, ab iiſque ſemper Principibus uſurpatum, qui imperium recens partum firmaſſe in familia memorantur; imperium in filii natu grandioris manus conſignare, titulos & dignitates ſervare. Divus Auguſtus ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremò Tiberium privignum, in proximo ſibi faſtigio collocavit. (*Tacit. I. Annal. & I. hiſtor.*) Joannes Comnenus Alexium filium

lium ut ambitioſorum quorundã motus,& multorum ad quosdam regii generis viros concurſum reprimeret, vivus ab exercitu imperatorem ſalutari juſſit(*Nicetas Choniates* 1. *Annal.*)Hugo Capetus, ad quem à Caroli Magni familia Francium regnum tranſiit, ne in nondum firmato regno, exoreretur, tantâ mortalium cupiditate rerum novarum moles, Robertum filium ſibi cooptavit.(*Paulus Æmilius lib.* 3. *de rebus geſt. Franc.*)Coſmus Hetruriæ Dux imperium vivus filio tradidit.(*Io. Bapt. Cin.* 7. *de vita Coſmi. Thuanus lib.* 35.) Apud Perſas olim non licebat Regi in expeditionem proficiſci, niſi prius ſucceſſorem nominaſſet. (*Herodot lib.* 7.) Poſtremò eo fine plerique Principes Chriſtiani ſucceſſuros ſibi titulis quibusdam, quibus certus ſucceſſor velut digito demonſtretur, inſignire ſolent. In Imperio Germanico Romanorum Reges, in Gallia Delphini, in Britannia Walliæ principes vocantur. Olim

in

inCypriRegno primogenitus, Galileæ. (*Coriolan. Cepio, lib.* 3 *de geſtis Petri Mocenici*) & in Neapolitano regno Salerni Princeps (*Scipio Amirat, in vita Ioannæ Reg. Neap.*) appellabatur. Ut meritò Alexander Magnus reprehendatur, quod rogatus, quem imperii hæredem faceret? non nominatim aliquem dixerit, ſed digniſſimum. Quâ voce, veluti claſſicum inter amicos ceciniſſet, aut Eridos pomum immiſiſſet, ita omnes in æmulationem conſurrexerunt, et infeſtiſſimis odiis, belliſque, & inauditis parricidiorum ſceleribus, ſe mutuo proſecuti ſint. (*Iuſtinus*) Eſt tamen caſus, quo nominare ſucceſſorem exitioſum eſt: de quo vide Arnoldum Clapmarium (3, *de Arcanis Rerumpubl.* 10.)

Senem Auguſtum devinxerat adeò) plerunque ſenes juvencularum amoribus obnoxii ſunt: Auguſtus tam ſapiens, tam cordatus Princeps neglectæ ſuæ ſoboli per adoptionem inductum

præ-

prætulit. Sapientiſſimus mortalium Salomon Rex uxorum delinimentis perſuaſus veri & unici DEI noſtri cultu relicto ad fictitiorum Deorum religiones animum vertit. Suleimanus Turcæ Roxolanæ Uxoris perſuaſione inductus Muſtafam filium ſtrangulari præcepit. Alia infinita, ne ſimilitudo ſatietatem pariat, prudens prætereo.

Abolenda magis infamia] ſæpè Principes bellis feſſi pacem quidem tacitè ſuſpirant, cæterùm eam ab hoſte petere neutra pars ex dignitate ſua eſſe putat. Quo caſu apta ratio eſt, alium præbere ſe medium, qui monendo, rogando, denique quovis modo tanquam invitos ad ea cogat, quæ potiſſimùm uterque cupit. Ita neuter indecore pactus videbitur. Anno Chriſti M.D.XXXVII. Leonora Franciæ, & Maria Hungariæ Regina ſorores germanæ inter Carolum Quintum Cæſarem, & Franciſcum Galliæ Regem octo menſium inducias pepigerunt. (*Hadrian.* II. *hiſtor.*) Anno

no M.D.xxxxiv.Ferdinandus Rex iiſdem Principibus medium ſe interpoſuit. Anno M.D.xcviii. Clemens octavus Pontifex inter Philippum Hiſpaniarum,&Henricum Gallorum Reges pacis proxeneta fuit. (*Petrus Matth. 1.hiſtor.*)Et olim Turcarum imperatorem veritum, ne ob amiſſam Eubœam Chriſtiani Principes communibus viribus in ſe irent, interventu novercæ, Chriſtianis ſacris addictæ, cum Venetis pacem tentaſſe accepimus. (*Coriolanus Cepio lib. 1. de geſt. Petri Mocenici.*) Denique cum ſuperioribus annis inter Paulum V.Papam & Remp. Venetam exortæ diſcordiæ eſſent, Cæſar, Galliæ, & Hiſpaniæ Reges variis cautionibus, quibus utriuſque ſervaretur authoritas, pacem firmarunt: quæ res noviſſimè ſumma & fide & prudentia deſcripta eſt à Petro Sarpo (cujus verum nomen eſt.Paulus ex ordine monachorum Servorum.)

Eadem Magiſtratuum vocabula] quādo

do Rerump. formæ convertuntur, & vel in Optimates populum vel transferre ſummam poteſtatem tyrannis cogit: vel, ne collidat optimates ambitio, ne unam gentem factiones dividant, in Regem confertur purpura, ſolium, ſceptrum; quia id ſine legum & conſuetudinum mutatione fieri nequit: umbra ſaltem relinquenda eſt, & ſimulacrum ejus, quod adimitur. Jus imperii valeat; inania tranſmittantur. Ita poſt exactos Româ Reges, quia quædam ſacra per ipſos Reges factitata erant, nec ubi Regum deſiderium eſſet Regem Sacrificulum Romani creaverunt. (*Livius* 2.) iterum cùm ad unum Reſp. perveniſſet, levibus adhuc & tenuibus regiæ poteſtatis munimentis, Auguſtus eadem magiſtratuum vocabula reliquit quidem: at ipſe munia Senatus, magiſtratuū, legum in ſe tranſtulit nullo adverſante. Titulorum inania contempſit; uſitatâ Principis appellatione contentus. Romani, Latini nominis populis ſub fœde-

fœderis nomine dominati ſunt. Et ſimili fraude prætexto fœderis & protectionis titulo olim magnam Friſiæ partem Groningani ſub imperium ſuum redegerunt. (*Vbo Emmius* 31. & 32. *hiſtor. Friſ.*) C. Cæſar (*Dio Caſſius lib.* 43.) Tiberius (*Tacit.* 1. *Annal.*) & Nero (*Suetonius in Nerone cap.* 17. *Tacitus* 14. *Annal.*) Senatum privatarum cauſarum judiciis occuparunt; quò ipſi tutiùs & liberiùs dominatu fruerentur. Carolus Martellus, cùm Franciæ regnum non affectaret modò, ſed revera teneret quoque: regios titulos averſatus eſt, Princeps Nobilitatis appellari contentus. Qua arte Pipino filio Regnum obtinuit. (*P. Æmil. lib.* 1. *in fine.*) Ulricus Grethanus, primus orientalis Friſiæ Comes, cùm eam dignitatem ab Imperatore Frederico III. inſcio Friſiorum populo accepiſſet; nec diploma in lucem producere, aut profiteri novũ honorem apud ferocem & libertatis retinentiſſimũ populũ auderet:

ret:

ret: tompori rem in præſens invidiæ futuram reſervavit. A priori vivendi inſtituto minimè receſſit; comis benignus, placidus: non domini, ſed Rectoris Friſiæ orientalis nomen præferre, Comitis titulum prorſus diſſimulare, Generoſi appellationem interdum admittere, interdum ne hanc quidem poſcere: denique talem ſe comparare, ut auctoritate potius quàm imperio regere, ſæpiusque litium arbiter quàm judex eſſe videretur. Quibus artibus factum, ut admirabili ſtudio & ipſum & poſteros populus ſemper proſecutus fuerit. (*Vbbo Emmius 24. hiſtoria Friſia.*) Carolus Quintus Imperator Florentinæ Reip. formâ immutatâ, ſpecioſo ac plauſibili libertatis nomine relicto, eandem unius imperio ſubjecit. (*Ioannes Bapt. Hadrian. l. hiſto Ioannes Bapt. Cinus lib. 1. de vita Coſmi Maurocenus lib. 4. hiſtor. Venet.*) Ut mirer ego quid in mentem venerit Florentino illi, in diſputationibus ſcribenti, in conver-

verſionibus regni in popularem vel Optimatum ſtatum, relinquendam eſſe priſtinæ formæ aliquam ſpeciem; verum quando à populo vel optimatibus ad unum transfertur rei ſumma, omnia ita im̃utanda eſſe ut priſtini ſtatus, neq; veſtigium ultrà extet. Certum quidem eſt, effectu Remp. omnino mutari, & quæ antè ſenatui, vel populo competebant, arbitrii Principis fieri; qui in Republica potentes' fuerant, premi aut extingui; denique, quod Critias apud Xenophontem(*II. hiſtor. græc.*)ait, nullas Rerump. mutationes ſine hominum cæde contingere: inde tamen non conſequitur, umbram ſaltem prioris ſtatus conſervandam non eſſe: quod vel unius Auguſti actis comprobatur. Suſtulerat ille proſcriptione crudeliſſimâ, quoſcunque conatibus ſuis obnitentes deprehenderat: munia legum, Magiſtratuum ad ſe traxerat: denique unus omnia poterat.

Omnia Cæſar erat.--

Et nihilomninus prioris Reipublicæ, libertatis ſpeciem aliquam reliquerat. Sed de hoc ſuprà quoque diximus.

Bona libertatis] cujus non ultra capax erat Roma:

Plures] boni ſcilicet & qui tuta & præſentia quàm vetera & periculoſa malebant.

Alii cupere] quibus nimirùm in turbatis rebus unica ſpes.

Scelus Vxoris ſuſpectabant] ſemper enim de morte Principum atrocia quæque finguntur, cædes, venena, alia; vel amore in defunctum, vel odio in ſuſpectos.

Vxori Martiæ aperuiſſe] Miniſtrorum & rebus Principis ſui ſanctiſſimum eſſe debet, & oblivioni ſimillimum ſilentium. Plurimos ſecretorum profanatio perdidit. Exemplo eſt Fabius Maximus, de quo hic Tacitus, & Plutarch. in lib. περὶ ἀδολεσχίας. Granio Marcello inevitabile crimen fuit, *fœdiſſima quæque ex moribus Tiberii ſparſiſſe.* (*Tacit hoc libro*)

Coſ-

mus primus, Hetruriæ Dux, Sforzam Almenum Peruſinum ferventiſſimâ apud ſe gratiâ, quòd de ſecretis ſuis amoribus imprudenter quædam vulgaſſet, ſuâ manu occidit. (*Ioannes Bapt. Cinus lib. 8. de vita Coſmi.*) Plus eſt, quòd neceſſitate interdum adigi videntur Principes, ut ſecretorum ſuorum arbitros, quamquam fidiſſimos, & in nullo peccantes violare cogantur. Quod quidem à proditione parum abeſſe videtur. Alaimus ex Siciliæ Proceribus, cùm contra Petrum Aragonium Carolum Regem arcanis literis evocaſſet; comperto literas illas in Petri manus perveniſſe, Garſiam Nicoſium ſibi à ſecretis, qui illas ſcripſerat, ne vel præmiorum ſpe, vel tormentorum metu rem proderet, occidit, projecto capite in mare & reliquo trunco in arcano domus ſuę ſepulto. Ut proinde neſcio quis à Lyſimacho Rege gratiam petere juſſus ſapientiſſimè mihi precatus videatur, ne ſecretorum ſuorum quicquam ſibi communicaret.

Lætique interdum nuntii vulgabantur, donec proviſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum,& rerum potiri Neronem fama eadem tulit.] velociſſima eſt de Principum morte fama: quam etiam ſæpe ante mortem vulgatam eſſe notavimus. Credimus (*inquit Ammianus* 18.) neque enim dubium eſt, per aërios tramites famam præpetem volare. Antequam Maximus tyrannus occiſus eſſet in Gallia, Romæ in circo Maximo populus incertùm ratione quadam percitus an præſagio, Sylvanus devictus eſt, magnis vocibus exclamavit. (*Ammian. Marcellin.* 15. *hiſt.*) Menſe Aug. anni Chriſti. MDXCVIII. Hiſpaniæ Regis mors in Gallia nuntiata, demum Septembri menſe inſecuta eſt. Elizabetha Angliæ Regina, quo primum die decubuit, in Gallia mortua dicta fuit. (*Petrus Matth.* 6. *hiſtor.*) Denique exceſſum D. Matthiæ Imperatoris, quo ego tempore Viennæ Auſtriæ fui, in ipſa urbe aliquot antè horis, quàm

quàm is contigit, vulgari memini. Ne igitur interregni tempore res turbentur, illi qui ſecretorum regiorum arbitri ſunt, mortem Principis celare debent, atque ſupprimere, uſque dum neceſſariis omnibus proviſit, de certo ſucceſſore ſit tranſactum. Agrippina in morte Claudii Cæſaris cunctos aditus cuſtodiis clauſit; crebroque vulgavit, ire in melius valetudinem Principis: quò miles bona in ſpe ageret: (*Tacit.* 12. *Annal.*) Valentiniano Cæſaro mortuo, Merobaudes, ne Gallici milites ad ſeditionem prolaberentur, preſſo Principis exceſſu Sebaſtianum militari favore ſublatum, & eò maximè tunc cavendum, longius amandavit: & ocius Valentinianum Valentiniani F. quadrimum lecticæ impoſitum in caſtra adductum, ſexto poſt Parentis obitum die, Auguſtum ſolemni more nuncupavit. (*Ammian. Marcell. lib.* 30.) Suleimano Turcarum Imperatore in caſtris ad Zigetum mortuo, Muhametes

purpuratus, ne res vulgaretur, Medico occultè necato, tam diu rem ſecretam habuit, donec Filius Selymus Conſtantinopolim advolans, in ſede imperii paterni conſideret. (*Ant. Maria Gratian.* I. *de bell. Cypr. Annal. Hungar.*) Chriſtiani Oldenburgici Comitis in urbe ſua à Saxonibus obſeſſi mors ſicut ipſe æger præceperat, miro ſtudio celata tantiſper eſt, donec hoſtiles copiæ, moræ tædio, quod futurum ipſe proſpexerat, dilaberentur. (*Vbbo Emmius* 7. *hiſtor. Friſia.*) Denique hoc modo Molucri Scirifii, Maurorum Regis in prælio contra Sebaſtianum Luſitaniæ Regem expirantis, (*Hieron. Comeſtagg.* II. *de Conjunct. Portug. cum regno Caſtiliæ*) Amurathis Turcarum Imperatoris, & Caroli Mansfeldii ad Strigonium defuncti mors per aliquot dies latuerit.

Primum facinus novi principatus fuit, Poſthumi Agrippæ cædes:] tyrannicæ Politicæ neceſſaria lex eſt, tollere omnes,

mnes, qui meliori jure in occupato regno nituntur: quâ de re paulò inferius dicam. Debuit igitur Tiberius, qui fraude, & novercalibus artibus procuratâ adoptione in familiam Auguſti irrepſerat, univerſum Auguſti ſanguinem cædibus & venenis perſequi.

Neque imperaſſe ſe] qui aularum flagitiis, & principum ſceleribus inſtrumenta ſe præbent, nec ipſis, quibus infandum addixere miniſterium, grati ſunt. *Graviorum facinorum miniſtri, quaſi exprobantes adſpici ſolent.* (*Tacit.* 14. *Annal.*) Ita Anicetus, qui cædem Agrippinæ juſſu Neronis patraverat. Levi poſt admiſſum ſcelus gratiâ, dein graviore odio fuit. (*Tacit.* 4. *Annal.*) Inde turbæ ex rapinis & expilationibus miniſtrorum ortæ nulla ratione expeditius componi poſſunt, quam ſi iſtorum artifices ſcelerum, velut publicæ victimæ cæſi meritiſſimos afficiantur ſupplicio, & in horum locum alii, accepti populo incorru-

ptiſque moribus ſubſtituantur. Ferè enim fit, ut vix unquam Princeps, ſæpius miniſtri & amici incuſentur: & læſi cives more canum, lapidem, non jacientis manum mordeant. Et hoc commune bonorum, malorumque Principum remedium eſt. Nam & illi quæ ſe inſciis ab improbis geſta ſunt, cæde ſontium expiant, & hi ſua peccata, alienum crimen, alienam invidiam faciunt. Commodus Imperator ſeditionem plebis Cleandri peſſimi hominis ſupplicio compeſcuit. (Dion. lib. LXXIJ.) Cæſar Borgias crudeliſſimus hominum, ut ſævitiæ famam à ſe averteret, Remirum Orcum, quo præcipuo tyrannidis inſtrumento uſus fuerat, capite plecti juſſit. Tiberius ſævitiæ ſuæ miniſtros, *ut perverti ab aliis nolebat, ita plerunq; ſatiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraves afflixit.* (*Tacit. 4. Annal.*) Contrà imprudenter Valentinianus Cæſar gregariorum etiam levia puniebat errata, præfectorum

ctorum verò flagitia progredi ſinebat in majus; & ad querelas in eos motas, plerunque obſurdeſcebat. Inde in Britannis ſeditiones, in Africa clades, & in Illyrico vaſtitates emerſerunt. (*vide Ammianum Màrcellinum lib.29. & 30.*

Ne arcana domus] omnia imperia, ſua, quibus innituntur, fundamenta habent: certas, inquam, conditiones, & ad illas accommodatas leges regulasque, quarum obſervatione illorum ſtat ſalus: quas ideò arcanas vocamus, & nemini notas eſſe convenit, niſi ipſis Principibus, & qui ſecreti Senatus pars ſunt. Auguſtus, teſte Tacito, & Suetonio, Tiberio imperii breviarium reliquit. Sanctiſſimus Hebræorum Rex Davidis filium Salomonem ſibi ſucceſſurum de iis, quæ ad regni ſalutem maximè pertinere viſa ſunt, monuit. Denique Carolus Quintus Imperator filio Philippo II. & hic Philippo III. ſecreta imperii adminiſtrandi mandata, dederunt. Hæc arcana non eſſe vulganda,

ſapienter hîc monet Criſpus. Imperia regnaque famâ ſtant:nec è re eſt, hoſtes aut dubios amicos ſcire, quæ noſtræ vires, quæ debilitas, quæ conſilia ſint. Cleomenes Spartanus, ut aſſerit Plutarchus in illius vita, quod Ægyptii regni arcana perdidiciſſet, in illo regno juſſu regiorum miniſtrorum occiſus eſt. Apud Venetos nullum majus piaculum eſt, quam nimia cum Senatoribus, & his, qui Senatui à ſecretis ſunt,familiaritas. Nolunt enim illi, (& ſapientiſſimò ſanè conſilio)ab externis ſuæ Reip.ſecreta explorari.Malunt haberi ruſtici, inhumani, contemptores, quàm Reipublicæ ſuæ arcana vulgari.

Neve vim Principatus reſolveret,cuncta ad Senatum vocando.] Ea imperandi conditio eſt, ut non aliter ratîo conſtet, quàm ſi præter Principem nulli reddatur.(*Tacitus hic*)Lex & Princeps, qui animata lex eſt,jubeant,non diſputent. Juſſa, velut ex abdito cœlorum fulmina, vereantur omnes: nec unde

aut quare veniant, curioſâ, nec profuturâ indagatione inquirant. Perit ſua principi Majeſtas, reſolvitur Principatus vis, ſi factorum rationem reddere cogatur.

Cuncta per conſules incipiebat, tanquam vetere Republ.] De ſimulacris rerumpublicarum dixi quædam ſupra ad verba: *Eadem Magiſtratuum vocabula* &c.

Ex formidine, ne Germanicus &c.] meritò Tiberio formidandus erat Germanicus. 1. quòd verus ſanguis Auguſti erat: ipſe contrà per uxorium ambitum, & ſenili adoptione irrepſerat. 2. quòd in ejus manu tot legiones, im̃enſa ſociorum auxilia. 3. quòd mirus ejus apud populum favor. Omnia non ſine ratione Tiberio ſuſpectanda. Nam nec ſecurus eſſe poteſt Princeps, maximè qui vi fraudeve occupavit alienũ imperium, ſuperſtite priorum regum progenie: & in illorum qui armorum potentes ſunt, manu eſt, ut regnet Princeps,

ut porcat. Illi vim imperii, illi nervos poteſtatis cùm tenere ſe cernunt, vix pares erunt ſtimulis, ſollicitantibus integritatem ſuam, & quantum poſſit, ſi audere velint, ſuperbè monentibus. Mens potentiæ conſcia, & regii faſtigii dulcedinem delibans, adulantium vota, cinctum fortibus viris latus ad quid non impellent? Denique populi favor indignatione replet Principem, æmulum ferre neſcientem: indeque multis exitio fuit incautus populi amor.

O funeſtus multis populi
dirusque favor!

exclamat Seneca (*in Octavia*:) & Tacitus (*3. Annal.*) breves, inquit, & infauſti Populi Romani amores. Exemplum, præter infinita, quæ profana hiſtoria ſuppeditat, quæque alibi recitamus, extat in S. Scripturis, de Davide, quem, ex quo populo gratus eſſe cœpit, *Saules Rex perpetuo odio proſecutus eſt. Poſuit eum Saul, inquit Sanctus Spiritus, ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis univerſi*

verſi populi, maximèque in conſpectu famulorum Saul. & paulò poſt ſubjungit: *non rectis ergo oculis Saul reſpiciebat David à die illa, & deinceps.*

Teſtamentum illatum] alii conſilio inſtitit Agrippina Neronis mater, quæ Claudii teſtamentum recitari non permiſit: *ne antepoſitus filio privignus injuria & invidia animos vulgi turbaret.* (*Tacit.* 12. *Annal.*) Sed credo ſanum fuiſſe utrumque conſilium. Verebatur Agrippina invidiam Populi, cui Nero primâ juventâ par non erat. Tiberius judicium Auguſti meritus videbatur; & tantis rebus exercitus, maturâque prudentiâ inanes rumores timere non poterat.

Iactantiâ gloriâque ad poſteros] mihi ſanè hoc Auguſti conſilium minimè probatur; vanæ cujusdam gloriæ deſiderio ſucceſſorum ſalutem periculo expoſuiſſe. Fallitur qui hoc beneficio conciliare ſibi ſuiſque adverſarum partium primores voluiſſe ſcribit, neque

inanis

inanis iſta ſubſtitutio tertio gradu facta unquam exitum habitura videbatur, cùm Auguſti domus tot munimentis inſiſteret. Et è contrario ſcriptos tertio gradu ad improbas ſpes concipiendas, & Auguſti hæredes primo ſecundoqve loco ſcriptos tollendos movere poterat. Ambitioni omnis feneſtra claudēda. *Primæ dominandi ſpes in arduo ſunt; ubi fueris ingreſſus, adſunt ſtudia & miniſtri* Jactantia verò & gloria ad poſteros, quæ cauſa à Tacito affertur non movere ſola debebat Auguſtum, ut anceps, & vel ad ſalutem vel exitium ambiguum uſurparet conſilium.

Ea ſola ſpecies adulationis ſupererat] quæ ſcilicet libertatem præ ſe ferebat, cùm re ipſa adulatio eſſet. Cujus exemplum extat infrà lib. 3. annal. ubi cum Tiberius L. Ennium ob frivolam cauſam majeſtatis poſtulatum inter reos recipi nollet, Atejus Capito, quaſi per libertatem, non debere patribus eripi vim ſtatuendi ajebat, neq; tantum malefi-

leficium impunè habendum. Sanè lentus eſſet Imperator in ſuo dolore, Reip. injurias ne largiretur.

Libertatis improſperè repetitæ] vide ſuprà ad verb. *Cuncta diſcordiis civilibus feſſa*, &c.

Cum occiſus Cæſar aliis peſſimum, aliis pulcherrimum facinus videretur] etiam noſtri ævi homines de cæde Cæſaris variè judicant; & de juſtitiâ, vel iniquitate tyrannicidiorum variè diſputant. Sed in iſto controverſiarum genere temerarium eſt, ſed & intutum pronunciare. Interim ſecuriſſima eſt noſtri Taciti ſententia; bonos Principes optandos: qvalescunq;, non aliter ac ſterilitatem, hyemem, cæteraqve naturæ mala tolerandos. Etiam magnum contra percuſſores tyrannorum, aut qvorumcunq; Principum, pręjudicium eſt occultum Dei judicium. Miramur ſæpè, & cum horrore occulto intuemur Dei Opt. Max. juſtitiã, Principum, hoc eſt, vicariorum ſuorum injurias

jurias cædeſq; ſeveriſſimè vindicantem. Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ talium exemplorum. Sed ego maximè eminentia adducam. Percuſſorum Cæſaris neque triennio quiſquam amplius ſupervixit, neque ſuâ morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu perierunt pars naufragio, pars prœlio: nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt. (*Sueton. in Iul. cap. ult.*) Rudolphus Sueviæ Dux, cùm contra Henricum IV. Imperatorem, dominum ſuum conſpiraſſet, in prœlio dextram, quâ illi fidei jusjurandum præſtiterat, amiſit: ex eoq; vulnere mortuus eſt. (*Helmoldus in Chronico Slavor. lib.* I. c. XXVIII.) In actis poſteriorum Imperatorum Conſtantinoplitanorum evidentiſſima divinæ Nemeſis indicia cernuntur: quæ huc adſcribere nimis longum eſſet. Adolpho Naſſovio, in prœlio ad Spiram cœſo, quotquot vel ſocii fuerant fœderis contra eum initi, vel fœderatis auxilia

xilia tulerant, pœnas dederunt. Comes de Hagerloch occiſus: Otto de Ochſenſtein ſubmerſus aquis: Epiſcopus Moguntinus in ſellâ ſedens apoplexiâ extinctus: Epiſcopi Argentinenſis latus gladiô famulus hauſit; Comes de Leiningen phrenitide correptus: & Albertus Auſtriacus, qui ipſi ſucceſſit à fratris filio Ioanne trucidatus eſt: qui tamen & ipſe cum conjuratis ultionem divinam ſenſit. Nam Walterus de Eſcembach totâ vitâ paſtorẽ agens poſt triginta annos miſerè moriturus nomen ſuum manifeſtavit. Rodolphus de Wart equi caudæ alligatur, & fractis rota membris necatus eſt. Ioannes profugus per ſylvas & ferarum latibula Piſis tandem perpetuo carceri mancipatus eſt: Ulricus de Palm Baſileæ latitans, in domo, quæ vocatur Converſarum, miſerè obiit. (*Cuſpinianus in Adulpho & Alberto*) De exercitu illo ingenti, qui deſerto Mauritio ad Phocam tyrannum deſcivit, adeoque miſerrimæ
necis

necis Mauritio cauſa fuit;alii in conflictu,alii ultricibus fulminum ignibus,alii fame & egeſtate, alii deniqve gladio periere.Auget miraculum, qvòd cùm Heraclius, qvi Phocam proximè ſecutus eſt,copiarum numerum iniiſſet,duos omnino ex tanta multitudine, qvæ dominum prodiderat,ſuperſtites invenit. (*Theophilactus* Simocata 8. *hiſtoriarum*) Gabriel Comes Mongomerius cũ Henricum II. Galliç Regem in eqveſtri certamine imprudens lethali vulnere, læſiſſet, poſt qvindecim annos, revera nullo alio crimine nocens, ſecuri percuſſus eſt. (*Thuanus*) qvo inſigni exemplo omnes diſcant, ſolo caſu non conſilio tantùm nocentes effici, qvicunqve vel imprudentes perniciem principibus attulerint.

Quod idem dies accepti quondam imperii princeps, & vitæ ſupremus; quod Nolæ in domo & cubiculo, in quo pater ejus O*ctavius, vitam finiviſſet.*] Sunt qvi certos ſtatosqve dies ſibi ſuisqve felices, aut

aut inſauſtos eſſe, ſive verâ ſive ſuperſtitioſâ obſervatione notarunt. Turcæ totum menſem Auguſtum conatibus ſuis felicem eſſe, autumant. Illo Magnus Iſmael in Calderanis campis, & Campſo Gaurus Memphiticus Rex ad Singam devicti, & Metone in Peloponneſo à Bajazete in poteſtatem redacta, Zigetum captum eſt; &, qvod majorem facit mirationem, IV. Cal. Septemb. qvi vulgo eſt viceſimus nonus Auguſti, & Rhodus & Buda, & Belgradum expugnata & Ludovicus Rex ad Mohazium cæſus eſt. (*Thuanus lib. 37.*) An. Chriſti MD.LXVII. Gotha, & in ea Ioannes Fridericus Saxo, die qvâ Miſericordias Domini vocat Eccleſia, captus eſt: qva die ac penè horâ antè viginti annos Ioannes Fridericus Septemvir, ejus parens apud Mulbergam à Carolo V. acie victus atq; captus eſt. Cæterùm, ut tēporibus, ita perſonis qvoq;, certa omnia ineſſe creditur. Indeq; notatum eſt, regna, & imperia plerumqve vel concidiſſe,

diſſe, vel ſaltem inſignem ſubiiſſe mutationem, ſub principibus cognominibus primis imperii auctoribus. Perſarum regnum ſub Dario & Cyro cœptum, altero Dario imperante, corruit. Idem accidit in Macedonico regno; cujus prima incrementa fuerunt ſub Philippo Alex. finis Philippo Perſei patre. Libera Roma facta eſt, auctore L. Bruto; in dominationem recidit, temporibus M. Bruti. Conſtant. Magnus imperii Bizantini fundator fuit: quod everſum atque ad Turcas translatum eſt, imperante Conſtantino ex familia Palæologorum; & horum uterque matrem habuit, Helenam nomine. Balduinus primus ex Latinis eripuit Conſtantinop. imperium Græcis; Græci ab altero Balduino id receperunt. Primus Veteris Romæ poſt everſam libertatem Dominus Octavius Auguſtus fuit: ultimus Auguſtulus, cui imperium extorſit Odoacer Herulus Ezelini Patavinorum tyranni condita ab Alberi-
rico

rico gens in eodem nomine deſiit. Urbano II. Pontifice Maximo Hieroſolyma recepta à paganis, Urbano III. reciderunt in ſervitutem. Heraclius Cæſar de Coſdroe Perſisq; Sanctam Crucem recuperavit; Heraclio Patriarcha rurſus amiſſa eſt. Primo Luſitaniæ Comiti nomen fuit Henricus: Ultimo Rege Henrico defuncto, ad Hiſpanos illud regnum tranſiit. Hæc quid ſunt, qvam,

Sydus, & occulti miranda potentia
fati?

Ad arma civilia actum, quæ neque parari poſſunt, neque haberi per bonas artes.] Qvemadmodum caloris vi non modo ſicca, verùm etiam quæ in propinqvo ſunt, humida, abſumuntur, ita bella, etiam quæ juſtâ cauſâ ſuſcipiuntur, nefanda quæque opera, cædes, ſtupra, ſacrilegia ſecum trahunt. Nemo Martem ita in poteſtate habet, ut nuſqvam exorbitet. Nulla ducis prudentia, nulla induſtria, nulla ſeveritas tanta unqvam fuit; qvæ hoc potuerit efficere,

ut

ut quod natura noxium eſt, fieret innoxium. Vbi tãtum armorum (*Verba Theodori Gothorum Regis ſunt apud Æmilium lib.* 1.*de reb. Franc.*) corporumque ſub ſignis ſtabit, quis cruori legem dabit, unde, & quantus fluat? Ad iſta facinora qui ſpontè provolat, nullam illorum poteſt à juſto DEO ſperare veniam: nec qui neceſſitate trahitur excuſatur, ſi non animum habet, bellum pace commutandi, ubi prima fuerit occaſio: in civilibus maximè armis, quæ, ut noſter Tacitus ait, *neque parari poſſunt, neque haberi per bonas artes. In Pace cauſa & merita ſpectantur; ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii juxtà cadunt.*

Non aliud diſcordantis Patriæ &c.] Dixi ſupra ad verba, *cuncta diſcordiis civilibus feſſa* &c.

Principis nomine] vide ſupra ad verba, *eadem Magiſtratuum vocabula* &c.

Pauca admodum vi tractata, quo cæteris quies eſſet.] hæc nos paulò poſt explicabimus.

Vita

Vita ejus variè extollebatur &c.] de vivo Principe vix unquam vera dici ſcribive poſſunt. Virorum enim, ſicut Vellejus ait, ut magna admiratio, ita difficilis cenſura eſt. Quamobrem ſuſpecta non ſine ratione habentur rerum geſtarum monumenta, quę de ſpirantibus adhuc Principibus litteris conſignantur. Hiſtoria de vivo ſcripta premenda eſt: ejuſque evulgatio in eam temporum felicitatem differenda. quâ ſentire quæ velis, & quæ ſentias, dicere liceat.

Vt ab uno regeretur] certa regula traditur, non ad inſtitutionem modò, ſed & reformationem Rerump. unius imperium neceſſariò requiri: & nullam Rempublicam, nullum regnum, ſive à à primis initiis rectè inſtitui, ſive jā ante male formatū & inſtitutū novis planè legibus rectè emēdari poſſe, niſi hujus rei poteſtas ab uno ſolo dependeat Multitudo igitur conſulentiū potius apta eſt conſervādis legibus, quàm iis excogi-

cogitandis ferendiſq;. Cleomenes exactis Ephoris ad ſe Spartanæ urbis, in qva nullus tunc legibus locus erat, imperium traxit.(*Plutarchus in* Cleomene) Auguſtus Cæſar, occiſo Antonio, amoto Lepido, ſui juris Romam facit? & hac ratione Romuli cædem fraternam, & Titii Tatii necem, tanqvam neceſſariam conſtituendæ Romanæ Reip. defendit aut excuſat Machiavellus. Impie! ſcelefte!

Proſcriptionem Civium, diviſiones agrorum; ne ipſis quidem qui fecêre laudatas.] In novo Principatu aliis remediis Tyrannus, qvi vi aut fraude dominationem occupavit, inſiſtere debet; aliis legitimus Princeps, qvi jure, legibus aut moribus regno ponitur. Qvamqvam non ab omni violenti conſilio tyrannis argui poteſt. Sunt qvædam ſolius tyrannidis propria, qvædam bonis Principibus cum tyrannis communia: & ſolo fine bona vel mala. A me nemo reqvirat, juſta ab injuſtis, moderati Prin-

Principatus & tyrannidis ſubſidia munimentaqve ſeparatim tradere. Nimiæ temeritatis, ſed & capitalis audaciæ foret, cenſorem me conſtituere ſine ſuffragio, actionum, qvas niſi à Maximo DEO judicari nefas eſt. Mihi propoſitum, ut alibi (qvod ſemel profiteri ſat eſt,) ita hic qvoqve, non qvæ Principes decent, ſed qvæ facere ſolent, hiſtoriâ monſtrante viam, tradere, nulla hîc juris, æqvi boniqve qvæſtio. De facto, de conſilio Principum tractatur: juris diſceptatio aliis relinqvitur. Igitur, cùm naturali ratione convincamur, qvibus qvidqve artibus comparatum eſt, iis facilè conſervari: conſeqvitur, vi fraudeqve, aut omninò invitis gentibus (qvòd & ſine injuſta vi, fraudeqve contingere poteſt) parta imperia, violentis modis conſervari: & ut alicubi Seneca inquit, ſcelera ſceleribus tuenda eſſe. Si enim verum eſt, Principes ante omnia operam dare debere, ut regnent ſine æmulo; & ſi nunqvam ſecurus eſt Princeps,

in novo regno, quàm diu vivunt qui inde exacti ſunt, vel qui fortiori jure in illo niti ſe exiſtimant: quis non videt, *periculum ex miſericordia* (*Tacit. 3. hiſt.*) & tollendum omnimodo eſſe ſanguinem priorum Regum, ſæviendum in inſignes viros, atque adeò omnem formidoloſam Virtutem; denique lictores, delatores, carnifices, cruces, ſecures unica incolumitatis munimenta eſſe: cùm clementiâ nunquam extingui poſſit odii ſemel concepti rabies, & deſiderium perpetuum vindicandi vel ſuas vel patriæ injurias. Quod vel ſolius Cæſaris exemplo manifeſtum eſt; qui indulgentiâ ſuâ illorum, quibus incautè ignoverat, conjurationibus locũ fecit. Contrà Tiberius Cæſar, cùm ſe in Auguſti familiam irrepſiſſe, alioſq; ex Auguſti ſanguine ſe potiores ſupereſſe ſciret, indeq; omnem magnã Virtutem odiſſet, timeretque; ferro & venenis ſibi ſecuritatem peperit, crudeliſſimus hominum, & lutum ſanguine maceratum.

Au-

Auguſtus quoque Cæſar, mitiſſimus alioquin Princeps, non feritate animi, aut innatâ crudelitate, ſed neceſſitate, quæ violentos regnorum occupatores tenet, adactus, ad ſæviſſimam Nobilitatis Romanæ proſcriptionem deſcendit. Unde Tacitus hoc loco, *proſcriptionem civium, diviſiones agrorum, ne ipſis quidem qui fecere, laudatas fuiſſe,* ſcribit.

Ut non mirum ſit, quoſdam Tyrannorum nonmodò tranquillo imperio gaviſos, ſed & ſuâ morte obiiſſe. Cùm enim hi omnem crudelitatem in Regni primordiis plerumque uno impetu effuderint; *& quadam vi tractarint, quo cæteris quies eſſet,* accidit plerumque, ut homines dementati nova Principis benignitate atque munificentia præteritæ ſævitiæ obliviſcantur. Quod jam allato Auguſti exemplo, & Agathoclis Siciliæ Regis, qui quamquam fraude cædibuſq; Syracuſarum tyrannidem habebat, tamen nullius unquã inſidiis aut conjuratione petitus legitur,

manifeſtum ſit. Cæterùm qvi Cruore delectantur, qvi Regni ſui non auſpicia modò, ſed continuata tempora ſuppliciis inſigniunt, qvibus miſerum ſenectutis inſtrumentum eſt, perpetuò exercitę crudelitatis recordatio, non modò ſi violenter occupaverunt imperia, ſed & legitimi Principes ſuorum conſpirationibus, & plerunqve violentâ morte in hiſtoria memorantur. Et in his illud Satyrici verum eſt.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci,
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte Tyranni.

Tiberius tamen, qvamqvam totâ vitâ crudeliſſimus & ſuâ morte defunctus & nullas in caput ſuum conſpirationes expertus eſt. Sed erat ille tectâ ſemper crudelitate, *& ſubdolus fingendis Virtutibus* (*Tacit. 4. Annal.*) & Sejanum, cæteraqve ſævitiæ inſtrumenta ipſe, ubi ſatis uſus erat, pervertebat; nec niſi ultimis vitæ ſuæ annis, in ſcelera ſimul ac dede-

dedecora, qvæ tamen Caprearum diverticulo procul Româ occultabantur, prorupit, verũ enim verò, qvod qvoſdam Principum crudelitate ſemel effuſâ regnum ſibi firmaſſe diximus, id qvidem Auguſti atqve Agathoclis exemplis ſatis comprobatur: ſed ſunt in contrarium qvoqve qvi infauſto exitu idem tentarunt. Ferdinandus Albæ Dux Belgarum Pocerum primos, Egmondanum & Hornanum capite plexit; arbitratus *nihil auſuram plebem, principibus amotis*. Qvam autem infeliciter ſucceſſerit hoc conſilium; novit orbis. Prudentius olim Vitellius Iulium Civilem periculo, qvod ei ab iratis militibus impendebat, *exemit præpotentem inter Batavos*, inqvit Tacitus (*lib.* 1. *hiſtor.*) *ne ſupplicio ejus ferox gens alienaretur.* Ecce domeſticum illius gentis exemplum; cujus imitator eſſe debuerat Albanus. Athenarum Dux à Florentinis ad ordinandam Rempublicam ſuam vocatus, cùm iiſdem inſiſteret mo-

dis,per ſeditionem urbe pulſus eſt(*Leonardus Aretinus Scipio Amiratus in hiſtoria Florentina.*) Nicolaus Carrarienſis ſuppliciô Conradi Vigontii, exulis quidem, ſed prævalidi clientelis in urbe Patavina, animos civium ita exaſperavit, ut vocato Cani Scaligero urbem tradiderint(*Ioh.Bapt. Pign. 4. hiſt. Ateſtin.*) Sciendum igitur, Tarquinianum iſtud conſilium decapitandi ſumma paperum nemini proſperè ſuccedere, niſi qui iiſdem, quibus Auguſtus & Agathocles, ſubſidiis ſe inſtructum ſciat. Erat Agathocles Carthaginenſium fultus claſſe, quá patriæ ſervitutem imponere facile ipſi fuit. Auguſtus præter favorabile Cæſarum nomen legionibus armatis & Aquilis Romanis,quibus imperii ſalus continebatur,nitebatur. Illæ ſuum nutum ſpectabant,quos olim pro Roma ſtrinxerant gladios,tunc in illam expedire parati erant:ut facillimum foret, iiſdem armis, quibus nobilitatem ſuſtulerat, popula-

res

res quoq, ſeditiones, ſi quæ exortæ fuiſſent, comprimere. Cæteri, quorum nõ eſt eadem conditio, quales Albanus & Athenarum Duces fuerunt, cùm quæ crudeliter egerunt, vi armiſq; defendere non poſſent, indignationi & furori populari expoſiti remanent. In his igitur ſecurior modus eſt, alere diviſiones illas inter Populum & Optimates, quæ libertate fugatâ Dominum accerſiverant, & paulatim, nec ſentientibus jugum imponere: quod quibus artibus obtineri poſſit, ex iis, quæ alibi docebimus, apparebit.

Quamquam fas ſit privata odia publicis utilitatibus remittere] exempla magnanimorum hominum, qui ſuas injurias Reip. condonarunt, retulit ad hunc locum Scipio Amiratus, qvæ non tranſcribo.

P*ompejum imagine pacis*] Sextus Pompejus bello contra Octavium tenebat Siciliam & Sardiniam, tuebatur ſe locis firmis, & famẽ inopiamq; Italiæ importabat.

tabat. Vinci nunqvam potuit, niſi brevi pace. Ea pacta cum illo eſt; exules recepti, & vires abductæ, corruptus ejus miles, & qvid dicam? terribilis ille, & paulò antè Neptunus, vix unâ navi effugit, cervices gladio præbuit; & intra annum extinctum totum bellum. Vetus hoc novum fieri poſſe ac debere, in bello nupero Regis Hiſpaniarum contra Belgas fœderatos ſvaſit Juſt. Lipſius in conſultatione, qvæ extat apud Rudolphum Boterum in hiſtoria. Bellum, inqvit Lipſius, cum Batavis hactenus infelix, nec nunc felicius, niſi in tota facie rei aliqvid immutetur. Loca valida omnia habent, loca opportuna, militem exercitatum, & ſatis bonum, victoriis animoſum; ordinem aliqvem in ærario, & tota gubernatione, qvamdiu bellum & metus eſt, haud facile ſolvendum. Ut iſta remittantur, & amittantur, pax aliqva ſit & qvies: qvæ nunqvam in talibus bellis inita ſine bono aperto Regis. Majeſtas illa nominis, &

oc-

& occultum in animis vinculum illos trahit, aut potius extrahit, qvi malè abierunt: qvidam gaudebunt, datum ſic regreſſum. Centeni aliqvot homines aut milleni ad Regem ultrò redibunt, ſi occaſio redeundi ſuggeratur. Hæc præſidia hoſtibus detrahimus: & amplius in plebeja aut plurium illa gubernatione occaſiones inter ipſos diſſidiis damus. Mihi crede, habent odia, factiones, & ſua vulnera: ſed occuluntur ea omnia, impendente magno illo metu, qvi æqvaliter tangit omnes. Remitte paululum: ad ingenia & vitia ſua redibunt: ut boves inſtante lupo coëunt, capita & cornua jungunt: abeunte qviſqve ſibi paſcit. Hæc Lipſius: cujus conſilium hactenus ſecuti videntur Hiſpani; nec omnino irrito conatu. Vix ab Rege metus ceſſerat, cum prorupere in diſſidia, & factiones Proceres & Populus. Plus Hiſpanus duodecennalib. induciis qvam qvadraginta annorum bellis profecit. Et ſimili conſilio

 cal-

callidiſſimus dolorum fabricator Tiberius Gelbanicum monet: ſe novies à Divo Auguſto in Germanias miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe. Sic Sugambros in deditionẽ acceptos, ſic Suevos, Regemq; Maroboduum pace obſtrictum. Poſſe & Cheruſcos cæterasq; rebellium gentes, qvando Romanæ ultioni conſultum eſſet, *internis diſcordiis relinqui.* (*Tacit. II Annal.*)

Ex qvo verũ eſſe apparet, inſtrui belli artibus in noſtram perniciem, cum qvibus aſſidua & continua bella gerimus. Fortuna belli artem victos qvoq; docet. (*Q. Curtius* 7.)

Inde apud Thucydidem (lib. I.) Corinthii bellum gerendo cum Athenienſibus (ij tunc rei navalis peritiâ cunctis Græcis lõgè erant ſuperiores) ſe qvoq; bellicarum rerum ſcientiam adepturos ſperant. Ipſi Athenienſes agreſtes primum & armorum rudes, bellando cum Perſis bellare didicerunt. Ægyptii diuturnitate bellorum, ac toties viribus

cum

cum Chriſtianis Hieroſolymitanis collatis artes bellicas apprehendêre, (*Paulus Æmil.* 7.) Veteres Germani longâ adverſus Romanos militiâ inſveverunt ſigna ſeqvi, ſubſidiis firmari, dicta Imperatorum accipere. (*Tacit.* 2. *Annal.*) Cum Ageſilaus in bello contra Thebanos vulneratus eſſet, Antalcidas, bonum factum! exclamavit. qvidni hanc mercedem recipiat ab illis, qvos arma tractare docuit; Lycurgus legibus ſuis prohibuit adverſus eosdem ſæpius pugnare. (*Plutarch.*) Cum enim acerrima illa virtus ſit, qvam ultima exprimit neceſſitas, nihil tàm triſte aut difficile eſt, qvo non ad pulchra vulnera, contemptumqve mortis excitentur hi, qvi pro aris focisqve, pro liberis & uxoribus dimicare coguntur. Itaqve ipſis periculis prudentiores fiunt, & à fortuna multis rebus ereptis uſum accipiunt benè coſulendi. Inde Turcarum Imperatores nunqvam diuturnũ cum Chriſtiano aliqvo Principe bellum geſ-

ſiſſe, Joannes Boterus, & Trajanus Boccalinus teſtantur; qvadruplici, opinor, fine. Primò, ne innumerabilibus exercitibus, qvibus diù alendis nulla regna, nullæ provinciæ ſufficere poſſunt, ſubacti populi ita affligantur, ut longo poſt tempore ſpiritum atqve vires recipere neqveant, adeoqve imperantibus inutiles ſint. Deinde ne longo bello fortem, invigilantem & ad omnia intentum hoſtem efficiant: utqve poſtea redituris ſocurum & pace emollitum adoriri liceat: & ipſi veteranum ſemper militem, noſtri novum inexpertumqve habeant. Tertiò, qvia longo uſu didicerunt illi, malè ſanum eſſe conſilium, gentes numero infinitas, locorum ſpatio immenſas percurrere, quæ deinde obtineri neqveant. Corpora enim noſtra pingveſcere edendo pauca, & benè digerendo vomitu reddere, qvi ſupra ventriculi vires ingerunt. Subactas gentes, non eodem qvo vincuntur, prælio domari. Tempore, induſtriâ, pace opus eſſe.

eſſe. Deniqve verendum qvoqve Turcis eſt, ne nimiis progreſſibus, & ſuſpectâ finium propinqvitate Principum Chriſtianorum alto ſomno ſepultorum potentem indignationem in ſe concitent: eamqve fuiſſe cauſam Trajanus Boccalinus ſcribit, ob qvam ab ultimis in Hungaria bellis deſtiterunt Turcæ; ne ſcilicet Viennæ Auſtriæ, fortiſſimi Germaniæ & Italiæ propugnaculi amiſſio Germanorum & Italorum terribilem vim irritaret.

Itali bellicam ſuam ſcientiam ab illis, *qvæ ultra Alpes ſunt*, gentibus, habent. Ante Caroli Galliæ Regis in Italiam adventum, cùm in bellis longè major eſſet gravis armaturæ eqvitum, qvàm peditum uſus, & tormenta muralia ad trahendum vehendumq; incommodiſſima, qvamvis crebra prœlia committebantur, tamen intra paucos ſtrages conſiſtebat, interdum ne unus qvidem cadebat. Etenim ferreis laminis totis coopertis, mortis periculum, ſi qvando

eqvis

equis dejicerentur, deditione effugere facillimum erat. Oppida aut caſtella, non quidem defenſorum peritiâ, ſed obſidentium ignaviâ tàm facilè ſervabantur, ut nulla eſſet adeò parva aut neglecta ſedes, quæ vel maximas hoſtium copias per multos dies non ſuſtineret; adeòq; difficillimum eſſet, aliis poſſeſſa occupare. (*Guicciardinus* 15. *hiſtor.*) Hiſtoriæ Florentinæ ſcriptor ait, tantam exercituum illâ tempeſtate ignaviam fuiſſe, ut vel unus eqvus caput aut caudam movendo hoſtibus terrorem incuteret. In prælio qvodam inter Venetos & Florentinos qvamvis id ab exoriente ſole ad medium uſq; diem protraheretur, nemo tamen ex tantis copiis occubuit, equi tantũ aliquot vulnerati, & præterea equites aliquot capti ſunt. In alio quodam prœlio capta equitum tria millia, ac mille pedites: quatuor omnino cæſi, vulnerati triginta. (*Petrus Iuſtinianus* 7. *hiſtoriæ Venetæ*) Iterum alibi, cùm quatuor horas duraſſet

raſſet pugna, præter unum eqvitem, nullus occubuit: atq; ne is qvidem vulneribus confectus, ſed eqvo excuſſus & contritus animam efflavit. Porrò, quæ in acie militum iſtorum fuit imbellia eadem erat in expugnandis oppidis aut caſtellis ignavia. Quamvis exigua arx maximos exercitus ſuſtinere poterat. Itaque præſtabat ſingulis in turribus præſidia collocare: qvippe modica ad id impenſa ſufficiebat, & ab validiore hoſte campo pulſi retinebant tamen arces (*Pign. 4. hiſtor. Ateſt*) Alphonſus Rex Neapolis Fluvianum Caſtellum exiguum nec ſitu nec opere, nec idoneis defenſoribus munitum ante trigeſimum diem expugnare non potuit. Caſtellinum nulla re ad ſuſtinendam obſidionē inſtructū, cū quadraginta quatuor dies oppugnaſſet, cum ignominia linquere coactus eſt. Tanta nimirū ferocia exercitibus, tantum periculum à bellis iſtius temporis erat, ut municipia, aut caſtella qvæ hoc ſeculo, tanqvā

nullo

nullo modo ad defenſionem comparata, deſeri coſpicimus, tunc temporis, qvaſi nulla ratione expugnari poſſent, defenderentur. Verùm ubi Carolus Rex in Italiam primùm pedem intulit, novarum gentium terror, peditatus ad aliam belligerandi rationem inſtructi ferocitas, & præcipuè tormentorum tonitrua tanto univerſam Italiam terrore repleverant, ut iis, qvi acie ſe opponere non audebant, nulla relicta eſſet ſalutis ſpes. Qvippe ubi ad urbium oppugnationem ventum erat, homines imperiti in deditione ſalutem qværebant: & ſi defenſio parabatur, eundem intra diem cœpta patrataqve obſidio. Sic Regnum Neapolitanum & Inſubria eodem ferè die & oppugnata & victa. Sic Veneti unico profligati prœlo omni continentis imperio ceſſerunt. Sic Gallis nec conſpectis qvidem Mediolanum hoſtes deſeruerunt. Ergo cœperunt deinde hominum ingenia, offenſionum acerbitate perterrefacta, ad pugnan-

gnandi rationes inveniendas acui; oppida aggeribus, foſſis, aliiſqve operibus bellicis muniri: unde urbes ad maximam ſunt redactæ ſecuritatem, & homines univerſas belli artes perdidicêre.

Sed Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos] O igitur miſeram ſæpè Regum potentiam! in qva raræ felicitatis eſt ad bona privatorum, nec ſuſpecti commercii humanitatem pervenire. Privatorum liminibus vera amicitia includitur; Pax gentium & incolumitas regnorum non amicitiá vicinorum, non fœderibus, ſed armorum motu ſuſtinetur. Et profecto intuenti mihi, qvæ in aula geruntur, & Principum ſortem, qvibus præcipua rerum ad famam dirigenda, & deniqve totum aurati liminis genium; videtur illud ſimile tabernæ, in qva fuci venduntur, ubi nihil eſt ſyncerum; omnia perſonata, ad fallendum facta pervicaciſſima ars aularum eſt, amorem fingere. Omitto dicere infidas ſpes,

ſpes, & trepidos metus, & nunquam qvieta aulicorum vota. Ipſorum Principum inter ſe geſta vide fucis ſcatens & dolis, qvos neceſſitas & imperii ſalus & penè honeſtum jubent. Rara eſt inter illos vera, nec utilitatis ſpe rumpenda amicitia; & quæ ut inter privatos, ſolâ virtutis pulchritudine placeat. Et qvãqvam alio mercimonii genere dehoneſtari creditur familiæ claritudo tamen amicitiis tanqvã negotiatione, augere rem, regiũ habetur; ut nec fœdera, nec ſanctiſſima fidei pignora, ſuo vinculo, niſi utilitas ſubſit, ligent. Hinc non minus verè qvàm falsè & argutè Boccalinus dixit, fumum vendere privatis interdictum, ſolorum Regum mercaturam eſſe (*Boccal. cent*. 11. *c* 65.) & alibi, omnes lineas actionum regiarum concurrere in unum centrum, qvod eſt evacuare ſocii loculos, & inde implere ſuos. (*cent*. 1. *c*. 3.) Inde etiam ſolemne eſt Principibus, qui occultas ſimultates inter ſe gerunt, donec in aperta bel-

la iſtæ erumpant, interim donis, & muneribus, & legationibus nova regna, conjugia, victorias, natum regni hæredem gratulari, & omnia benevoli animi ſigna utiliſſimâ ſimulatione præferre.

Poſt Antonium Tarentino Brundiſinoque fœdere] In fœderum conventione mutua quidem defenſio aut publicum bonum prætenditur; ſed qvin ſuum qviſqve comodum ſpectet minimè in ſocietatem venturus periculorum alienorum, niſi magnum inde ad ſe emolumentum pervẽturum ſperaret, dubitari non debet, diverſi enim ſociorum fines ſunt, qvi animos & vires plerumqve in diverſa trahunt, ex communi aqva in ſuum qviſqve fundum ducit. & dum qviſqve ſuis rebus conſulit, commune bonum negligitur. Subſidia neq; paria, neq; eo tempore qvo conſtitutum eſt, ſubmittuntur. Hinc ſuſpiciones, qverelæ, animorum alienatio; hinc diſſidia, & fœderis diſtractio ac deſertio. Inde Gvicciardinus (2. *hiſtor.*) inqvit, fœ-

dera

dera inter multos icta eâ firmitate non eſſe,ut ſperari non poſſit,unum fœderatorum aut remiſſiorem fore,aut ab aliis disjunctum iri: cùm citò primi impetus deferveſcere, citò varietate ſententiarum inter eos exortâ fides debilitari ſoleat.Plus dicit alius quidam,ſicuti Romanis] olim ſalutare remedium contra Tribunitiam ambitionem fuit ipſa multitudo Tribunorum; ob quam ſemper illorum unus in partes ſenatus pertrahi potuit,qui deinde collegis intercederet; ita ſemper Principi auxilio etiam eſſe poſſe ipſam hoſtium in ſuam perniciem fœderatorum multitudinem; qvorum unus, indulgendo ei, qvæ privatim ſibi qværit,facile à fœdere abduci poſſit. Qvo intuitu Franciſcus Sforza Ludovico XI. Franciæ Regi Procerum ſuorum rebellione agitato ſuaſit, ut in diſſimili cujuſque cauſa ſingulis eorum ſuam ſpem objiceret.nihil denegaret. Ita res illorum retrò ituras; ac arte disjecto præſenti

belli

belli conatu cætera proclivia fore reb. ex ſententia componendis. (*Æmilius lib.* 10. *de reb. geſt. Franc.*) Et eodem reſpectu apud Guicciardinum dicitur, pœnitentiâ ductos Venetos quod Faventiæ reſtitutione Pontificem à fœdere cum Maximiliano Cæſare, & Ludovico Galliarum Rege inito non alienaſſent, Denique pro generali regula qvidam (5. *Iov. in vita Sforz.*) tradit; cum uno ex tribus hoſtibus pacem, cum tertio bellum faciendum.

Pleraque igitur fœdera, vel quòd uni partium ſatisfactum eſt, vel quòd non ea quæ ſperabatur inde redundet utilitas, vel quod turpis lucri cupiditas iſta denique detegatur, diſſolvûntur. Exempla ſunt, de Athenienſibus & ſociis apud Thucydidē; (lib. 6.) de fœdere inter Macedones, Achæos, & Epirotas icto, apud Polybium; (lib. 4.) item inter Anglos & Hiſpanos contra Galliæ Regem apud Guicciardinum; (lib. 11. à quo poſt acquiſitum Navarræ Re-

gnum

gnū reſiliit Ferdinandus Hiſpanus nec adigi potuit ullo modo, ut arma ſua Anglis ultrà jungeret. Quo factum eſt, ut ipſis etiam re infectâ domum redire neceſſe fuerit. Nec felicius ſucceſſit fœdus inter Alexandrum VI. Pontificem, Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ,& Rempub. Venetam contra Turcas magnâ hominum expectatione cōcluſum. Venetis quidem cum Gallis in Mari Ægeo quædam proſperè ceſſerunt; ſed primo anno reliquorū fœderatorum vires fruſtrà expectatæ & ſequenti totum fœdus ſpongiâ confoſſū eſt; propter diſſidia ob Regni Neapolitani diviſionem inter Gallum & Hiſpanum exorta. Ludovicus XII. Galliæ Rex, poſthabita, quā cum Venetis ſanxerat, amicitia, in eorum exitium penè omnes Europæ Principes excivit, & Franciſcus I. Rex cùm illi pacificationis cum Cæſare ſpes affulſiſſet, neglectis Venetis ſolus cum Carolo convenit, amica Rep. expoſita graviſſimis periculis.

lis. Ex Conjacenſi fœdere, quo Fran-
ciſcus Galliæ Rex, Clemens Pontifex
Maximus ac Reſp. Veneta ſociatis
armis libertatẽ tueri, ac nimiæ Cæſaris
potentiæ obſiſtere decreverant, nullus
initio erat, qui tot copiarum terrâ ma-
riq; paratu brevi Italiam in priſtinũ ſta-
tum reſtituendam non arbitraretur re
tamen atq; experientiâ, ut ſæpè aliàs, ita
tunc quoq; compertũ eſt, fœdera plus
auctoritate & famâ, quàm viribus poſ-
ſe. Nam præter Laudem Pompejam oc-
cupatam, & Cremonam deditione re-
ceptam nihil memoratu dignum ge-
ſtum eſt; dum auxiliorum dilatione ni-
hil ſatis tutò tentari poterat. A fœdere
illo, quod inter Pontificem Max. Hiſ-
paniarum Regem. & Rempub. Venetã
adverſus Turcas initũ eſt, primi omniũ
Veneti, quòd Hiſpanum ſuas tãtum u-
tilitates cõſectari ſuſpicarẽtur, recedere
coacti ſũt, quo facto ingẽs illa ad Nau-
pactũ victoria nihil omnino rei Chri-
ſtianæ profuit: & noſtri acquiſitis na-

vibus

vibus regna amiſerunt. Et ſanè ſanctiſſima hæc Reſpub. quæ etiam infidelibus fidem ſervat, ſæpius injuria temporum, amicitias mutare, & ſervandæ publicæ rei cauſa, ne frangeretur in ſcopulis, obliquare curſum coacta eſt. Quod nos docet Paulus Paruta Eques & Procurator S. Marci, hiſtoriæ ſcriptor prudentiſſimus, quoque nullus Guicciardini profundam ſapientiam civilem felicius expreſſit. Is (5. *hiſtoriæ Venetæ*) Dominicum Triviſanum, primum illius Reip. Senatorem, & S. Marci Procuratorem his verbis in Senatu perorantem inducit: cogimur parere neceſſitati temporum, & ſæpe mutare voluntatem, propoſitum, amicos, & inimicos; ſuſpectam habere omnem externam potentiam, timere multa, fidere paucis, & perpetuâ vigilantiâ aliorum actiones obſervare, ut ad illas inſtituamus noſtras; habentes in iſta inconſtantia unum conſtantiſſimum & firmiſſimum propoſitum; conſervatio-
nem

nem ſtatus noſtri, & magnitudinem Reipublicæ. Hæc Triviſanus: cui adſtipulatur Leonardus Hemus homo gravis, conſilii, ut vocant; Sapiens, domi foriſqve variis pro patria negotiis exercitus. Ejus hæc ſunt apud eundem Parutam (VIII. hiſtor.) verba: Non dubitavimus accedere modò huic, modò alii, qvomodo nobis ſvadebat temporum ratio & utilitas noſtra. Tertius decimus nunc annus eſt, cùm Regi Franciæ fœdere juncti eſſemus. Verùm adoleſcentibus Cæſarianarum partium viribus in Italia, nec comparentibus Francicis auxiliis, ut impoſſibile videretur impetum hoſtis ſuſtinere, Cæſaris fortunæ ceſſimus: ſecuti conſilium qvod nobis ſuggerebat ſecuritas rerum noſtrarum, Cæſaris deſideriis morem gerentes reſiduum Gallicorum exercitum Italiâ ejecimus. Verùm paulò poſt reſurgente Gallicâ factione, cum ipſe Franciſcus Rex expeditionem ſuo ductu adornaret, relicto, qvod cum Cæſa-

re nobis intercedebat, fœdere, veterem cum Gallo amicitiam confirmavimus: cui cùm adverſè omnia & contra opinionem ſucceſſiſſent; diſſipato exercitu, & ipſo Rege capto, ut victoris potẽtię in tempore obviam iremus, denuò cum Cæſare pacti ſumus: cujus magnitudo atque potentia cum inciperet eſſe ſuſpecta, ut primùm in Franciæ Rege jam tunc liberato experiendorũ armorum cupidinem advertimus, ſocios nos illi prębuimus exigendis ex Italia Cæſarianis. Hæc non omninò duorũ annorum ſpatio geſta ſunt. Et certè ſapiens fuit conſilium ſervire temporibus: hoc enim Remp. ſervavimus eiq; cum dignitate pacem reſtituimus. Hæc Hemus.

Nuptiis ſororis illectum] quod de fœderibus dictum eſt, etiam in affinitatibus Principum fieri aſſolet. Sparguntur à Regibus filiæ, aut ſorores, in eos quos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare: nihilq; deinde ſui ſanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mu-

mutuò inierunt, reverentiâ moti, pacem & bella ex temporum & fortunæ ęſtimant ingenio. Ita Arrubas, Rex Moloſſorum, dum ſperat affinitate Philippi Macedonum Regis incrementa Regni, proprio regno ab eodem privatus in exilio conſenuit: (*Iuſtin.* 8.) Hac arte ab Auguſto Antonius *Triumvir nuptiis ſororis illectus ſubdolæ affinitatis pœnas morte exſolvit: (Tacitus hic.)* & Saules Hebræorum Rex Michaëlam filiam Davidi ſibi inviſo in matrimonium tradidit, quò promptius ipſum ſubverteret. Privatorum eſt, eligere matrimonia ex amicitiæ affectu vel morum concordia; Regibus iſta ſuavitas exuenda. Horum enim ea fortuna eſt, ut nunc indignos & exoſos per ſanctiſſima fœdera ſibi conjungant, nunc omnium nexuum jura omniſque ſanguinis neceſſitudinem inhumana crudelitas negligat. Chariſſimus eſt, qui præcipuâ utilitate potentiam alit; & affinitates pulcherrimæ cenſen-

tur, qvæcunqve Regnum ſtabiliunt. Carolo VIII. Galliæ Regi Margarita Maximiliani Imperatoris filia deſponſa erat:qvam ille, cum jam aliqvot annorum moram in Gallia feciſſet, non aliam ob cauſam repudiavit, qvàm ut Annam cum ampliſſima dote Britanniæ Armoricæ, qvæ morte patris ſine maſcula prole defuncti ad eam devolvebatur, uxorem ducere poſſet: (*Guicciard. 1.hiſtor.*) qvam deinde viduam factam Ludovicus XII.repudiata priore uxore, qvæ Caroli VIII.ſoror fuerat, eandem ob cauſam ſibi conjugem fecit qvæſito colore, qvaſi prior illa ingratiis ſibi à fratre collocata fuiſſet (*Guicciar. Lib.3.hiſtor.vide Boccalin.*Cent.2.c. 87.)

Lollianas, Varianaſque Clades.] mos eſt vulgò, fortuita ad culpam trahere, de qvo commodior dicendi locus erit infrà libro qvarto.

Conſulti per ludibrium P*ontifices.*] Ita Principes religione ludunt; omnium actionum ſuarum auctorem Deum faciunt;

ciunt; Religionis & juſtitiæ titulo ambitionem ſuam velantes. Suum qviſq; bellum ſacrum prædicat, hoſtes qviſq; ſuos impios dictitat, ſuam qviſqve cauſam ſanctam nominat. In ore omnium ſanctum piumqve verſatur: conſilo, conatu, animo ſecus agitur. Theologia (*conſilium conſcientiæ vocant*) & Iuriſconſulti venalem ſtylum propenſioni Principum ſuorum accomodant. Plura dicam inferius hoc ipſo libro.

Comparatione deterrimâ ſibi gloriam quæſiviſſe) Auguſtus Tiberio, luto ſangvine macerato imperium tradidit, qvo ipſe deſiderabilior fieret: (*Svetonius in Tiberio cap.* 21.) & ut hic loqvitur Tacitus, *quoniam arrogantiam ſævitiamque ejus introſpexerat, comparatione deterrimâ ſibi gloriam quæſivit.* Et ipſe Tiberium gaviſus dicitur, ſuccedere ſibi Caligulam; qvem deleturum flagitiorum ſuorum memoriam, ſcelerum magnitudine ſperabat. (*Dio Caſſius lib.* 58.) Improbum conſilium! Non alio magis

approbatur animi magnitudo, quàm quòd optimus Princeps non timeat eligere meliorem. (*Plinius in Paneg. ad Trajan*) In Principe, qui electo ſucceſſore vitâ conceſſit, una, eademque certiſſima divinitatis fides eſt; bonus ſucceſſor. (*Juſtin. lib.* 12.) Virtutes ſucceſſoris glorioſiſſimum ſunt defuncti Principis epitaphium. (*Simocata* 1. *hiſtor.*) Natricem ſubjectis, & Phaëthontem regno ſuo educat, qui impium filium ſucceſſorem habet. (5. *Sueton. in Calig. cap.* 2.) Reges, qui prolis ſuæ educationem negligunt, Remp. negligunt; cujus ſalus à bona Principis inſtitutione pendet. Minora ſunt belli mala quàm pravæ inſtitutionis: quippe illa non niſi ad tempus durant; hæc, quoad vivit Princeps. (*P. Mattha. in vita Philippæ Catanenſis.*)

Quam arduum, quam ſubjectum fortunæ, regendi cuncta onus] Vera quidem res eſt, ſed ſi modo vera fatemur, omnibus iſtis difficultatibus ardentior eſt dominandi lubido. *Qui-*

Quibus unus metus, ſi intelligere viderentur,] non evulgaſſe modo Principum arcana, ſed in ea invitis illis penetraſſe, ſæpè capitale fuit tam infeliciter ſagaci. Nemo ſine certo exitio Tiberii ſenſuum abdita explorare poterat. (*Tacitus hic. Dio Caſſius lib. 57.*) P. Ovidius, cùm neſcio quid, quod Octavius Auguſtus nollet, in ſecreto vidiſſet, ſolum vertere juſſus eſt. Hinc ejus vox.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci;

Livia Auguſta interrogata quibus artibus Auguſtum ſibi conciliaſſet; duabus, reſpondit: quod nec curioſè inquiſivi in illius facta, & quamvis nota ejus adulteria diſſimulavi. (*Dio* 58.) adde quæ dixi ad lib. 2. verb. *haud cunctatus eſt ultrà Germ &c.*

Cum proferri libellum recitarique juſſit.] Svetonius in Auguſto capite ultimo librũ iſtum, de quo hîc Cornelius noſter, Breviarium Imperii appellat. Opes

publicæ, inqvit Tacitus, continebantur, qvantum civium, ſociorumqve in armis: qvot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones. Qvibus verbis gemina ſunt, illa apud Ciceronem; (*3. de legib.*) Eſt Senatori neceſſarium, noſſe Rempublicam; idqve latè patet, qvid habeat militum, qvid valeat ærario, qvos ſocios Reſp. habeat, qvos amicos, qvos ſtipendiarios, qva qviſqve conditione ſit, lege, fœdere &c. Apud Thebas Ægyptias ſtructis molibus legebantur indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum eqvitumqve & dona templis, ebur atqve odores, quaſqve copias frumenti & omnium utenſilium qvæq; natio penderet. (*Tacit. 2 Annal.*) Aſſverus Perſarum Rex negotiorum regni diaria legiſſe ſcribitur. (*Eſther. 6.*) Amurathes Turcarum Imperator omnium imperii negotiorum memorias ſcriptas habebat? tributorum, vectigalium, onerum, regnorum,

rum, virium; qvas menſæ ad id deſtinatæ in arcano cubiculo impoſitas perpetuò volutabat. (*Lazarus Superantius in Ottomano*) Has regni vires, hos nervos ita deſcriptos, ſoli Regi, & qvi ei ab arcanis conſiliis ſunt, notos eſſe convenit. Vulgus Scholaſticorum tripertito illo Theſauri politici opere, & aliis quibuſdam ſchedis hinc inde à falſariis qvibuſdam divenditis, omnem politicam ſapientiam contineri putat. Plura qvidem ibi tradita Reip. gerendæ præcepta contemnenda non ſunt: ſed opes publicas, tributa, vectigalia, arma, vires, onera, aut, ut ipſi vocant expenſas, certo pondere, numero, menſura, definire ineptæ præſumptionis eſt. Ut enim taceam, qvod, ut dixi, ſolis Principibus nota ſunt; etiam mutantur perpetuò, augentur, minuuntur, iſta, de qvibus loqvimur, regnorum munimenta. Pace, bellis, peſtilentia modò omnium bonorum affluentia, modo vaſtitas inducitur. Ut ſtultiſſimi hominis ſit, ex

præteritorum temporum obſervatione de hodierna regnorum conditione judicare. Impius Hetruſcus de Germanica & Gallica Rep. ſingulares libellos ſcripſit, mendaciſſimos falſiſſimosque ſi ad hæc tempora exigas. Sed credo non abhorrentia à ſui ævi conditione ſcripſiſſe.

Addideratque conſilium, coercendi intra terminos imperii incertum metu, an per invidiam.] Crediderim ego, metu potiùs feciſſe. Acceperat in Germania cladem Varianam: belli ambigua expertus erat; longa pace Urbs, Italia, Provinciæ reſpirabant: exteri Reges amici ſociique Populi Romani appellabantur. Quo rerum ſtatu firmando novo Principatui pax opus erat, non nova bella. Cætera, quæ de coërcenda inter terminos imperiorum magnitudine dici poſſunt, alibi diſſeruimus.

Pridem inviſus, tanquam ductâ in matrimonium Vipſaniâ M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii Uxor fuerat, pluſquam civi-

civilia agitaret.] Inviſi Principibus fuere ſemper, qui ex regio ſanguine ductis uxoribus regio faſtigio imminere viſi ſunt, & quod plus eſt, etiam generos ſuos odio habuiſſe quidam leguntur. Saules Hebræorum Rex promiſſas Davidi filiæ nuptias cum protelare amplius non poſſet. ex eo timere generũ cœpit. (1. *Reg.* 18.) Cum Batſabæa Salomonis Regis Mater alteri filiorum Adoniæ Abiſacen, quæ patris olim ſenectutem foverat, in matrimonium petiiſſet, Salomon, quare poſtulas reſpondit Abiſacen? pete & regnum. (3. *Reg.* 2.) Tiberius Agrippinam maritum petentem repulit, *non ignarus, quantum ex Republica peteretur.* (*Tac.* 4. *Annal.*) Et idem Tiberius Sejano Liviam Druſi olim uxorem negavit. Falleris, inquit ille, Sejane, ſi te manſurum in eodem ordine putas, & Liviam, quæ Cajo Cæſari, mox Druſo nupta fuerat eâ mente acturam, ut cum Equite Romano ſeneſcat. (*Tacit.* 4. *Annalium.*)

Vitellius metu & odio Dolabellam, qvod Petroniam uxorem ejus in matrimonium accepiſſet, Interamnæ interfici juſſit. (*Tacit. 2. hiſtor.*) Philippus Vicecomes filiam Franciſco Sforziæ toties promiſſam, non niſi vi coactus collocavit. (*Blond hiſtor. ab inclinat. Rom. Imp. decade 3. lib. 4. & 5. Io. Bapt. Pigna. lib. 6. & 7. hiſtor. Ateſt.* Carolus Audax Burgundiæ Dux cùm modò Calabriæ Duci, modo Allobrogum Principi, modo Maximiliano Auſtriæ Duci, modo aliis, ſpem nuptiarum filiæ ſuæ faceret, nulli tamen uſqve dùm vixit eam deſpondere voluit. (*Philippus Comineus. 3. de vita Ludovici* 11.) Infinitis aliis exemplis in hiſtoria paſſim obviis ſuperſedeo.

Pollionisqve Aſinii Patris ferociam retineret.] Antonius Contius, & Albericus Gentilis (*in l. 5. Cod. de leg. Iul. Majeſt.*) ex Joanne Andrea referunt, juſtè vereri Principem proditionem & ſcelus eorum, qvorum parentes ſibi vel præ-

prædeceſſoribus hoſtes fuerunt. Exempla notantur hæc. Bruti Regum exactoris progenies poſt quingentos annos in necem Cæſaris novi Regis conjuravit. De tribus Corneliis, Sullá, Cinnâ, Lentulo notum eſt ex Saluſtio. Jam & Sp. Caſſius, & L. Caſſius, C. Caſſius Chærea, & Avidius Caſſius hîc ſunt: quorum primus damnatus hoc crimine pœnas luit: (*Livius*) ſecundus in principibus conjurationis Catilinariæ fuit (*Saluſt. in Catilina.*) tertius auctor conjurationis in Cæſarem: (*Sueton. in Julio cap.* 80.) quartus princeps conſilio & manu in necem Caligulæ: (*Sueton. Dio. lib.* 59.) quintus deniq; damnatus conjurationis in Marcum. (*Xiphilinus lib.* 71.)

Divitem, promptum, artibus egregiis, & pari famâ publicè ſuſpectabat.) Apud Tyrannos, *nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine ſunt.* (*Tacit.* 1. *hiſtor.*) Sed & boni Principes nimiùm eminentes viros ſuſpectos habent; quâ de re, & in

& in eam remediis aptiori loco fuſiſſimè diſſero.

Dixerat capacem, ſed aſpernantem:] & hoc elogium ipſi ſalutem attulit. Sub Principibus, Tiberii ſimilibus inertia pro ſapientia eſt. *Ex nulla re major ſecuritas, quam inertiâ.* (*Tacit. in Agric.*) Dicam alibi.

Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentiô transmiſit.] fulmina nubium denſitatem difficiliùs eluctantia violentiùs cadunt.

Ejuſque curatiſſimis precibus protegeretur.] Celſæ in aulis poteſtates, videntes incitationem Principum ad multorum augeri diſcrimina, maturitate & conſilio iras mollire debent, non adverſando jurgandoq; cùm parùm congruit, ad rabiem evibrare eas. Quemadmodum Galli Cæſaris uxor, Megæra quædam mortalis, inflammatrix ſævientis aſſiduè, humani cruoris avida, nihil mitiùs quàm maritus, ſtridebat in exitium multorum præceps: cum

eum

eum potius lenitate fœmineâ ad veritatis humanitatiſque viam reducere utilia ſuadendo deberet; ut in Gordianorum actibus factitaſſe Maximini truculenti illius Imperatoris legimus conjugem. (*Marcellinus lib.* 14. *hiſtor.*)

Neque populus ademptum jus queſtus eſt, niſi inani rumore:) ſimile eſt, quod ſuprà dixit Tacitus: mortuo Auguſto paucos bona libertatis *incaſſum* diſſeruiſſe: & alibi; Monnium ſeditioſos milites in hyberna reduxiſſe, *turbidos, & nihil auſos.* Ita ferè ſemper, ubi capita ducesque deſunt. Nullum ex inani queſtu & murmure vulgi periculum eſt. Nihil unquam agere, nihil edicere, aut ſtatuere Reges poterunt, quod quidam ex populo non improbent & carpant; ſed inani rumore.

Intermiſerat ſolita munia.] militares ſeditiones plerumque ex otio, abundantia, & ſolitorum munerum intermiſſione oriuntur. (*Polybius lib.* 1.) cu-

jus exemplum hîc eſt in Pannonicis legionibus: qvas ſeditio inceſſit, nullis novis cauſis, niſi quòd vacabant aures peſſimorum hominum ſermonibus, *& mutatus* Pr*inceps licentiam turbandi, & ex civili bello ſpem præmiorum oſtendebat*: Inde miles luxum & otium cupere, diſciplinam & laborem aſpernari. Continuo igitur labore ſubigendi ſunt milites; etiam in ipſo otio. Otii vitia negotio diſcutiuntur. Quo intuitu vallum, foſſas, pabuli, materiæ, lignorum adgeſtus adverſus otium caſtrorum excogitata Tacitus ait. *(infra hoc libro.)*

P*rocax lingua.*] cujus farinæ homines alibi Tacitus *pravè facundos* appellat: ſeditionum fomenta, imò cauſæ. Vt non ſine ratione rerum potentes odio habeant illos, qui verborum potentes & in vulgus gratioſi habentur.

Niſi novum & nutantem adhuc P*rincipem precibus, vel armis adirent.*) Plerumqve novi Domini importunis poſtulationibus obruuntur, & parùm in

tempo-

tempore incipientes eorum curæ onerantur. Sed prudentes Principes in illo regnandi exordio, & fortunæ dementamento nihil concedent, cujus eos pòſt pœnitere poſſit. Congratulationis illa tempora ſunt, non negotiorum.

Enimverò militiam ipſam gravem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari. hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſævitiàm Centurionum, & vacationes munerum redimi. at hercule verbera, & vulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem, ſempiterna.] hæ qverelæ haut vanæ juſtiùs à noſtris militibus uſurpari poſſent. Veteres certa ſtipendia, prædæ partem, munera ducum, Imperatorum donativa habebant; noſtri poſt ſanguinem fuſum, poſt truncos artus, cùm non egenæ tantùm vitæ ſubſidium, ſed & præmia fortitudinis ſuæ invidenda meriti eſſent, ſtipem oſtiatim petentes conſpiciuntur. Lachrymabile & miſerandum hodiernæ militiæ dehoneſtamentum!

mentum! infelix documentum ingratitudinis Principum! Et nihilominus ubi primùm ſtrepit tympanum, concurrunt miſelli, ignoti inter ſe ignorantesque; purgamenta urbium ſuarum, guloſi, maximi mulierum mœchi, laborum fugientes; nomina ſua in militiam profitentur; non ſanè quòd alios præda onuſtos domum reduces viderint, (quippe maxima pars aut in illo carnis humanæ macello cæditur, aut nudo corpore, detritis tegminibus, & gladio in ſcipionem mutato redit) ſed ſive fatali vecordiâ, ſive ignaviâ eunt; non in hoſtem, ſed *hoſpitibus tantum metuendi* (*Tacit. 3. hiſtor.*) & in ruſticorum gallinaria egregiam pugnam edituri.

Peteretque militibus miſſionem ab ſexdecim annis. cætera mandaturos ubi prima proveniſſent.] Prudenter in hoc quidem militum vulgus. Inconſulti hominis plura ſimul petere. Præterquam enim quòd qui rogatur, offendi poteſt, in

in ejus quoque arbitrio erit, ex multiplicibus precibus, negatis, quæ profutura, leviora concedere. (*Bocc.* 2, *c*.81.)

Ad terrorem cæterorum adfici verberibus] quæ remedia ſint in rebelliones, alibi tradidi.

Triſtiſſima quæque maximè occultantem.] Neceſſaria cladium & rerum adverſarum diſſimulatio eſt. Solet enim vulgus improſperis æquè ac proſperis immodicum, ſpe, metu turbari; principi, magiſtratibus caſus, etiam qui nullâ humanâ ope provideri potuerunt, adſcribere: tributa, bellorum nervos, recuſare. Quæ ut vitentur, & recentibus conſiliis lapſa reſtaurentur, neceſſariũ eſt, ſupprimere atrocia. De Galliæ quibuſdam civitatibus Cæſar teſtatur (6. *de bell. Gall.*) habere legibus ſancitum ſi quis quid de Rep. à finitimis rumore aut famâ acceperit, ut ad magiſtratũ deferat, neve cũ alio communicet; quod ſæpè homines temerarios atque imperitos

tos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum ſit. Magiſtratus, quæ viſa ſunt, occultant, quæque ex uſu judicaverint multitudine produnt. Alexander quoque Magnus dicitur acceptâ clade mortem denunciaſſe his qui acta vulgaſſent. (*Q. Curt.* 7.) Et Scipio ab Syphace legatos, fruſtrà auxilium à ſuo Rege expectari nunciantes, eàdem lætitiâ excepit & dimiſit, ac ſi optata nunciaſſent; ita ut milites in propinquo auxilia eſſe, & legatos reverti, ut maturarent, arbitrarentur. (*Liv.*) Aliud exemplum ſuppreſſi de infelici Africana pugna & nece Sebaſtiani Regis nuncii extat apud Coneſtaggium in hiſtoria belli Luſitanici (*lib.* 2.) Ita tamen mala diſſimulanda ſunt, ut interim remedia malorum quærantur. Secus ſi fiat taciturnitas malorum nutrimentum erit: ut eam vocat caſtiſſimus amorum ſcriptor. (*Heliodor.* 4. *Æthiopic.*) Quemadmodum Vitellius, fractis ad Cre-

Cremonam ſuis partibus nuncios cladis occultans, ſtultâ diſſimulatione remedia potiùs malorum, quàm mala diſtulit. Conſultanti vires ſupererant, ſpesque: ſed è contrario læta omnia fingens, falſis ingraveſcebat. (*Tac. 3. hiſtor.*)

Addendum hîc eſt illorum Principum conſilium, qui literas hoſtium, quibus militum civiumve fides ad ſcelus ſolicitabatur, ſupprimere tutiùs judicarunt. Sapienter omninò! Etſi enim ſatis benevolentiæ & fidei ſuorum confidat Princeps: tamen non ſunt imbuendæ aures promiſſionibus, & corruptionibus. Patet vel unius inſidiis vita; nihil nefas avaritiæ eſt. Quod ſi verò plurib. innotuerit proditionis merces, in parte conſilii erit Eumenis Regis factum. Epiſtolæ ſparſæ erant totis caſtris, quibus, qui Eumenis caput ad Antigonum detuliſſent, maxima præmia definiebantur. Eumenes vocatis ad concionem militibus primò gratias egit,

egit, quod nemo inventus eſſet, qui ſpem cruenti præmii fidei ſacramento anteponeret, deinde callidè ſubnectit, confictas has à ſe literas ad experiendos ſuorum animos. Hoc facto, & in præſens dubios fidei deterruit, & in futurum providos, ut, ſi quid tale accidiſſet, non ſe ab hoſte corrumpi, ſed à duce tentari arbitrarentur. (*Iuſtin.41.*)

Nullis certis mandatis] Varii adeò, & incerti rerum eventus ſunt, ut plerumque pravis ſucceſſibus maximarum rerum momenta vertantur, quæ nullis humanæ prudentiæ ratiocinationibus antę videri queũt. Ut inde ſatius ſit, miniſtros Principũ nullis certis mandatis ex re capturos conſilium ad negotia dimitti. Quod in bello, ducibuſque maximè opus eſt. C. Cæſaris hæc apud Dionem (lib.38.) verba ſunt: quibus domi ſedentibus movetur bellum, ita ut querelæ initiò per legationes fiant; utique tunc neceſſe eſt, de eo deliberari, & ſciſci, deinde exercitus & imperatores

mit-

mitti: ſed quæ jam egreſſis eductiſque copiis bella exoriuntur, ea non in diſceptationem, adducenda, ſed tanquam ipſa neceſſitas approbaverit, juſſeritque antequam ingraveſcant præoccupanda ſunt. Hoc modo Romæ poſtquam interveniente SCto populus bellū ſemel decreviſſet, ejus adminiſtrandi poteſtas Conſuli tradebatur: Senatus ſibi pacis tantùm firmandæ jus reſervabat, cætera in imperatoris poteſtate erant; dimicare, aut abſtinere pugnâ, obſidere urbes, ſolvere obſidia, & quæ ſunt his ſimilia. Itaque Cæſarem Tranquillus ſcribit, regibus atque provinciis per terrarū orbem aliis captivorum millia dono obtuliſſe, aliis citra Senatus populique auctoritatem, quò vellent, auxilia ſubmiſiſſe. (*Suet. in Jul c. 21.*) Quod ſi Senatus conſuli ſe ab Imperatoribus de ſingulis belli actibus voluiſſet, minore utique curâ & induſtriâ ea curaſſēt, quæ ad victoriā faciebāt: quod & rei benè geſtæ gloriam & cladis infamiam cū Senatu com-

communem habituri fuiſſet. Et cum nullâ minùs, quam, quâ putatur, viâ procedat bellum(*Thucyd.* 1.) & multa, quæ nunc non apparent, ex intervallo bellum aperiat: (*Liv.* 28.) evidens eſt, neminem emergentibus caſibus commodius rectiusq; ſtatuere poſſe, quàm qui præſens negotiis intereſt: amittiq; rerum gerendarum occaſiones, ſi hinc inde mittendo Senatus aut Principis exquiratur voluntas. Olim in Rep. Florentina & Venetiis hodie (*P. Iuſtinian.* 6.*hiſtor. Venet. Thuan.* 47.) qui ad bellum mittuntur non ſuis relinqvuntur conſiliis: ſed arbitrium de ſumma re certis finibus circumſcriptum domo ſecum afferunt in caſtra; ut ſæpè ne quidem tormenta bellica illi ad feriendos muros, vel aliô locô, modôve aliô collocare audeant, quam quô mandatum ipſis eſt: nec niſi graviſſima defuncturis pœna juſſa Senatus tranſcendere licet. Quod ut ſalutare eſt in iſto Optimatum ſtatu, ita egregias benè gerendæ rei occaſio-

caſiones ſæpè corrumpit. In populari ſtatu tardior adhuc conſultantium conſenſus, & ex eo difficilior placitorum executio eſt. Res gerendæ hæc duo, celeritatem & ſilentium poſcunt; quorum utrique inimica eſt multitudo. Florentini pro hujus mali remedio habuerunt, ex omni civium numero præſtantes aliquot viros deligere, futuros rerum & conſiliorum bellicorum arbitros, ne ſingula ad multitudinem referendi neceſſitas eſſet. *Leon. Aretin. in hiſtor. Florentin.* (Et Senis aliquando 18. Viri cum liberrima poteſtate conſtituti, qui belli negotia procurarent. (*Orland. Malavol. 4. hiſt. Sen.*)

Magnâ apud Tiberium *auctoritate, rector juveni, & cæteris præmiorum periculorumque oſtentator.*] Varia ſunt artium vitæque genera, quorum quodque ſuos habet cultores ac veluti myſtas. Peritus quis eſſe poteſt artis medendi, aliarum rudis: & qui ſcitiſſima carmina ſcribit, eum artium Reip. gerendæ im-

E peri-

peritum eſſe, haud rarum eſt. Præcipua igitur rerum cura eſſe debet; quemque miniſtrorum iis adhibere negotiis, ad quæ natura & inſtitutione facti ſunt: exemplo Conſtantii Imperatoris, qui neminem in regia rebus gerendis repentinum adhibuit, ſed qui poſt decennium officiorum magiſterium, vel largitiones vel ſimile quippiam eſſet recturus; apertiſſimè noſcebatur. Et valdè rarò contigerat, ut militarium aliquis ad civilia regenda tranſiret; contraque non niſi pulvere bellico indurati præficiebantur armatis. (*Ammian.* 21.) Et ut hic laudem, ita notam meruit Ludovic. XI. Franciæ Rex, quòd Sartorem pro Feciali, pro legato tonſorem, Medicum pro Cancellario haberet. (*Bodin.* 6. *de Rep.*) Conſtantinopoli pontifex aliquando fuit (Patriarcham dicunt) literarum & omnis ſcientiæ adeò rudis, ut ne elementa quidem literarũ pingere ſciret: ſed quòd Oeconomicæ ſolertiæ magiſter erat, & agros colere, plantare arbo-

arbores, curare vineas, ædificia ſcitè ſtruere norat, quicquid granaria quicquid cellas vinarias implet, ſolertiſſimè procurabat, ſummo ſacerdotio dignus fuit judicatus, peſſimo errore. (*Niceph. Greg.* 7.) Ludovic. Sforzia callidiſſimus alioqui Princeps, in eo tamẽ turpiter lapſus eſt, quòd Galeatio Sanſeverino perito utique equorũ domitori, ſed inexperto duci exercitus & belli contra Galliæ Regẽ curam cõmiſit. Quaſi idẽ ſit, generoſũ tractare equũ, aut in ludicris certaminibus haſtam frangere, & exercitibus præeſſe (*Guicciard.* 4. *hiſt.*) error etiam in Eugenio Papa notatur, quòd Balthaſaris Offidani operâ in maximis pace belloq; negotiis uteretur; hominis nullâ neq; prudentiæ neq; virtutis laude inſignis, quàm quòd, quo tempore Eugenius urbe profugerat, ipſe Hadriani molem cuſtodiviſſet, (*Pigna.* 6. *hiſt.*) Carolus V. Imperator ſuarum in Italia partium fortunam penè evertit, quòd Didacum Mendozam, ſummâ

apud ſe gratiâ, ſed imparem omninò tanto oneri rerum Italicarum procurationi admovit: documento Principibus, quàm perniciosſus ſit illorum error, qui in eligendis miniſtris magis gratiam quàm virtutem&meritum ſpectant. (*Io Baptiſt. Cin.3. de vita Coſmi*) Sebaſtianus Luſitaniæ Rex ab illis qui pueritiam, & juventam ejus rexerant, præter temeritatem & nimiam ſui confidentiam nihil didicerat. Se ſolum mirabatur; ſuas opes vireſque magnifaciebat. (*ſ. Coneſtag. in hiſtor. belli Luſit. Trajan. Boccal. cent. 1. c. 54.*) Imprudens juvenis, & non niſi magiſtris ſuis tractabilis, negotiorum, caſuumq; humanorum ignarus ſegni numero, quem armis oneraverat, & monachorum aliquot audaciâ Mauros debellari poſſe rebatur. Exemplum cæteris Principibus non de ſchola homines (quibus præcipua cauſa eſſe debet, intimare Principibus cœleſtis iræ timorem, commendare religionis cultum, expellere

ſcre animis cupiditates quæ Reges, ac Principes ſummis illecebris, præmiiſq; invitant ad peccandum; non è cathedra in tribunal, ex ſuggeſtu in publicorum negotiorum curam involare, & regnandi præcepta præſcribere, quæ in ſcholis tantùm libriſque ab omni negotiorum uſu ſemoti contemplari aſſueti ſunt) non hos, inquam, ſed egregiæ fortitudinis duces, & expertæ prudentiæ Senatores eſſe, à quibus Principum adoleſcentia ſit regenda.

Illi, quoties oculos ad multitudinem retulerant vocibus truculentis ſtrepere: rurſum viſo Cæſare trepidare.] Cauſa & Imperatorum majeſtas magna ſæpè in bellis momenta ſunt; & rebelles, quantumvis potentes, cùm ad ſuæ militiæ ignobilitatem reſpiciunt, animos demittunt.

Cùm arbitrium Senatus & patris obtenderet] Familiaris Principibus ars eſt, temporis lucrandi causâ pacem, fœdus, tranſactionem *ſpecioſis & irritis nomini-*

minibus jactare:(*Tacit.* 2. *hiſtor.*) homines ſuos mittere; qui ubi innexis ſtudio difficultatibus, aut conceſſis levioribus negotium eò uſque protelaverint, ut interim licuerit domino providere rebus ſuis, cùm ad cauſæ caput ventum eſt, non poſſe de eo ſine novo mandato agere, ajunt. Quomodo Carol. V. Imp. amicorum fœderatorumque deſideria ſæpè fruſtratus eſt, quòd illorum poſtulatis ſine Ordinum Imperii auctoritate ſatisfieri poſſe negaret. Ubi largiri flagitioſum, & negare periculum eſt; differre remedium eſt. Cætera dixi ad lib. 4.

Quòd is ante alios & gloria belli firmare Druſum credebatur.] Id fatum eſt omnium, qui in aulis plurimum auctoritatis habent, ut, ſive quod ita credant homines; ſive quòd ipſum Principem incuſare, plenum periculi arbitrentur, omniũ facinorũ reos agant gratioſos.

Vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes] Nulla res multitudinem

nem efficacius regit, quàm ſuperſtitio; alioquin impotens, ſæva, mutabilis, ubi ſemel religione capta eſt, meliùs vatibus, quàm ducibus paret. (*Q. Curt. 4.*) Hoc philtro dementarunt ſubjectos ſibi populos Numa Pompilius, (*Lactant. 1. divin. inſtit. 21.*) Scipio Africanus, L. Sulla, Q. Sertorius, Minos, Piſiſtratus, Lycurgus, Zaleucus, quod apud Valerium (1. c. 2.) legimus, qui cum Diis Deabuſve colloquium conſortiumque fingebant. Midas quoque Phrygiam religionibus impleviſſe dicitur, quibus tutior omni vitâ, quàm armis fuit. Sanè Polybius (lib. 6.) ridet ſuperſtiones, quas tamen ad retinendam in officio multitudinem accommodatiſſimas eſſe cenſet. Non putandum eſt, inquit idem, (lib. 10.) Lycurgũ adeo fuiſſe religioſum, ut in omnibus Apollinis conſilio uteretur, neq; Scipionem ſomniis & Deorum colloquiis inſtructũ fuiſſe: ſed hæc illi finxerunt, quod ſine Deorũ auſpiciis populum periculoſa auſurum,

& paradoxis fidem adhibiturum non credebant. Quod ſi tanta vanæ & falſæ ſuperſtitionis vis eſt, ut miſeros mortales eâ luſerint antiqui Principes, legumque latores, vel ipſe potiùs malus dæmon; quid non faciat in animis noſtris vera noſtra, ſanctaque religio? Sanctus ille terrarum ac ſyderum actor, ipſe unigenitus Summi Patris Flius à Spiritu Sancto in Virginis utero conceptus mortalitatis miſeriis ſpontè ſubjectus denique ſua morte (immane redemptionis pretium!) *in peccatis mortuis*, & ſub Diaboli regno captivis, vitam & libertatem peperit, ſibique æternorum aliquando gaudiorum, regnique cohæredes adſcivit. Hæc religio, hæc immenſi beneficii conſcientia non dulci amoris œſtrô abripiat humanas mentes? non irrequietâ quadam cupiditate nos teneat placendi tam magno amatori, tàm benefico patri? non pro cultu illius, pro aris tuendis in pulchra vulnera, decoramque mortem ruamus? Non humanæ

manæ fortitudinis, ſed à Deo inſpiratæ conſtantiæ fuerunt, quę, qui primi poſt Chriſtum vixerunt, pii homines pertulerunt. Prius carnifices tormenta defecerunt, quàm ipſos conſtantia. Ad equuleos, ad gladium, crucemque & cæteris mortalibus horribilia ſupplicia ipſi feſtinantes contendebant; calcantes abdicanteſque è contrario, quæ homines habent pretioſiſſima, honores, opes, gratiam cæteraque quibus ambitio aut avaritia pretium fecerunt. Hæc ſola, veraque religio rectrix eſt humanæ vitæ, juſti injuſtique norma, perturbationum gubernatrix, frænum in proſperis, in adverſis ſolatium, ſpes in dubiis, unica deniq; mentis domina. Cœca Gentilium ſuperſtitio, falſæque religiones, ut primo impetu à credulis prompte recipiuntur; ita ii aliis, qui eundem hamum objiciunt, capi faciles ſunt. Qui enim ſemel erroribus credere aſſueverunt, vani, mutabiles, infidi recentiſſimo cuique verſabiles animos

applicare ſolent. Ex diverſo noſtra religio uni firmiſſimo fundamento JESU Chriſto inædificata intellectum ab errorum tenebris, voluntatem à pravorum affectuum tyrannide liberat; deniqve ſola homini veram ergo Deum pietatem, in ſuperiores reverentiam, in æquales amorem atque benevolentiam infundit. Et abſq, hoc vinculo eſſet, quo hominum ſocietas maximè continetur: nec ferrô, nec cætera pœnarum acerbitate ſatis coercita foret improborũ licentia, aut tuta innocentia. Calliditas aut potentia peccantium omnia judicia aut eludant aut perfringant: conſcientia & cœleſtium minarum metus cohibent. Quis enim putet Sanctum Numẽ, quod omnium eſt origo virtutũ, & fas rectumq; mortalium animis ingeneratâ ratione præſcripſit, iis vitiis delectari, quibus paſſim naturam corrumpimus? Non poteſt hanc, quam cernimus, legem naturæ dodiſſe niſi juſtiſſimus auctor: juſtus autem ille non erit, ſi feret

ret abire impunè tot ſcelera. Ubi igitur amor recti,&ambitus gratiæ divinæ tetigit animum: nihil illi antiquius eſt, quàm recedere à vitiorum periculis, jã tot mortalium exitio infamibus. Carolus Magnus Imperator(exemplo monſtrandum eſt, quod de religionis vi dixi) cùm Saxonum pervicaciſſimos animos & nullâ unquam vi, nullâ pœnarũ ſeveritate fractos(exempli cauſa unâ vice ad terrorem cæteris injiciendũ quatuor mille,& quingentos,eoſq; dedititios ſevero & atroci ſupplicio ſuſtulerat) mollire non poſſet, non, ut prius, præfectos iis impoſuit, qui regiam poteſtatem ac vim referrent: ſed ut quamque partem bello denuò devicit, Epiſcopis à ſe creatis,hominibus piis ac religioſis aſſignavit, qui & docerent populum,& auctoritate potiùs ac nomine venerando, quàm imperii ſpecie præeſſent.Succeſſit conſiliũ:& ferro indomiti religioni ſuccubuerunt. (*Vbbo. Emm.*4.*hiſt.Friſic.*)Et ab omni ęvo bel-

lorum quantumvis impiorum cauſam prætenderunt homines religionem. Sua quiſque arma ſancta prædicat, ſuam cauſam religioſam. Deus, pietas, cultus divinus prætexuntur. Quibus ſanctis nominibus hodieque multi utuntur non alio fine, quàm ut unius populi animos dividant, inimicos debilitent, in ſociis Regnis ſibi factiones parent, & animum & amorem alii debitum ſibi furentur. Ferdinandus Aragonius Hiſpaniæ Rex omnes ſuas cupiditates colore religionis texit (*Guicc. 12. hiſt.*) Pipinus translato à Merovæi ſtirpe in ſe Franciæ regno; ut non magis invictas ipſius vires formidarent populi, quàm religionem revererentur, Stephanum Romanum Pontificem, à quo coronaretur, inungereturque Româ in Galliam traduxit. (*Paul. Æmil. lib. 2. de reb. geſt. Franc*) Apud Turcas caput ac princeps religionum Muphtis eſt à Rege delectus. Is magnam obtinet auctoritatem. Illum tanquam oraculum adeunt.

unt. Et quamvis præcipiendi atque imperandi jus nullum habet: tamen cuivis ex lege illum conſulere licet. Brevi reſponſo in oraculi modum, quid cenſeat, ſignificat; tantumque in eo ponderis eſt, ut illi contradicere ſit nefas. Grauiſſimis de rebus, quæ ad ſummam imperii pertinent, Rex juſtitiæ ac religionis opinionem affectans ab illo ſententiam poſcit: ut religione tactos populos ad ea, quæ animo meditatur, conficienda facilius flectat: licet is aſſentando plerumque propenſione Principis exploratâ, eam, quæ placere poſſit, ſententiam teneat. (*Lazarus Superant. in Ottom. M. Anton. Gratian. lib.* 1. *de bello Cypr. Andr. Mauroc* 4. *hiſtor. Venet.*) Sed hæc religionis improba oſtentatio nõ eſt nova. Ita enim Jeroboamum Regem novam introduxiſſe religionem ſacri libri tradunt, ne templi Hieroſolymitani, & antiquæ religionis majeſtas populos, qui ad ipſum deſciverant, regi ſuo reconciliaret. (3. *Reg.* 12.) Et

initio

initio belli Peloponneſiaci ſacrilegii Athenienſium vindices ſe profeſſi ſunt Lacedæmonii (*Thucid.* 1.) & Philipp. Macedoniæ Rex, dum velut è ſpecula libertati civitatum Græciæ inſidiatur, avidè arripuit Phocenſium ſacrilegium & expeditionis contra illos à civitatibus cæteris ſibi datum ſummum imperium; non tàm ſceleris ultionem expetens, quàm occaſionē quærens, qua victos victoreſq; pariter ſuo imperio ſubjiceret; quod & obtinuit facilè. (*Iuſt.* 8.) Et hoc quidem religionis mercimonium in profanis Ethnicorũ regibus prudentia videri poſſit; Chriſtianos autem Principes ea decet ſententia; timorem & amorem DEI OPT. MAX. feliciſſimā eſſe gubernandi populos artem; neque ſine ultimo ſcelere nomine divino abuti licere ad regendas ambitionis & avaritiæ nefarias artes.

Et quæ caſus obtulerat in ſapientiam vertenda ratus.) Omninò ſimile eſt, quod, qui novi Orbis hiſtoriam ſcripſere,

pſere, tradunt: Chriſtophorum Columbum populis illis, cùm lunæ defectionem prævidiſſet, cœleſtis iræ formidinē injeciſſe, eoſq; ſibi in omnibus obtemperantes feciſſe. Eſt viri, & ducis non deeſſe fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium. (*Liv.* 38.)

Etſi qui alii bonis artibus grati in vulgus. & paulò inferiùs: *commotis per has mentibus & inter ſe ſuſpectis tyronem à veterano &c.*] has & alias ſedandarum ſeditionum artes congeſſi ad lib. 4.

Fortioribus remediis agendum.] Benè conſultum hoc quidem in caſu; cùm militem ſuperſtitio urgeret, & per Druſi artes illi ſuſpecti diviſiq; inter ſe eſſent, ut non facilè denuò coituri viderentur. Cæterùm falli ſæpè vehementiorū ſuaſores conſiliorum, ex iis conſtat, quæ dixi ſuprà ad verb. *ne ipſis quidem, qui fecere laudatas* &c. Certè Blæſus, cū quoſdam ad terrorem cæterorum adfici verberibus, claudi carcere juſſiſſet, flagrātiorem inde vim fecit, & plures ſeditioni

tioni duces dedit. Valtherus Athenarum Dux, Florentinorum tyrannus, cum in ſe conjuratum reſciviſſet, unum ex ſuſpectis comprehendi juſſit. Unde cæteri arreptis armis illum urbe ejecerunt. Guilielmus Pazzus, cùm Aretinos defectionem parare præſenſiſſet, non libratis ſuis aut rebellium viribus inermis Aretium profectus, cum ex conjuratis unum carcere claudi juſſiſſet, à cæteris ipſe captus eſt.

Sublatis ſeditionis auctoribus.] v. s. ad verb. ne ipſis quidem qui fecere laudatas.

Terrere, ni paveant &c.] Plebs aut humiliter ſervit, aut ſuperbè dominatur. (*Liv. lib.* 34.)

Veniſſe tempus, quo veteranis &c.] hæc ſeditio ex iiſdem, quibus ſuperior, cauſis cœpit, quòd mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex civili bello ſpem præmiorum oſtendebat: & quod audito Auguſti fine, & initiis Tiberii duces ob juſtitium aut gaudium intermi-

miſerant ſolita munia. Ut indè ſuperiores notæ hîc nos à novo labore ſublevare poſſint.

Sua in manu ſitam rem Romanam &c.] v. quæ dixi ad lib 4.

Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quòd neque disjecti vel paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcerent, pariter ſilerent; tantâ æqualitate & conſtantiâ, ut regi crederes.] Piraticum bellum à Pompejo Magno confectum glorioſiſſimis ejus facinoribus connumeratur, quod piratæ certis legibus inter ſe adſtricti, & ut Dio Caſſius ſcribit, veluti Remp. quandam habebant. Et ſuperiori ſeculo magna atque implacabilis militum Hiſpanorum in Belgio ſeditio habita, cùm illi diſtributis muniis caſtrenſibus ſub certis ducibus leges ordineſque ſibi ſtatuerent; quibus inter ſe obligarentur.

Quantò ſummæ ſpei propior, tantò impenſius pro Tiberio niti.] Ambigo, bonita-

nitate & certo animi conſilio an metu recuſaverit imperium Germanicus. Ut ſanè ab omni crimine abfuerit, non tamen ita ſe geſſit, ut non ſuſpectare de eo Tiberius debuerit. Civile ingenium, mira comitas, indulgentia, liberalitas, Cæſaris virtutes fuere; (ſi tamen virtutes ſunt, quibus patriæ libertatem ſubvertit.) quas in Germanico Tacitus & alii laudant. Aſperum eſſe, ſeverum inexorabilem militaribus flagitiis Hannibal, Corbulo, aliique quorum intemerata fuit fides, duces prætulerunt. Cùm in Orientem Germanicus à notis exercitibus traductus eſſet, multa tùm quoque grata in vulgus uſurpavit; ſine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Grecis amictu. Quid? quòd contra Auguſti inſtituta, non ſponte Tiberii, Alexandriam introiit; (*Tac. infra lib.* II.) quòd Agrippina compreſſit ſeditionem, cui nomen Principis obſiſtere non potuit? non ſimplices eæ curæ ubi fœmina manipulos intervifit, ſigna adit,

adit, largitionem tentat (*infr. hoc lib.*) ſuſpecta quoque popularitas fuit, ambitiosè filium ad concilianda vulgi ſtudia gregali habitu circumferre, Cæſaremque Caligulam appellare. Denique capitalis imprudentia fuit, de ſuo miſſionem, ſtipendia, præmia militibus largiri, quæ non accipi niſi à Principe, aut Principis nomine par eſt. Ut inde Proculus quidam apud Am̃ianumMarcellinum. (*lib.* XV.) Sylvanum neceſſitate compulſum principatus inſignia ſuſcepiſſe ex eo arguat, quòd paulò antè donatum ſtipendio militem, Conſtantii Imperatoris nomine allocutus ſit, fortis eſſet & fidus, unde apparuiſſe, ſi præſumere fortunæ ſuperioris inſignia conatus eſſet, auri tam grave pondus daturum fuiſſe ut ſuum. Iulianus quoq; quòd petenti cuidam gregario, ut barbam detonderet, dediſſet aliqvid vile, calumnias multorum effugere haud potuit. (*Ammian.* XVII.) Deniq; Gonſalvus Magnus, quòd præmiis & largi-

tioni-

tionibus favorem Regi debitum ſibi quæſiviſſet, gratiâ illius excidit. Ut non vano metu Tiberius, ſi caſus daretur, auſurum Germanicum ſuſpectare potuerit: qui cùm Galliæ, Hiſpaniæ, Italia, quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerrent, armis modò & equis ad bellum ſumptis, propriá pecuniâ militem juvit. Fidus ſanè fuerit: prudens certè non fuit, qui tantas affectati imperii ſuſpiciones præbuit, aut cùm ſemel cœpiſſet, non complevit. Omne conſilium tepidum in iſto caſu capitale eſt. *Nullus in eo conſilio cunctationi locus eſt, quod non poteſt laudari niſi peractum* (Tac. I. hiſt.) *Privatis cogitationibus regreſſus eſt: & prout velint plus minùſve ſumitur ex fortuna. Imperium cupiẽtibus nihil medium inter ſumma aut præcipitia.* (Tacit. II. *Hiſt.*) Regna non in rem actione civili vindicantur, non tribus Prætoris verbis adjudicantur, ſed cruentis plerumque judiciis repeti ſolent: in quibus actio bellum eſt; judex gla-

gladius, probatio victoria; ſententia deniqve & rei judicatæ executio mors aut ſervitus. Alii homines ut veſtes, ſic honores & dignitates, impunè induunt, exuuntque: regna non niſi cum vita deponuntur. In ſolium intrantes caput inferunt: inde niſi protractus pedibus efferri non poteſt.

Arguere Germanicum omnes, quòd non ad ſuperiorem exercitum pergeret.] Et fortaſſis ſeditioſus exercitus hoc modo à Duce velut pro derelicto habitus, agnito dedecore ad ſanitatem rediiſſet. Certè Alexandro Magno ſimile huic conſilium proſperè ſucceſſit. Poſtquam enim à ſeditioſis cognitum eſt, Perſis ducatus datos, barbaros in varios ordines diſtributos, atque Macedonica iis impoſita nomina, ſe verò ignominioſe penitus rejectos eſſe; non jam amplius conceptum animis dolorem perferre potuerunt; ſed concurſu in regiam facto, interiori duntaxat retentâ tunicâ, arma ante januam pœnitentiæ ſignum,

gnum, projecerunt; ac prę foribus ſtantes intromitti ſe, ſibique ignoſci ſuppliciter atque flentes orabant, utq; Rex ſuppliciis ſuis potiùs ſaturet ſe, quam contumeliis. Ipſos niſi veniâ impetratâ non diſceſſuros. (*Quint.* C*urt.* 10.) Alphenus Varus præfectus caſtrorum in exercitu Vitelliano ſeditionem militum compreſſit, vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur. Inde torpere cuncti, circumſpectare inter ſe attoniti, & id ipſum, quod nemo regeret, paventes, ſilentio, patientiâ, poſtremò precibus ac lacrymis veniam quærebãt. (*Tacit. 2. hiſt.*) Julianus Cæſar turbas militares minitando diſceſſurum ſe ad vitam privatam ſedavit. (*Amm. lib.* 25.) Deniq; ipſe Germanicus, cùm uxorem tantùm & filium in Treveros mittere pararet, movit truces militum animos, *nihil æque flexit*, ait Tacitus, *quàm invidia in Treveros, &c.*

Quia plerumque ad conciliànda vulgi ſtudia

ſtudia eo tegmine pedum induebatur.] Nihil præter virtutem & vitium magnoperè nos moveat in noſtris vel externis gentibus. Ridemus quidem plerumque aliorum populorum veſtes; ſcilicet nec dum ex animo imagine noſtræ conſuetudinis deletâ. Sed cùm ipſo tempore iis placemur: apparet non ipſo vitio, ſed ignoratione noſtrâ diſplicuiſſe primùm viſa. Hominis igitur prudentis eſt, tranſire in mores & veſtitum illorum, cum quibus verſatur, et inde laudatur Alcibiades in veſtiendo, convivando, converſando accommodaſſe ſe genti, cum qua erat; hacqve comi facilitate gentium regumque amorem ſibi conciliaſſe. Ubi Athenis degebat, jocis, ludis, equis domandis, & reliquæ urbanæ lautitiei ſtudebat: Lacedæmone, quicquid molle fuerat, in Spartanã duritiem mutabat. Cum Thracibus pugnando & bibendo vitam agebat. Apud Perſas deliciis & luxu nulli cedebat. Hippolitus Medices Clemẽtis VII. Põtificis

tificis in bello Hungarico legatus Hungaris peracceptus erat, quòd interdum equo ad ipſorum morem inſtrato, ipſe quoque Hungaricè veſtitus, obequitaret.

Pœnas de ſingulis in hunc modum exercuit.] Iſte mos puniendi noxios per commilitones noſtro ævo reductus videtur. Solent enim rei plerumque à commanipularibus ſclopetis trajici, militari vocabulo *archibugiare* vocant. Iſtius quoque bellici moris apud Ammianum mentio fit, (*lib.* 29.) His verbis: priſco more militibus dedit occidendos.

Vt avellerentur caſtris] ſimili conſilio Alexander Farneſius ſedatâ periculosâ illâ Hiſpanorum militum ſeditione, eos confeſtim in Galliam axilio fœderatis miſit; ne reliqua quoque caſtra contagione inficerent.

Vbi avaritiam aut crudelitatem conſenſu objectaviſſent, ſolvebatur militia.] O ſalubre inſtitutum! quod ſi ſervarent

non

non in caſtris modò, ſed & togatis officiis noſtri Principes, næ pauciores habituri eſſent, furti, peculatus, & concuſſionum reos judices & præfectos. Sed alibi locus commodior erit dicendi, quibus remediis judicantium pravitas coërceri queat.

Immotum adverſus eos ſermones, fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque ſe remque publicam in caſum dare.] Prudentis eſt, non modo non periculis & labore, ſed nec infamię timore & vanis rumuſculis à conſtantia dimoveri. Stultus meritò haberetur, qui Julio menſe iter faciens non ferret locuſtas ſtridentes. Hoc intuitu apud Thucydidem (lib. 1.) Archidamus ſuos Spartanos laudat, quod eorum, qui adulationibus laudibuſque eos ad pericula concitarent, blandimentis non moverentur; nec eorum, qui pudore illos & doloris ſenſu inflammare tentent, verbis à propſita morum conſtantia dimoverentur. Quincti Fabii præcipua

pua laus eſt, quòd quamvis vulgi rumoribus timidus & ignavus argueretur, tamen à ſententia, quâ cunctando Hannibalem vinci poſſe ſperabat, abduci ſe minimè paſſus eſt. Memorabilia ſunt verba, quibus Æmilio Coſ. ad bellum proficiſcenti, adverſus ſiniſtram interpretationem firmitudinem perſuaſit; Duobus ducibus ajebat, unus reſiſtas oportet. Reſiſtes autem adverſus famam, rumoreſque hominum, ſi ſatis firmus ſteteris, ſi te neque collegæ vana gloria, neq; tua falſa infamia movebit. Gloriam qui ſpreverit, veram habebit. Sine, timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli vocet. Malo te ſapiens hoſtis metuat, quàm ſtulti cives laudent. Et ab tali conſtantia profecta ſunt illa Quinctii Cincinnati verba: Vellem equidem vobis placere, Quirites, ſed multo malo, vos ſalvos eſſe, qualicunque erga me animo ſitis futuri. Militum maximè liberioribus vocibus dux ſuccenſere, nõ de-

debet. Etſi enim vel in agmine deficiētis, & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo ægri aliqua vox aſperior eſt excepta: merētur tamen fortibus factis, ut ea debeat dux tempori magis imputare quàm animo. Cùm quid accidit triſtius, omnes rei ſūt; corporibus ſuis, qui utiq; non oderunt, infeſtas admovēt manus: parentes liberis occurrant, & ingrati & inviſi ſunt. Contrà cum donis onerantur, cum præmiis onuſti revertuntur, quis ferre militares animos poteſt; quis illam alacritatem continere? Militantiū nec indignatio, nec lætitia moderata eſt. Ad omnes affectus impetu rapiuntur; vituperant, laudant, miſerentur, iraſcuntur. Sed omnes cogitationes, omnes inter ſe loquentium voces, ſignum tubâ datum componit. In ſuos quiſque ordines currit, & quicquid irarum in tabernaculo conceptum eſt, in hoſtium effunditur capita. Et propterea Joannem Comnenum contemptu & ignoran-

tiæ ſimulatione militum murmura proſecutum ſcribit Nicetas Choniates (1. *Annal.*) Cæterum de tota hac quæſtione, num Principi conveniat ferre de ſe loquendi libertatem, doctiſſimi Fratres tractant, Scipio & Albericus Gentiles; alter in diſputatione ad titulum Codicis Juſtinianei, *Si quis Imperatori maledixerit*: alter in ſecundo de conjurationibus. Quibus adde Cremutii Cordi orationem apud Cornelium noſtrum. (4. *Annal.*) Variè enim, ut Principum ingenia vel mitiora fuere, vel ſeveriora, linguæ violentia, temeritasque verborum vel contempta vel punita fuit.

Non omittere caput rerum] Erat Roma caput & ſedes Imperii orbis æterna. (*l.* 3. C *de Conſ.*) Unde ab Ammiano Marcellino Urbis æternæ glorioſo inſignitur titulo: à Martiali terrarum Dea gentiumque; à Tullio tertia Catilinaria, arx gentium; in diſſertatione Hadriani Imperatoris & Epicteti, fons imperii

rii orbis terrarum, mater gentium, regum poſſeſſio, Pacis æternæ conſervatio dicitur. Erat in illa urbe Capitolium, ſedes Jovis, Palladium, & Ancile, imperii pignora. Et inde jus petierunt gentes, nationeſque univerſæ. Ibi, nec alibi Orbis Dominum fieri poſſe diu populis omnibus perſuaſum erat: & evulgato hoc imperii arcano, poſſe etiam alibi quàm Romæ Cæſarem fieri (*vid. Tac.* 1. *hiſtor.*) à Senatu in exercituum furioſam libidinem & inſanas licitationes poteſtas legendi Imperatores ipſius imperii exitio tranſiit: nec tamen uno momento. Plerumque enim grande momentum in nomine Urbis & prætextu Senatus ineſſe putabatur. Inde Otho ad milites (*infr.* 1. *hiſt.*) concionatur: *Senatus nobiſcum eſt; ſic fit, ut hinc Reſp. inde hoſtes conſtiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus, & terris & congeſtu lapidum ſtare creditis? Muta iſta & inanima intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt: æternitas re-*

rum & pax gentium, & mea cum veſtrâ ſalus incolumitate Senatus firmatur. Hũc auſpicato à parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum & à Regibus uſque ad Principes continuum & immortalem ſicut à majoribus accepimus, ſic poſteris tradamus.

Hæc reverentia, quæ erga metropolin civibus ingenerata eſt, Principem movere debet, ut non niſi extremis urgentibus neceſſitatibus regiam urbem, quæ veluti cor eſt unde reliqua membra vires accipiunt, deſerat. *Neque enim decorum Principi, ſi una alterave civitas turbet omittere urbem, unde in omnia regimen.* (*Tacit.* 3. *Annal.*) Quæ ratio eſt, ob quam Tiberius ire & opponere tumultuantibus legionibus majeſtatem imperatoriam noluit. Diverſi conſilii ſtoliditatem evidenter monſtrat Uguccionis Fagivoli infelicitas. Is cùm Piſis pranderet, Lucam à ſe defeciſſe audivit. Cùm igitur properè conſcenſo equo præſentiam ſuam rebellibus

bus opponere vellet, vix egreſſus urbe, aliâ rebellione Piſas quoq; amiſit: (*Author. vitæ Caſtrucii Caſtrac.*) adeoque uno prandio, (quod deinde Canis Scaliger falsè dicebat) duas urbes abligurivit: (*Orland. Malavolt. in hiſt Senens.*) Certè ſedis Imperatoriæ in Orientem à Conſtantino facta translatio, verſus Occidentem provincias hoſtibus nominis Romani proſtituit. Illæ enim quaſi pro derelictis habitæ barbaris animos fecerunt, ut velut vacuam poſſeſſionem apprehendentes obvia quæque invaderent. (*Leon. Aretin.* 1. *hiſt. Flor. Io. Bapt. Pig.* 1. *hiſt. Ateſt.*) Cumque ſeculorum lapſu Germani (ad quos Imperii ſplendor pervenerat) vel ob expeditiones in Palæſtinam vel alias ob cauſas procul Italiâ degerent, & domeſticis curis abſtracti ad Italicarum rerum procurationem animum advertere non poſſent, extiterunt, qui domi prępollentes urbium ſuarum dominiũ occuparunt. Hoc modo Scaligeri Veronâ & Tarviſio,

Paſſerini & mox Gonzagæ Mantuâ, Garrarii Patavio, Turriani, & poſt Vicecomites Mediolano, Ateſtini Ferrariâ, Mutinâ & Regio Lepidi, alii aliis urbibus potiti ſunt. Clemens V. Pontifex nomen Pontificium & dignitatem Româ in Galliam tranſtulit. Inde in regno Pontificio repentè novi domini exorti ſunt. Malateſta Arimini, Ordelaphus Forojulii, Manfredus Faventiæ, Polentanus Ravennæ, Vicanus Viterbii, Ceſenæ Sinibaldus, Urbini Feltrius, Camerini Varanus, alii alibi dominationem occuparunt, Tanti Gallicana manſio Pontifici ſtetit. (*v. Leon. Aretin. & Scip. Amirat. in hiſt. Florent. Pign. in hiſt. Ateſt. Bernard. Corius in Mediol. hiſtor. Taurell. Saraina in hiſt. Veron. Hieron. Rubeus in hiſt. Ravenn. Flan. Blond. in hiſt. ab inclinat. Imp. hinc inde.*

Cui major è longinquo reverentia.] major alibi commoditas erit dicendi, quibus artibus Principes auctoritatem famamque ſibi concilient.

Quos

Quos igitur anteferres? ac ne poſtpoſiti contumelia incenderentur.] Octav. Farneſius cùm urbium ſuarum Parmæ & Placentiæ æmulationes ſciret, ne poſtpoſita altera contumeliâ incenderetur, nomen ſuum, ſicubi ſcribere neceſſe erat, hoc modo ſignaſſe dicitur; Octavius Farneſius Dux P. & P. Mamertini & Panormitani hodieque acerrimis ſtylis de Principatu inter ſe digladiantur? nec Rex ullô præjudicio horum illorumve intentionem probat, aut improbat. Conſentaneum eſt, iſtam contentiunculam inter duas regni Siculi urbos dignatione & opibus primas ſtudio foveri.

Adoleſcentibus excuſatum quadam ad patrem rejicere] vide quæ notata ſup. ad verb. Cum arbitrium Senatus & patris obtenderet.

Nam in pace cauſas & merita ſpectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxtà cadere.] Ubi tantum armorum corporumque ſub ſignis ſtabit, quis

cruori legem dicet, unde & quantus fluat? adde quæ notavi ſup. ad verb. *ad arma civilia actum &c.*

Et quidam bonorum caſi] Arma multitudini ſine moderamine tradita nunquam benè uſurpantur. Finis eſt, ſeditioſos, improbos coërcere: Quiſque publicæ vindictæ ſpecie ſuas injurias exſequitur. *v plura ad lib.4.*

Sex & viginti ſocias cohortes, octo equitum alas, quarum eâ ſeditione intemerata modeſtia fuit.] Auxiliarium ſociarumque cohortium intemeratam fuiſſe hac ſeditione modeſtiam Tacitus aſſerit. Ex quo verè affirmabo mixtos ex variis gentibus, ingenio, & linguâ differentibus exercitus ut facilè inter ſe in æmulationes conſurgunt, ita rariſſimè ſimul & uno conſenſu contra ducem aut ipſū principem moveri. Hannibal, cùm in hoſtium terrâ annos tredecim procul à domo variâ fortunâ bellum gereret, exercitu mixto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, nō lin-

lingua communis, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alii ritus, alii propè Dii eſſent, uno quodammodo vinculo ita illos colligavit, ut nulla unquam ſeditio extiterit. (*Liv.* 38.) Quod ſi verò contigerit, ut varium ejuſmodi exercitum rebellionum nefas contaminet: difficillimus labor eſt, eum ad officium revocare. Quod Carthaginenſes experti ſunt, qui, ut eſt apud Polybium, mercenariorum ſuorum rebellione in extremum perdendi ſtatus periculum venerunt. Notabo hic etiam ſingulare hoc præceptum politicum; in ſeditionibus aut conjurationibus opprimendis utendũ eſſe peregrino milite: ne linguæ commercio aut contagione factionis cum his hæreat, in quos armatur.

Feſtam eam Germanis noctem, ac ſolemnibus epulis ludicram.] Feſti dies, nũdinæ, nuptiæ, belli facinoribus & arcanis conjurationibus apta ſunt. Stilico Gothos paſcha feriãtes oppreſſit (*Æmil.* 5.) Primum Belgarum fœdus cõtra

Hiſpaniarum Regem in nuptiis Montignii factum eſt.(*Coneſtag.* 1. *hiſtor. de bell.Belgic.*) & Hugonotarum San-Bartholomæana cædes in nuptiis Navarræi peracta. (*Coneſtag.* 5. *de bell. Belgic. Thuan.*52.)

Profana ſimulet ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfana vocabant, ſolo æquantur] quod jure gentico adverſum fuiſſe videtur: quippe quo obſervatur, ut qui aliorum regionem cum armis ingrediuntur, templis in ea temperent.(*Thucyd.*4.) Sævire quidem, & hoſtium caſtella, portus; urbes, villas, naves, fruges devaſtare, aliaque his ſimilia, quibus illorum vires atterantur, noſtræ confirmentur, leges ac jura belli permittunt: ea verò deſtruere, quæ nec propriis rebus emolumenti quicquam afferunt, nec hoſtibus detrimenti, ut ſunt templa, porticus, ſtatuæ, aliaque hujuſmodi, rabioſi hominis eſt ac planè furentis. (*Polyb.*5.)

Nullo

Nullo metu, non antepoſitis vigiliis] ambitioſæ diligentiæ eſſet, quæ de vitioſa ſecuritate omnibus, in ore & calamo ſunt, hîc congerere. Mihi multas chartas impleſſe ſapientia non eſt.

Tiberium lætitiâ curâque affecere] v. ſup. ad verb. quantò ſummæ ſpei proprior &c.

Nec alia tam intima Tiberio cauſa, cur Rhodum abſcederet]. Adulteriis parari, & firmari regna quibusdam creditum eſt: (*v. quæ dixi infr. ad lib.* 3.) Præterea & quidam eodem fine conjugum reginarum compertam impudicitiam infami lenocinio toleraſſe leguntur. Iuliam filiam Auguſtus Cæſar Tiberio uxorem dederat, fœminam ultra fidem humanam laſcivam, effrenem, viri contemptricem. Grave quidem Tiberio erat ſufferre proterviam iſtam: ſed imperii Romani ſpes (immane tolerantiæ præmium!) & ne ſoceri animum à ſe abalienaret, ipſum oneri ferendo parem fecerunt. Ne tamen præſens ſuis ocu-

oculis intueri cogeretur illam contumeliam, quam neque vindicare licebat, neque ferre poterat, philoſophiæ & otii cauſa, ut ferebat, Rhodum ſucceſſit. Hæc prudentia vocatur. Ex diverſo Jacobum Borbonium ſtultitiæ arguunt, quod libidinis Ioannæ II. Neapoleos Reginæ, à qua regnum illud dotale habebat, ut privatæ feminæ admiſſa punire in animum induxiſſet, Unde & uxorem & regnum perdiderit. Ita judicant quibus *omnia ſerviliter pro dominatione* agere prudentis eſſe perſuaſum eſt.

Neque ipſe abhorrebat talibus ſtudiis.] Veteribus auctoribus celebrati Reges atque Reſpub. ludorum ſpectacula efficaciſſimum regnandi inſtrumentum habuerunt, & conſervandi pacem publicamque quietem, quam facilè conſervant inter ſe populi, quibus perpetuus lætitiæ ſol nullis adverſitatum nubibus impeditus (modò ne ad luxū, qui proſperis rebus inſinuare ſe ſolet, & ſecuritatem, prolabantur) affulget: & ex contrario

trario mortale conſilium prudentibus æſtimatur, infauſtâ trucique modeſtiâ velut cruci perpetuò affixos aut equuleo tenere populos. Sed in his omnibus modus eſſe debet. Tyrannidis mitiſſimum arcanum eſt, velle luxui eſſe deditos, quorum ferocia imperantium arbitrio obſtatura timetur: omnia indiſtinctè duella prohibere pœniſq; vindicare: in præcipuis urbibus ingentibus ſũptibus vaſta extruere theatra, amphitheatra, circos, lacus in quibus ſaltationes, venationes, ludi, naumachiæ exerceantur; quarũ rerum inſanâ dulcedine ubi ſemel ineſcatur vulgus, neq; reipub. curã ullam habere, neque militaris decoris, honeſti gloriâ tangi ſolet. Tũc omne quod vivunt vino & teſſeris impẽdunt, & luſtris; & voluptatibus & ſpectaculis; eiſque templum & habitaculum & concio & ſpes omnis Circus eſt maximus. (*Ammian. Marcellin.* 28.) Ita poſt Neronis mortem apud plebem ſordidam & circo & theatris ſuetam

ſum-

ſummum erat Neronis deſiderium; eoque pronior in Othonem favor, ut imitatione luxus Neroni ſimilem, (*Tacit.* 1. *hiſtor.*) Trucidato per inſidias Alexandro Florentinorum primo Duce, plebs de recuperanda libertate ne cogitavit quidem; mœſta, & rumorum avida; quod Alexander annonâ, ludis & omni popularitate cunctos in ſui amorem rapuiſſet. (*Cinus* 1. *de vita Coſmi*) Cyrus Lydis arma & equos ademit, cauponaſque & lenocinia exercere juſſit: & Ariſtodemus Cumanorum tyrannus civium ſuorum liberos ad viceſimum uſque ætatis annum fœminarum more educari juſſit, vagâ indutos & muliebri tunica, capillis calami ſtratis, capite ſertis redimito, omni denique habitu mulierem mentientes. (*Dionyſ. Halicarn.* 6. *Rom. Antiq.*) Iiſdem illecebris Scytharum animos ſibi devinxit Ioannes Comnenus Imp. (*Nicet. Choniat.* 1. *Annal. adde quæ de eadem gente ſunt, apud Niceph. Gregor.* 2. *hiſt.*) His non omninò

mninò abſimilia ſunt, quibus mitigandis Britannis uſum eſſe Cn. Agricolam ſcribit Tacitus; *ſequens hyems*, inquit ille, *ſaluberrimis conſiliis abſumpta: namque ut homines diſperſi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates aſſueſcerent hortari privatim, adjuvare publicè ut templa, fora, domos extruerent; laudando promptos, & caſtigando ſegnes. Ita honoris æmulatio pro neceſſitate erat. Iam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre: ut qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam habitus noſtri honor, & frequens toga paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum; porticus & balnea, & conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars ſervitutis eſſet.* Literarum ſtudia emollire, atque adeò effœminare animos credita ſunt. Gothi magnum librorum numerum, cùm jamjam ignem ſubjecturi eſſent, intactum reliquerunt; quòd illis ſtu-

ſtudiis hoſtes ſuos imbelles factos crederent. Catoni quoque ſolenne fuit dicere, Romanos tunc Remp. perdidiſſe, quando Græcas literas amplecti cœpiſſent. Idem auctor Senatui fuit, ut tres Oratores, qui nuper Athenis venerant, è veſtigio domum remitterentur; quippe verebatur, ne Romana juventus, ſcientiarum illecta dulcedine, à militiæ ſtudio & laboribus abſtraherentur.

Populum, per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.] Prudentes Principes nunquam ab uno extremo ad alterum tranſiliunt: de quo benè hic Amiratus; melius Malvezzus. Adde quæ ego ſuprà dixi ad verba: eadem magiſtratuum vocabula.

Civile rebatur miſceri voluptatibus vulgi.] dixi ad lib. 2. ad verb. prompti aditus, obvia comitas &c.

Nihil auſuram plebem, Principibus amotis.] periculoſa ſententia: quam expoſui, s. ad verb. proſcriptiones civi-

um

um &c. & ad verb. fortioribus remediis agendum.

Gener inviſus, inimici ſoceri quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos erant.] ita infr. (*lib. 4. hiſt.*) Julius Briganticus. ſorore Civilis genitus, ut fermè acerrima proximorum odia ſunt; inviſus avunculo infenſuſque.

Nam ſpes inceſſerat diſſidere hoſtem.] Populos inter ſe diviſos diſſentienteſque adoriri ſucceſſit interdum, ſæpè laceſſenti nocuit. Cogitanti mihi, quæ diverſi eventus cauſæ fuerint, ſuccurrit, vocatos ab alterutra diſcordium parte proſperè moviſſe, ſuâ ſponte alienam in ſe pugnam derivans ſuo ſibi, quod dicitur, jumento malum quæſiviſſe. Quippe primo caſu & noſtris & alterutrius partis armis ſociatis facilè eſt, infirmiores opprimere: & ea odiorum civilium rabies eſt, ut partiũ altera, quæ externos vocat, plerumque neglectâ propriâ ſalute, nihil quàm æmulorum exi-

exitium quærat. Adeò penatum & patriæ caritas civium diſſidiis concedit, ut everti patriam, ſibique alienum jugum accedere homines malint, quàm popularibus concedere. Exterorum præda eſſe præoptant, quàm cùm popularibus quietè agere: & quod ſuis viribus conſequi non poſſunt, excidio patriæ quærunt; peregrinis gentibus æmuliſque non magis ad bellum, quàm ad prædam & veluti patriæ poſſeſſionem accitis. Altero verò caſu, cùm utramque partium externus hoſtem habeat: non idem ſperari debet eventus. Imò probabilius eſt, deſcenſuros ad conſilium, quod unicum ad ſalutem ſupereſt, civilia odia ponendi, conjunctiſque viribus eundi in hoſtem: quem omnium libertati tendere inſidias, facilè omnes advertunt. Vejentes & Hetruſci cùm diſcordes Romanos aggreſſi eſſent, victi ſunt; Philippus Vicecomes Mediolani Dux ſæpiùs Florentinorum furoribus imminens, cùm ultrà

vicies centena millia nummum aureorum expendiſſet, nihil omnino profecit. Hiſpani, à Franciſco Galliæ Rege in ſuis finibus laceſſiti, confeſtim rebellionem ſæviſſimam animoſque ſuo Regi infenſos poſuere. (*Guicc.* 14.) De Gallis Chriſtophorus Morus homo civili prudentiâ quàm maximè inſignis dicere ſolebat; illos perpetuò inter ſe digladiari, ſeſeque mutuis vulneribus conficere: verùm cùm viderint, Hiſpanos inde occaſiones captare, ſuiſque commodis intentos, ſtatim in communè contra externum hoſtem conſpirare. (*Pet. Matth.*) Tutiùs igitur eſt, diſſentiente inter ſe una gente, quieſcere; dùm mutuâ ſe cæde conficiant. Ita miſeri patriam viris, armis, cæteriſque belli nervis exhaurientes tibi pugnabunt; nec deinde ſupervenienti reſiſtere poterunt. Conſilii quoque pars eſt debiliori parti occultè ſubmittere auxilia, ſed quæ trahendo in longum bello ſufficiant. Quomodo Alcibiades Tiſſaferni

ſua

ſua ſit, ne nimis enixè Lacedæmonios juvaret, quippe memorem eſſe debere, alienam ſe victoriam, non ſuam inſtruere eatenus bellum ſuſtinendum, ne inopiâ dɛſereretur. Nam Regem diſſentientibus Græcis arbitrum pacis ac belli fore; & quos ſuis non poſſit, ipſorum armis victurum. Domeſticis itaq; bellis Græciam obterendam, ne externis vacet; exæquandaſque vires partium, & inferiores auxilio levandos, commeatus maligne præbendos; claſſem regiam non totam mittendam; ne aut victoriam daret, aut neceſſitatem deponendi belli imponeret. (*Iuſt. lib.* 5. *hiſt. Xenophon.* 1 *hiſtor. Græc.*) Plura ex veteri hiſtoria non addo; ex nova unum. Cùm Piſtorienſes inteſtinis diſſenſionibus laborarent, & Florentini modò huic modo alteri factioni faverent; brevi eo res deducta eſt, ut Piſtorienſes pertæſi tot moleſtiarum ſponte ſe ſuaque omnia in Florentinorum poteſtatem traderent.

Bar-

Barbaris, quantò quis audacia promptus, tantò magis fidus, rebusque motis potior habetur] ita lib. 5. hiſt. *turbidus miſcendis ſeditionibus, & pleriſque gratus vecordi facundia.* & inf. eod. lib. *atrociora Inguiomerus* (ſuadebat) *& læta barbaris.*

Proditores etiam iis, quos anteponunt, inviſunt.] exempla vide apud polyhiſtores.

Gloriæ ac libertatis, quàm Segeſtem *flagitioſæ ſervitutis, ducem ſequerentur.*] adi ad notas ad lib. 3. verb. ob magnitudinem æris &c.

Cæcinam cum 40. cohortibus Romanis, diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amaſiam miſit] Hæc eſt illa noſtris moribus tantoperè laudata virium hoſtilium diviſio; quam ſatis apto vocabulo Diverſionem appellant: cum, ne unâ mole bellum igruat, nos quoque noſtris & fœderatorum viribus diſtributis, pluribus locis hoſtem laceſſimus: eique qui nobis bellum intulerat, domi

domi ſuæ negotium faceſſimus. Quomodo Romani, maximis ſuis neceſſitatibus, & extremis, cùm ab Hannibale non ſemel victi eſſent, dimiſſis, quibus ſummopére indigebant, exercitibus, ducibuſque, denique ſummâ ęrarii inopiâ, & in Italia, & Hiſpania, & Sicilia & Græcia uno eodem tempore cum Carthaginenſibus bellum geſſerunt. Quod ſane unicum ipſis ad ſalutem ſuperfuit conſilium. Demus ſane, fingamuſque Marcellum, & Scipiones, & ubique Carthaginenſibus oppoſitos milites in Italiam contractos: ſed tunc, & Sardinia & Sicilia in hoſtium poteſtatem concedebant; & ex Hiſpania Haſdrubali, quo minùs fratri auxilio veniret, nihil obſiſtebat, & Philippi Regis minæ impunitæ erant. Ita augeſcente vi Romana Hannibalis quoque arma potentiora fiebant; & fortuna pro Carthagine, Romanis adverſa. Conſultius igitur fuit Sardiniam & Siciliam ſervare; grande momentum, ſubjectæ forent

aut

aut hoſtes:tum auxilia, quibus deficientibus Hannibalem procul à patria in hoſtico bella cientem, ſine alia vi corruere neceſſe erat, ſuccidere. Sanè nullâ vi ex Italia abſtrahi potuit Hannibal, niſi cum Scipio, ille qui poſteà Africanus uſurpatus eſt, ipſam Africam patriamque hoſtium adortus eſt. Venetis quoque ſalutare fuit idem conſilium, Prœlio victi erant à Genuenſibus, ut Romani à Carthaginenſibus: & hoſtis urbi imminebat. Excidium ita depulſum eſt. Facto cum Bernabove Vicecomite fœdere, Genuenſes ſummâ vi domi ſuæ aggreſſi ſunt. Inde factum, ut, quæ ſuis, qui Foſſam Clodiam occupaverant, ſubmittere auxilia parabant Genuenſes, domi retinere cogerentur: & civitas in Venetorum poteſtatem rediret. Sed de his parcè dicendum mihi eſt, ne fortaſſis Hannibal aliquis me Senè Phormione dementiorem juvenem vocare poſſit. Plura dixit Paulus Paruta lib. 1. diſputationũ politicarum cap. 6.

Quadrageſimum id ſtipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat: ſecundarum, ambiguarumque rerum ſciens, eoque interritus.] Miratur Dio Caſſius Coccejanus (*lib.42. hiſt.*) hiſtoricus profectò prudentiſſimus, & immeritò à Juſto Lipſio in catalogo prudentiæ Doctorum (*in not. ad polit.*) præteritus, quid cauſæ fuerit, quòd Pompejus Pharſalicâ acie victus, neque priſtinæ virtutis, neque multitudinis illorum, qui prælio ſupererant, memor, neque eo ſecum perpenſo, quòd ſæpè leviſſimo momento fortuna illos, quorum afflictæ res ſunt, in integrum reſtituere ſoleat, animum deſponderit, & omnem omnino à ſe ſpem abdicaverit; cùm tamen ſuperioribus temporibus ſummâ animi conſtantiâ uſus bene ſemper in adverſis rebus ſperare conſueſſet. Cauſam dixerit, quamquam in alio ſubjecto Theophylactus Simocata, (1. *hiſt.*) his verbis; Φοβεραὶ αἱ μεταβολαὶ παρὰ τὰς ἐλπίδας συῤῥεύσασαι.

μετὰ

μετὰ γὰρ τῶν πραγμάτων καὶ τὰς γνώμας ἀμείβουσιν. i. mutationes inopinæ terrent animum, quando cum rebus ipſas quoque cogitationes & conſilia invertunt. Conſentit Polybius *(lib. 2.)* cujus hæc ſunt verba: multi ſunt, qui, quando de ſumma rerum decertaturi ſunt, ea tantùm ob oculos ſibi ponunt, quæ ex victoriâ commoda conſecuturi ſint; & ſvavi futuri boni titillatione ratiocinãtur, quàm jucundè illis bonis uſuri ſint: caſus verò ſiniſtros non conſiderant, nec quid in omnem eventum fieri debeat, ſecum animo volvunt. Inde accidit, ut multi, cùm victi eſſent, turpiter ſe geſſerint. Hæc Polybius. Et ipſe Dion in hanc ſententiam concedit. Pompejus, inquit, quòd multis modis ſe Cæſare ſuperiorem eſſe perſuaſum haberet, nihil omninò prævidit. Neq; enim idoneo loco caſtra poſuit; neque refugium ſibi, ſi ſuperaretur, paravit: cumq; rem extrahere, atque ita victoriam ſine prœlio obtinere poſſet (nã & ſingu-

lis diebus copiæ ejus augebantur, & rerum neceſſariarum copia ipſi ſuppetebat) tamen ſigna contulit. Unde factum eſt, ut præter opinionem victus, neque conſilium, neque ſpem fortunæ denuò periclitandæ capere potuerit. Idem ſcribit de Spartanis Thucydides (*lib.* 4.) Pylo & Cytheris prærer opinionem ab Athenienſibus occupatis, tanto in univerſum metu & ſtupore perculſos, ut non in commune conſulere, non congredi cum hoſte auderent; quicquid ultrà aggrederentur, infauſtum inauſpicatumque fore, inidoneo in bellis timore, augurantes. Quemadmodum autem improviſi caſus dejicere animum ſolent: ita repentina & inſperata felicitas plerumque in inſolentiam vertit. Ex quo ſequitur, eos qui variis fortunæ caſibus jactati & exerciti ſunt, *ſecundarum ambiguarumque rerum ſcientes*, neque adverſis in rebus omné ſpem abjicere, neque in proſperis quicquam de animi conſtantia remittere.

Non

Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui nunquam ſugillatus eſt. Ille qui fudit ſanguinem ſuum, cujus dentes crepuerunt ſub pugno, qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus; qui, quoties cecidit, contumacior ſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad certamen, (*Senec. Ep.* 13.)

Iuvit hoſtium aviditas, omiſſâ cæde prædam ſectantium) O quantum decus paratum erat, ſuperioribus annis noſtris exercitibus; cum ad Agriam profligatis Turcis etiam Imperatoris Ottomanici capiendi ſpes erat, niſi militum aviditas prædæ præproperas manus admoviſſet. *Obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen omiſſo hoſte ſpolia conſectandi.* Sed vanum eſt, exercitum nulla diſciplinâ imbutum, deſtitutum ſtipendiis tenere velle.

Fortè equus abruptis vinculis vagus & clamore territus quoſdam occurrentium obturbavit. Tanta inde conſternatio irru-

piſſe Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas &c.] Ludibria mortalium! quæ universa quidem vitæ temporа conditioneſque, ſed bellorum maximè fortunam nobilitant: in quibus una vox, aut nutus, aliave vanitas partium ſucceſſus mutavit. Aratus Achæorum Imperator cum quibusdam civibus de Cynætheorum urbe ſibi tradendâ pactus erat: & convenerat, ut ille inſidiis cum exercitu prope urbem lateret nec antè moveret, quàm in tumulo, qui ante portem erat, hominem palliatū, circa medium diei, conſpiceret. Id ſignum fore movendi. Venit Aratus, & conſcios exſpectat. Ecce autem circa qvintam diei horam, civis qvidam, cujus oves non procul urbo paſcebantur, paſtorem acceſſurus urbe egreditur, tumulumq; palliatus aſcendit, oculis paſtorem veſtigaturus. Aratus falſo ratus ſignum ſibi dari, properè imò præproperè ad urbem advolat; ſed excluſus portis omniq; ſpe, confuſus abiit (*Polyb.*

*lyb.*10.) Simillimum eſt caſui, qvi hîc à Tacito refertur, qvod ſcribit Paulus Æmilius in ſexto Hiſtoriæ Franciæ. Chriſtiani Ptolomaida obſidebant. Saladinus non procul à noſtrorum exercitu cum ſuis copiis conſederat. Pugnabatur; & ad noſtros inclinabat victoria, cũ quidam ex noſtris equitibus ante ſigna res gerens in pedes ſe excepit, & equus ſolutus in caſtra refugiebat. Sublato à circumſtantibus clamore, ut prehenſis habenis ſiſteretur, qui rem ignorabãt, de anteſignanis actum rati, ceſſerunt, & ſuâ fugâ reliquam turbarunt aciem. Arnulfus Cæſar Romam diu fruſtrà obſeſſam per occaſionem leporis forte in urbem refugientis cepit; Romanis ſtationibus ludicro hoſtium inſequentiũ clamore atq; impetu tanquam vero cõterritis. Hoc ſolum deerat, urbi Orbis terrarum victrici dedecus, ut à lepore capta diceretur. (*Sigibert in* Chron.) Peruſiæ olim duæ factiones erant in Oddos & Balionos diviſæ; hi ſuperiores, illi

exules. Sed cùm(quæ civilium diſſenſionum viciſſitudo eſt) una nocte quorundam conjuratione Oddi in urbem recepti eſſent, & in ipſorum manu eſſe victoria videretur; una vox eam illis eripuit. Obtinebat illorum temporum mos, ut publicæ civitatum viæ catenis noctu clauderentur. Præmiſerant igitur exules quendam è ſuis, qui clavâ ferreâ obices clauſtraque perfringeret. Qui cum inſequentium, ſeſeque mutuò prementium impetum non ferret, & multitudine penè obrueretur, ut retrocederent, exclamavit. Vox iſta cùm ad proximos initio, inde ad extremum quoque agmen perveniſſet: ita omnium animos fregit ut ab hoſtibus pelli primos rati, ſeque ad fugiendum moneri, effuſiſſimâ fugâ, quà venerant, abirent.

Hoſti facilè excidium, & paucos & ſemermos cogitanti, ſonus tubarum, fulgor armorum, quantò inopina, tantò majora offunduntur: cadebantque; ut rebus ſecundis

diu avidi, ita adverſis incauti.] Quamquam ſufficere poterant, quæ paulò ſuperius dixi; tamen & operæ pretium erit, quædam alia hic apponere, non aliena loco. Nulli in bello conatus feliciorem exitum ſortiuntur, quàm de quibus hoſtis minimè ſuſpicatur. Omne enim ſubitum hoſti formidabile eſt. (*Xenophon. 3. Cyropæd.*) Inde C. Cæſar hyberno tempore, & ut Tranquillus loquitur, ſpurciſſimis tempeſtatibus vel infido ſe æquori committere, vel alias ad expeditionem proficiſci ſolebat, quo incautioribus hoſtibus ſuperveniret. (*Dio Caſſ.*) Julius Agricola, cùm contra Monam inſulam pergeret, deficientibus navibus, depoſitis omnibus ſarcinis, lectiſſimos auxiliarium, quibus nota vata, & nandi uſus, quo ſimul ſeq; & arma, & equos regunt, ita repentè immiſit, ut obſtupefacti hoſtes, qui claſſem, qui naves expectabant, nihil arduum aut invictum crederent ſic ad bellum venientibus. (*Tacit. in Agric.*)

Recentibus exemplum eſt in hiſtoria Italica. Novaria oppidum à Gallis obſeſſum ab Helvetiis defendebatur. Sed cùm Altoſaxium celebrem bello ducem poſterâ die majori cum militum numero expectari ab hoſtibus Galli cognoviſſent, deſperatâ expugnatione caſtra ab urbe lapidem moverunt. Et ſanè ſpes erat victoriæ ob ſtipendiorum & commeatuum anguſtiam propinquæ. Verũ irrita facta illa eſt facinore Mottini, unius è tribunis Helvetiorum, ob audaciam plane ſtupendo. Is convocata ſuorum concione vehementi oratione hortatur, irent, & ultro hoſtes in ſuis caſtris adorirentur; rem, quanto difficilior & periculi plenior videbatur, tanto feliciùs exituram. In partibus eſſe noctem, illatos tumultus & terrores geminaturam. Igitur provectâ jam nocte, cùm in vallum eniterentur, primùm à tormentis ingentem cladem accepérũt. Nec minùs tamen illi incredibili ferociâ non vulneribus, non periculis, ſolâ morte

morte ſiſtebantur;& neque cadentium & pereuntium miſerabili ululatu deterriti pertinaci teſtudine ad locũ, in quo tormenta diſpoſita erant,ſuccedebant. Atrox ibi facies rerum! Utrimque infeſta nox,incertis per tenebras, quid oppugnare potiſſimum oporteret, vel tueri,donec Germani milites,qui in Gallicis caſtris ſtipendia facientes fere ſoli illâ nocte egregiam pugnam ediderant, oriente jam ſole amiſſis tormentis cederent.Ergò victoria penes Helvetios fuit tanta fama toto orbe celebrata, ut multi cõſiderata conſilii audaciâ, mortis certiſſimæ cõtemptu,ferociâ pugnę, & felicitate ſucceſſus non dubitaverint anteferre facinus iſtud omnibus fortibus factis, quæ Græcas atq; Romanas implẽt hiſtorias.Scilicet, pugnaſſe paucos contra multos ſine equite,ſine tormẽtis,nullâ adductos neceſſitate(quippeNovaria extra periculum erat,& poſtero non parvam ſuorum manum ſibi acceſſuram ſperare poterant) denique

gloriam cum periculo, quàm ignobilem ſecuritatem maluiſſe. (*Guicc.* XI. *Hiſt.*P*arut.*1.*hiſt.*)

Addam hic quod Joannes Marnixius(*ſect 7.axiom.*15.) præcipit, uſitata & communia ſtratagemata aſſiduò revolvere: quæ, quo magis contemnuntur, eò faciliùs fallant.

Poſtremò & illud hîc obſervandum eſt, civitates recens captas eſſe ſæpiùs, non aliâ magis occaſione, quàm hoſtium ſecuritate, & quòd victis in præcordia poſſe redire virtutem non putarant illi. Quomodo Fr. Sforzia Brixiam aliquot poſt diebus quàm capta erat,recepit.(*P.Iuſtinian.in hiſt.Ven.& vide ejuſmodi conſilium Teutiapli Elei apud* Thucyd.*lib.*3.)

Sed fœmina ingens animi, munia ducis &c.] Non me vanè oſtentabo, hiſtorias illuſtrium fœminarum recitando, quas Joannes Boccacius, Balthaſar Caſtilionæus, aliique congeſſerunt.

Accen-

Accendebat hæc onerabatque Sejanus] alibi locus erit dicendi de aulicis æmulationibus.

Propriâ pecuniâ militem juvit.] v.s.ad verba. Quantò ſummæ ſpei proprior, &c.

Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tantò ſe magis in lubrico dictitans.] Illuſtrat hanc ſententiam elegantiſſimus locus apud Ammianum Marcellinum(*lib.*14.) quem hic adſcribam: Verſabiles fortunæ motus, qui ludunt mortalitatem; nunc evehentes quoſdam in ſydera, nunc ad Cocyti profunda mergentes: cujus rei cum innumera ſint exempla, pauca tactu ſummo tranſcurram; Hæc fortuna mutabilis & inconſtans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem, & Dionyſium gentium quondam terrorem Corinthi literario ludo præfecit. Hæc Adramitenum Andriſcum in fullonia natum ob pſeudo-Philippi nomen evexit: & Perſei legitimum filium artem ferrariam

am ob qværendum docuit victum. Eadem Mancinum poſt imperium Numantinis ſummâ atrocitate Veturium & Claudium Corſis ſubſtravit, feritati Carthaginis Regulum. Iſtius iniqvitate Pompejus poſt quæſitum Magni ex rerum geſtarum amplitudine cognomentum ad ſpadonum libidinem in Ægypto trucidatur. Et Eunus qvidam ergaſtularius ſervus ductavit in Sicilia fugitivos. Qvàm ſplendido loco multi nati, eadem rerum dominâ conniventе, Viriati genua ſunt amplexi, vel Spartaci? qvot capita, qvæ horruere gentes, funeſti carnifices abſciderunt? Alter in vincula ducitur, alter inſperatæ præficitur poteſtati, alius à ſummo culmine dignitatis excutitur. Qvæ omnia ſi ſcire qviſqvã velit, qvam varia ſunt & adſidua, arenarũ numerum idem jã deſipiens & montiũ pondera ſcrutari poterit.

Legis Majeſtatis reduxerat] Capita legis Juliæ, qvæ olim Cornelia fuit, majeſtatis qvæ hic à Tacito relata, latius ex-

explicantur à Scævola, Ulpiano, Martiano in l, 1. 2. 3. 4. D. ad Jul. Majeſt.

Facta arguebantur, dicta impunè erant] ſimilis locutio eſt lib. 3. Annal. *vana à ſceleſtis, dicta à maleficiis differunt*: ſanè apud bonos Principes. En auream
Impp. conſtitutionem: Si qvis mode- "
ſtiæ neſcius & pudoris ignarus impro- "
bo, petulantiqve maledicto nomina "
noſtra crediderit laceſſenda, ac temu- "
lentia turbulentus obtrectator tempo- "
rum noſtrorum fuerit: eum pœnæ no- "
lumus ſubjugari, neqve durum aliqvid "
nec aſperum volumus ſuſtinere: qvo- "
niam ſi id ex levitate proceſſerit, con- "
temnendum eſt; ſi ex inſania miſerati- "
one digniſſimum; ſi ab injuria, remit- "
tendum. Euge! belle! Non repeto, "
qvæ dixi ad verba: immotum adverſus eos ſermones &c.

Falanio objiciebat accuſator, quod inter cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Caſſium quendam mimum corpore infamem

adſci-

adſciviſſet: quodque venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet &c.] ſimilia, imò magis ridicula, quam animadverſione digna ſunt, quæ apud Conſtantium Imp. pro majeſtatis crimine valuiſſe Ammianus Marcellinus ſcribit. (*lib.* 16.) Nam ſi quis ſuper occentu ſoricis, vel occurſu muſtelæ, vel ſimilis ſigni gratiâ conſuluiſſet, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuiſſet dolorem; reus, unde non poterat opinari, delatus raptuſque in judicium pœnaliter interibat. Si qui remedia quartanæ, vel doloris alterius collo geſtaret, ſive per monumentum tranſiiſſe veſpere malevolorum argueretur indiciis: ut veneficus, ſepulchrorumque horrores, & errantium ibidem animarum ludibria colligens, pronunciatus reus capitis, peribat. (*Ammian. lib.* 19.) Quidam Agentium in rebus in Hiſpania ad cœnam invitatus, cùm inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu, Vincamus, interpretatus

tatus atrociter delevit nobilem domũ. (*Ammian. lib.* 16.) Eadem ſub Valentiniano & Valente peſtis. In chartis clari cujusdam municipis genitura Valentis cùm inventa eſſet; quamquam is fratrem ſuum Valentem quendam fuiſſe, dudumq; obiiſſe docuiſſet, quaſi Principis conſtellationem collegiſſet, trucidatus eſt. (*Ammian.* 29.) Adoleſcens quidam viſus in balneis admovere marmori manus utriuſque digitos alternatim, & pectori, ſeptemque vocales literas numeraſſe, ſtomachi remedium id arbitratus, in judicium tractus percuſſus eſt gladio poſt tormenta. (*Ammian.* 29.) Philoſophus quidam Coeranius eâ cauſâ tormentorum immanitate occiſus eſt; quod ad conjugem ſuam familiariter ſcribens Græco ſermone addiderat: σὸ δὲ νόει καὶ ςέφε τὴν τύλην. (*Ammian.* 29.) Illud oblitus ſum, quod Conſtantiii imperio accidit. Fauſtinus Viventi Præfecti Prætorio F. quod petenti per jocum cuidam Nigrino, ut eum

cum Notarium faceret, reſpondiſſet, hominem ridens: fac me imperatorem, ſi id impetrare velis; cum Nigrino & aliis interfectus eſt. (*Am.* 30.

Granium Marcellum prætorem Bithyniæ, Quæſtor ipſius Cæpio Criſpinus majeſtatis poſtulavit, ſubſcribente Romano Hiſpone: qui formam vitæ iniit, quam poſtea celebrem miſeriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt: Nam egens ignotus &c. O peſtem humani generis! & optimo ditiſſimoque cuique exitiabile malum: eoque formidabilius, quòd non tyrannicas tantùm, ſed & bonorum ſæpe Principum aulas inhabitat. Sub initium belli civilis inter Vitellium & Veſpaſianum, cum nihil ęquè fatigaret, quàm pecuniæ cõquiſitio: eos eſſe belli civilis nervos dictitans Mucianus, jus aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat. Paſſim delationes, & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti. (*Tacit. 2. hiſtor.* Aurelianus Imp. poſt Gallienum & lamentabi-

tabiles reip. caſus exinanito ærario torrentis ritu ferebatur in divites; & Valentinianus Auguſtus poſt procinctus Parthici clades indigens magnitudine impenſarum, ut militi ſupplementa ſuppeterent & impendium, crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miſcebat. (*Ammian. lib.* 30.) Quæ ut armorum neceſſitate & ærarii anguſtiâ & à bonis principibus uſurpata vix ac ne vix quidem excuſata ſunt; ita reliqua ſcelera, omnemque improbitatem excedunt, quæ potentes quidam in aulâ viri, quorum plus habendi cupido ultra mortalem modum ſeſe attollit, in vitam, & fortunas aliorum audent; eò crudelius plerumq; quò difficilius plurium, quàm unius ingluvies ſatiatur. Hiantes amicorum in magna fortuna cupiditates ipſa Principum facilitas intendit: *cum apud infirmum & credulum minore metu & majore præmio peccetur* (*Tacit.* 1. *hiſtor.*) Colligunt ſe quatuor vel quinque viri, atque unum con-

conſilium capiunt ad Principem decipiendum; dicunt, quid probandum ſit. Princeps, qui domi clauſus eſt, vera non novit; cogiturque hoc tantùm ſcire, quod iſti loquuntur; facere judices, quos non oportebat; amovere à Rep. quos retinere debebat. Denique bonus, optimus, cautus, venditur Imp. Quæ Diocletiani Cæſaris querela eſt apud Vopiſcum. Præcipuè tamen detecta in Principem conjuratione aliquâ & civilis belli victoria graſſari ſolet iſta latronum improbitas. Si quis enim militarium vel honoratorum, aut nobilis inter ſuos rumore tenus inſimulatus eſt, foviſſe conjuratorum aut rebellium hoſtiumve partes, trahitur: & inimico urgente, quaſi ſufficiente hoc ſolo, quod nominatus ſit, aut delatus aut poſtulatus, capite, vel mulctatione bonorum, vel exilio damnatur. Qui divitiis honeſtè partis affluunt, qui prædia, villas, hortos, & amœna ſeceſſuum habent; parùm eſt, imò pro lucro deputan-

tandum, ſi ad venditionem coguntur. Optimis conditionibus facta venditio ejus rei eſt, quæ niſi demittatur, vi auferri poteſt. Potentiores, quod jure conſequi nequeunt, vi extorquent.

--- cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent:
Ruffino populandus erat: dominoque parabat
Exitium fœcundus ager: metuenda colonis!
Fertilibus laribus pellit; detrudit avitis
Finibus aut aufert vivis, aut occupat heres.
Congeſtæ cumulantur opes, orbisque ruinas
Accipit una domus: populique ſervare coacti:
Plenaque privato ſuccumbunt oppida regno.

*Claudian.lib.*I.*in Ruffin.*

Intentatur crimen aliquod grande, & mor-

morte piandum. Immiſſi deinde in rei ædes repertoria & indices conficiunt: ubi inter charas, & ſecretiorum literarum evolutiones facile eſt ſubdere aliquid; quod innocentis famam oneret. Illud pòſt profertur in judicio, recitaturq́; & ex eo velut infallibili teſtimonio convictus miſer damnatur. Tum quoq; ſi quæ defenſiones ad Principem perferendæ ſcribuntur, ſupprimuntur, neq́; profectò, ſi, ut ille loquitur, quis aſcendat quadrigas Jovis, effugere poterit nefarias noxioſiſſimorum hominũ artes. Et propterea cauti Principes, ne calumniis & improbitati veluti feneſtras aperirent, punitis, quos manifeſta ſcelera ad ſupplicia vocabant, de cõplicibus inqviri noluerunt. Theodoſius occiſo Valentiniano qvodã ſeditioſorũ duce de conjuratis qvæſtionem agitari noluit; ne formidine ſparſa per multos reviviſcerent provinciarum compoſiti turbines. (*Amman.* 28) Et Tiberius Cæſar, alioqvi ſangvinis humani ſitientiſſi-

tiſſimus, qvamqvam multi è domo ſua, eqviteſq; ac Senatores ſuſtentaſſe opibus, juviſſe conſiliis Pſeudo-Poſtumũ Agrippam dicerẽtur, in illos haut qvæſivit. (*Tacit.* 2. *Annal.*) Sanè inqviri in nocentes, nemo, qvi qvidem rectè ſapiat, reprehendet. Nec enim abnuimus, ſalutem legitimi principis propugnatoris bonorum & defenſoris, unde ſalus qværitur aliis, conſociato cunctorum ſtudio muniri debere. Sed illud lugubre eſt, & deplorandum, illos, qvi inqvirendis reis, in majeſtatis maximè crimine, conſtituuntur, *datâ calumniæ indulgentiâ* (*Ammian.* 19.) mandatorum terminos ſupergreſſos fluminis modo fortunis complurium ſeſe repentinos infundere; (*Ammian.* 14.) & cum malis bonos, cum nocentibus innoxios trahere atqve jugulare. Venationem diceres! qvippe ut qvis vel carne, vel pretioſâ pelle venatori placet, in retia pertrahitur, nec latronum intereſt, qvid qviſqve deliqverit. Multi præterea

ea publicæ vindictæ ſpecie privatas offenſas & ſuas injurias ulciſcuntur.

Subſerviunt iſti latrocinio, velut venatici canes venatoribus, homines quidam egentes, ignoti, irrequieti, complicandis calumniarum nexibus indiſſolubiles: artium cruentarum diri magiſtri, & ut laniſta ex equuleo & carnifice quæſtum fructumque captantes: (*Ammian.* 13.) homines cum gemitu nominandi; (*Ammian.* 22. *&* 28.) ſpiritus ferini latrones quibus invitis nullus poteſt reperiri inſons; (*Ammian.* 28.) noxiæ & harenariis feris magis maleficæ beſtiæ; (*Ammian.* 29. *&* 28. omnium ærumnarũ coagula, (*Am.* 29.) cruciarii; (*Ammian.* 29.) diſpendiis communibus paſti; (*Amm.* 30.) odorandi vias periculorum admodum ſagaces; (*Amm.* 14.) tartarei denique malorum omnium fabricatores; (*Amm. lib* 29.) qui dum occultis libellis ſævitiæ principum aut amicorum ejus adrepunt, mox clariſſimo cuique aut ditiſſimo

mo periculum faceſſunt, *potentiam apud unum aut paucos, odium apud omnes adipiſcuntur; ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac poſtremo ſibi invenientes.* (*Tac. hic*) Horum alii ignoti & vilitate ipſa parum cavendi ad colligendos rumores per urbes deſtinantur, relaturi, quæ audiunt; & honoratorum circulis aſiſtendo, pervadendoqve divites, domos, qvicqvid noſcere poſſunt latenter intromiſſi per poſticas in regiam nunciant: id obſervantes conſpiratione concordi ut fingant plurima, & cognita duplicent in majus. Unde accidit interdum, ut ſi quid in penetrali ſecreto nullo citerioro ejus vitæ miniſtro præſente paterfamilias uxori in aurem ſuſurraverit, id poſtridie ſciat Princeps. (*Amm.* 14.) Adduntur haut rarò cuſtodes, qui in conſultas voces excipiant; *nuncios, introitus, aperta. ſecreta velut in annales referant*, convivalium deniqve fabularum ſimplicitatem odioſè exaggeratam in aulam

deportent. (*Tac.2.Annal.*) Aliud ſycophantarum genus eſt,qui cum illo,quẽ ſubverſum volunt, jaciũt fortuitos ſermones, ut fraudis amoveant ſuſpicionem,tum blandiuntur illi, quò captent benevolentiam;poſt aliquid rerum ſuarum arcanarum illi committunt, ut fidem mereantur ſinceritatis.His artibus irretitus ille bonus animi ſui ſecretum prodit,quod illi per calumnias auctum ad Principem deferunt. Solent etiam tales interdum per amicitiæ ſpeciem de ficto periculo præmonere, ut odium aut diffidentiam ſerant: quomodo Agrippinam Germanici viduam dolosè monuit Sejanus paratum ei venenum, vitandas Tiberii epulas. Tunc inter miniſteria vitæ ſecretioris Principum aures occupantur, & negotia torquentur, verbiſque premuntur aut elevantur, & parvo negotio deflectuntur aut intenduntur; quemadmodum ſemper ex ſupercilio aut remiſſione dicentis ſubitam efformamus,& maximè efficacem

cem in mentibus imaginem rerum, quas primum audimus.

His artibus cùm in caſſes pertracta præda eſt, accuſatores ſubornantur, & die funeſtis interrogationibus præſtituto imaginarii judices reſident, adhibitis juris conſultis & ſcribis; omnibus, quæ ſint agenda, dicenda, pronuncianda prædoctis. (*Amm.* 14.) Leges & jura, & Catonianæ vel Caſſianæ ſententiæ prætenduntur: agitur autem, quod agitur, ad voluntatem prætumidæ poteſtatis. (*Amm.* 26.) Poſthæc intenduntur equulei, expediuntur plumbea pondera, cum fidiculis & verberibus; reſultãt omnia truculentæ vocis horroribus: inter catenarũ ſonitus, tene, comple, claude, abde, miniſtris triſtium officiorum clamitantibus. (*Amm.* 29.) Poſtremæ in hac ſcena partes carnificis ſunt: & cùm nulla ſit crudelior ſententia, ea, quæ eſt, cùm parcere videtur, aſperior; nihil acerbius eſſe poteſt, quàm quod pœnam à judicibus ex præſcripto legũ

latam clementiſſimi Principis miſeratione mitigatam præfert damnatio. Inde qui carnificis ictui ſubſternitur, gratia Principis à cruce aut igne, aliove majore ſupplicio liberatus dicitur; & clementiæ prætextu, ad proſcriptiones & exilia, & bonorum publicationes, & quæ leviora vocantur, qvamvis ſunt aſperrima, venitur: & ut ditentur alii, genere nobiles, facultatibus locupletes, urbium ſuarum ornamenta, acti patrimonio præcipites truſiqve in exilium, conſumuntur angore, aut ſtipe precariâ victitant; nec modus ullus exitialibus malis interponitur, donec principem & proximos opum cædiumqve tædium ceperit. (*Ammian* 20.6.) Poſtremò accuſatoribus, & delatoribus, ſpolia, ſacerdotia, & procurationes, tam opulentæ venationis præmia perſolvuntur; qvibus tamen aut ſibi ipſis exitium deniqve inveniunt, aut ſaltem poſteritati ſuæ. Sed impoſſibile eſt omnes nefandorum ſcelerum latebras inqvi-

inqvirere. Nihil enim eſt ſupra improbitatis ingenium. Exempla illarum qvas diximus delationum, & qvæ innocentibus inſidiantur, artium, qvanqvam plurima ex omni hiſtoria adduci poſſent; ego tamen; cum in tàm triſti argumento jam fortaſſe nimis longus fuerim, pauciſſima referam; qvorum primum apud Tacitum extat, & Dionem Claſſium. T. Sabinus illuſtris Eqves Romanus, ob amicitiam Germanici, nefanda fraude jam tunc ſublati inviſus erat Tiberio & Sejano; cujus favor non niſi ſcelere qværi poterat. Igitur Latiaris, Portius Cato, Petilius Ruffus, M. Opſius conveniunt, ut Latiaris, qvi modico uſu Sabinum contingebat, ſtrueret dolum, cæteri teſtes adeſſent, deinde accuſationem inciperent. Initiò igitur Latiaris in Tiberium, in Sejanum maledicta, de Germanico honorifica loqvi, qvibus paria Sabinus rependit: hiqve ſermones tanqvam vetita miſcuiſſent, ſpeciem ratæ amicitiæ fecerunt;

ac jam ultrò Sabinus ad Latiarem dolorem ſuum effundebat. Conſultāt deinde, quos memoravi, quomodo Sabini dicta plurium auribus acciperentur. Et placuit tectum inter & laquearia tres Senatores, haut minùs turpi latebrâ, quàm deteſtandâ fraude, ſe abſtrudere, aureſq; rimis admovere. Intereà Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum trahit: & ſimul præterita, inſtantia, novoſque terrores cumulat. Eadem & ille, & diutius & acrius: quando mœſta, ubi ſemel prorupere, difficiliùs retinentur. Tres illi dicta ad Cæſarem deferunt. Sabinus necatur. Similis hiſtoria extat apud Nicetam Choniaten (*lib.* 3. *Ann.*) de Theodoro Styppiote per amicitiæ ſpeciem à quodam Camatero Logotheta inducto, ut de Imperatore, qui ad id id poſt aulæa latebat, verba quædam incautiora proferret. Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſimus ſaxo Tarpejo dejectus eſt: nec dubium erat magnitudinem

nem pecuniæ malo vertiſſe. (*Tacit. 6. annal.*) Agrippina Statilium Taurum, opibus illuſtrem, hortis ejus inhians pervertit. (*Tacit.* 15.) Urſicinus apud Conſtantium Imperatorem Equitum Magiſter ab Euſebio cubiculi præfecto variis oppugnatus eſt artibus: nullis cauſis niſi quod domo ſua, quam Antiochiæ habebat, moleſtiſſimè flagitanti cedere nolebat. (*Amm. Marcell.* 18.)

Tripolitani continuis Auſturianorum (gentis rapto vivere ſuetæ) incurſionibus infeſtabantur, conniventeRomano, Africæ Comite, homine nequiſſimo, quamvis ſæpius implorato: qui fretus affinitate Remigii tunc magiſtri officiorum, hoſte pejus provinciam vaſtabat. Ergo Tripolitani extrema veriti, legatos ad Imperatorem mittunt, lacrymoſas provinciæ ruinas expoſituros. Quo comperto Romanus quendã ad Remigium, rapinarũ participẽ equo velociſſimo vectũ præmittit, orãs operã det, ut ſibi ab Imperatore Tripolitanorum

norum querelæ cognoſcendæ deferantur. Quamvis autem iſta machinatio non ſuccederet, miſſo in Africam Palludio quodam, qui ſtipendia militi ſolveret,& de Tripolitanorum clade inquireret: invenit tamen Romanus aliam viam extricandi ſe ex hoc ſibi imminenti periculo.Militib.perſuadet,ut advenienti Palladio, in aula potenti viro,ſtipendii quod pertulerat, magnam partem acceptam ferrent: quod & factum eſt.It Palladius, videt luctuoſos provinciæ cineres, & fumantes penè adhuc recenti incendio agros: Romanique deſidiam increpans,relaturum ſe cuncta ad comitatum Principis minatur. Quibus ille minis haut ſanè territus,ſe quoque indicaturum dixit, quòd Palladius militi deſtinatum ſtipendium in ſuum quæſtum verterit. Quid fit? Palladius conſcientiâ perterritus, cum Romano in miſeros provinciales conſpirat; reverſus Valentinianum Imp. impiis artibus fallit, Tripolitanos ſine
cauſa

cauſa queſtos affirmans. Quare Imp. impoſitum ſibi à Tripolitanis indignè ferens,non modò querelis illorum aures non præbuit ſed & legatos capitali ſupplicio affici juſſit.

Hæc peſtis, hæc pernicies cũ ſatis in privatorũ vitam ac fortunas ſęviit,cum Principi plerumq; plus odiorũ& invidiæ,quàm opum contulerit, tandem, niſi obviam eatur,in ipſiusPrincipis exitium vertit. Qvicqvid enim ſcelerum, qvicqvid rapinarum & concuſſionum iſti nebulones exercent,qvodcunq;injuſtitiæ genus committunt, qvicqvid deniqve peccant, id ſub regio nomine peccant. Et ut maximè Princeps nefariorum iſtorum operum liberetur ſuſpicione: conniventiæ tamen aut ſocordiæ opinionem, ex qva contemptus,& ex contemptu odium, certiſſimæ principatus peſtes oriuntur, effugere non poterit; populi ſubjecti, ubi veſtem regiam ſuamqve pellem à gratioſis in aula inter ſe dividi ſatis diu tu-

lerint,tandem horum avaritiam, & illorum lethargum acerbis remediis excutere ſolent.

Hæ tales ac tantæ inſidiæ; quibus evitandis nec optimus Princeps ſatis cautus eſſe poteſt; audaciter dicam nullâ providentiâ declinari poſſunt, niſi Princeps omnẽ calumniarũ occaſionẽ præcidat, quantum fieri poteſt ipſa omnia cognoſcere ſtudeat, pleraq; ipſe omnia tractet; vel ſaltem in miniſtrorũ ſuorũ fidem piiſſimâ diffidentiâ diligenter inquirat; quomodo Dagobertus Francorum Rex urbes circumiẽs jus ipſe dicebat, orbos liberos, viduas tenuiores, egentes à potentiorum vi aſſerebat; (*P. Æm* 1.*hiſt.Franc.*) & Alfõſus Calabriæ Dux in hunc finẽ ſupra portam palatii (locũ hodieq; monſtrant advenis Neapolitani) ex ęre Campano nolam ſuſpẽdi juſſit; quã qui pulſaſſet, illicò vel ad Regẽ admittebatur, vel ad illum, qui ab Rege ad audiendũ mittebatur. Veneti quoq; certis temporibus quoſdã Quæſito-

ſitorũ titulo in provincias ſibi ſubjectas cum vitæ neciſq; poteſtate mittere ſolent, qui in ambitionẽ & avaritiã magiſtratuum animadvertant, & à potentioribus oppreſſos ſublevent. (*Mauroc. 18.hiſt.Ve.*) Sed hic cavẽdũ eſt, ne quod ſupra de Palladio diximus, quęſitores in eodem crimine hæreant cũ his in quos mittuntur. Porrò delatores ſiſtendi ſũt, illiſq; imponendũ, ut fidem faciant ejus rei quã detulerunt. Idq; etiam reſcripto Divi Pii, & aliorum principũ continetur, ut Irenarchæ (quorum munus erat apprehendere reos, interrogare, cum elogio ad magiſtratus mittere) dictorũ fidem faciant. (*Marcian.Ic.in l.6.de cuſtod.& exhib.reor.*) Et quando eo ventũ eſt, ut delatores neceſſarium regni inſtrumentum putentur; conſultum erit plures ignotos inter ſe ignorãteſq; habeantur: qui ſi conſentiẽtia retulerint, credi iis fortaſſe poterit; diverſa dicentibus fides abnuenda, & ulterius inquirendum ſi quo modo veritas in lu-

cem produci poſſit. Jucundum qvoqve ſcitu & memoratu dignum eſt; diſpoſitorum eqvorum originem ab hoc fine eſſe, ut, cùm latè regnari cœptum eſſet, reges qvid in diſſitis qvoqve regionibus rerum gereretur, cognoſcerent. Et fallit Orlandus Malavolta in hiſtoria Senenſi, ab Auguſto curſorios eqvos diſponi cœpiſſe ſcribens. Eſſe enim id inſtitutum multò antiquius ex Xenophonte conſtat, qvi id Cyro attribuit (*lib.8.Cyrop*) Locum, qvia notabilis eſt,
» adſcribam. Etiam aliud qviddã excogi-
» taſſe Cyrum cognovimus, qvod ad im-
» perii magnitudinem pertinet, unde ce-
» leriter intelligeret, qvi rerum etiam
» longè remotarum ſtatus eſſet. Cum e-
» nim conſideraſſet, qvantum itineris e-
» qvus agitatione diurna conficere viri-
» bus integris poſſet; eqvorum ſtabula
» parari curavit, & in eis equos conſtitu-
» it, cùm illis, qvi eqvorum curam gere-
» rent. Ordinavit & qvovis loco homi-
» nem, qvi tùm ad recipiendum literas
alla-

allatas,tùm ad tradendum eas aliis ido- „
neus eſſet, qviqve defatigatos eqvos & „
homines exciperet,& recentes ſubmit- „
teret. Atqve hoc in itinere ne noctu „
qvidem ceſſari dicitur,ſed nuncio diur- „
no ſuccedere noctunum. Hæc Xeno- „
phon:unde *Poſtarum*, ut vocant, antiqvitas conſtat.Sed & hoc inſtitutum id imperfectionis habet, qvòd Princeps non raro mendacibus literis & relationibus decipi poteſt; & hoc tantùm ſcire cogitur,qvod aliis placet. Idem Malavolta,qvem dixi, in eo qvoqve errat, qvod cum poſt Auguſti tempora uſus diſpoſitorum eqvorum evanuiſſet, reductum eſſe à Vicecomitibus Mediolanenſibus ſcribit. Legimus enim Juſtinianeo Codici inſertas Conſtantini, Juliani,Valentiniani, Valentis, Theodoſii,Arcadii,Honorii Leonis,& Anaſtaſii de curſu publico conſtitutiones, & ipſe Juſtinianus eqvorum publicorum in Novella conſtitutione triceſima mentionem facit.

Si-

Siniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe.] v.s. ad verb.uxori Martiæ aperuiſſe.

Quo loco cenſebis Cæſar? ſi primo, habeo, quod ſequar; ſi poſt omnes, vereor ne imprudens diſſentiam.] Erat moris in Rep. Romana, dicendæ in Senatu ſententiæ initium fieri â Cõſ. & iis, qui alios dignitate anteibant, (*Gell. lib.* 14. *c.* 7.) Quod poſtea mutatum eſt, & primi rogati ſententiam, qui nondum geſſerant magiſtratus. (*Dio.* 39.) ne puta primi illi vel cæteris dicendi libertatem ſubtraherent, vel auctoritate non judicio ſequentes in ſuas partes traducerent. Inde Tacitus: (3. *annal.*) *Exemit* (*Tiberius*) *etiam Druſum conſulem deſignatum dicenda primo loco ſententia: quod alii civile rebantur, ne cæteris adſentiendi neceſſitas fieret &c.*

Iudiciis adſidebat in cornu tribunalis &c.] Ius ipſi dixiſſe memorantur Auguſtus Cæſar. (*Suet. in Aug. c.* 33.) Tiberius (*Suet. & Tac. hic.*) Claudius (*Suet. in Claud.* 14.) Veſpaſianus. (*Suet. in Veſp.*

*Veſp.*21.) Trajanus. (*Plin.in Paneg.*) alii: ſed temporum noſtrorum arrogantia ſimplicem iſtam veterum facilitatẽ reſpuit: & inde ſcholaſtica politica quæſtionem hodiè fecit politicam; an princeps ipſe pro tribunali jus dicere debeat? Mihi non vacat iſtam litem examinare. Dignum ſanè majeſtate Principis videtur, curare, ut judices, & magiſtratus ſanctè & innoxiè impoſito ſibi munere fungantur. Ipſum autem ordinario tribunali præſidere, quod memorati fecere Principes, & alienum à dignitate regia foret; & curam Principis publicæ res, non privatorum litigia expoſcunt. Sint igitur magiſtratus, ſint judices, ad quos privati confugiant; ſed ſint quoque principes, qui judices judicent.

Erogandæ per honeſta pecuniæ cupiens, quam virtutem diu retinuit, cùm cæteras exueret] Sublevare miſeros, donare benemeritis, mediocribus ſtipendiis excellentiſſimum quemque in ſua arte cole-

colere, quin egregium ſit, & Principi neceſſarium, nullus opinor, dubitat; verùm regiâ largitione; & magnificentiâ exinanito ærario, cum illud maximè repentino ingruente bello, aliave neceſſitate extraordinariis & violentis tributorum exactionibus replendum eſt; ut paucorum benevolentia, ita omnium odium acquiritur. Unde conſideranti mihi Principum publicas opes & viciſſim pace belloque neceſſitates atque onera, non abſurda videtur Macchiavelli ſententia parſimoniam liberalitati prȩferentis; liberalitati, inquam, quæ celebre Principis nomen faciat, quæque privatam benignitatem longè tranſcendat. Egentibus enim ſubvenire, merita compenſare, virtutibus & artibus ſtipendia conſtituere, non tàm liberalis donatio, quàm obligationis diſſolutio eſt. Sed corruptio hominum judicio fit, ut in Principibus non innocens prodigalitas magis laudetur, quàm parſimonia etiam cùm alieni abſtinen-

tia

tia conjuncta. Parſimoniam pro avaritia appellant; & luxuria ſpecie liberalitatis imponit. (*Tac.1.hiſt.*) Ferdinandus Catholicus nimiæ tenacitatis arguebatur: ſed calumniam mors Regis detexit: cum poſt quadraginta duos imperii annos nullos cumulaſſe theſauros deprehenſus eſſet. (*Guicc. 12.hiſt.*) Verùm, ut dixi, melius eſt, comparcere, quod neceſſariis temporibus expendas; quàm expendere, quod novâ injuriâ à ſubjectis populis repetas. Nec mihi hic aliquis Cæſaris aut Alexandri munificentiam objiciat. Ille enim regni parandi gratia & pro dominatione pecuniæ parcere noluit; hic verò, cùm perpetuis bellis inſudaret, ex præda & hoſtilibus ſpoliis victoriarum ſocios ditare & poterat & debebat. Alia nunc temporum ratio eſt.

Cupidine ſeveritatis in his etiam, quæ ritè faceret, acerbus.] v. quæ nos ad lib. 6. verb. mirumque morem &c.

Ad oſtentandam ſævitiam, movendaſq; populi

populi offenſiones conc:ſſam ſ:lio mat:riem] quò ſcil. ipſe amabilior fieret, & acceptior populo: Certè idem Tiberius Caligulam ſibi ſucceſſurum eâ maximè cauſâ gaviſus eſt, quòd ab illo ſua ſcelera ſuperatū iri ſperaret. (*Dio. Caſſ* 8.)

Centeſimam rerum venalium &c] pudet referre, quam excreverint, in Italia maximè, venalibus rebus impoſita vectigalia. Hereditates quoque & dotes & legata, quorum olim viceſima pendebatur, non delibantur hodiè, ſed magnam illorum partem fiſcus rapit.

Militare ærarium eo ſubſidio niti.] C. Cæſar duas res eſſe prædicabat, quibus & quæreretur, & conſervaretur, & augeretur potentia, milites ac pecuniam. (*Dio. Caſſ. 42.*) Impoſſibile eſt, ſine bello tutos nos ſemper eſſe, & militem ſine ſtipendio alere. (*Dio. 52.*) Neque enim quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. (*Tac. 9. hiſt.*)

Optimè

Optimè rebus mortalium conſuluiſſe naturam, quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utque originem ita fines dederit] Fluminum derivationes vix unquam benè ſucceſſiſſe perpetuâ obſervatione notatum eſt, nec enim ſibi vim inferri natura patitur.

Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia &c.] Sit ne Principi aut Rebuspub. utilius imperia & magiſtratus continuare, deque modis omnibus, quibus eminentium virorum ſpiritus atque potentia deprimuntur, alibi latisſimè diſſeram.

Finis Notarum politicarum in librum primum Annalium

C. CORNELII TACITI

CHRI-

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ

POLITICÆ.

Ad Librum II. Annalium.

C. CORNELII TACITI.

QVi petitum Româ acceptumque Regem, quamvis gentis Arſacidarum, ut externum aſpernabantur] Alienigenam dominum nemo patitur lubens; (*Curt. lib. 7.*) & placidius eſt, ſuis parere. Et vix nulla ratio eſt, quæ glorioſis factis nomen ſuum extenderit, niſi ductu atque auſpicio ſuorum Principum, ſuorumque ductorum. Aſſyrios, Perſas, Macedonas, Romanos, Francos, Vandalos, Gothos vide cæteroſque Martios populos: ex ſuo ſanguine Principes, atque duces habuerunt. Iſraëlitas Maximus Deus ex ſuis fratribus regem legere juſſit; & lege regiâ Germanorum cautum eſt, ne niſi Germanus ad

Im-

Imperium vocetur. Exterorum imperia rarò diuturna fuere. Omitto vetera. Angli Franciæ poſſeſſione, quam olim tenuerant, ominò exciderunt. Franci Siciliam, Neapolitanum regnum, & inſubriam ſui olim dominii provincias nec ipſi diu retinuerunt; adeò ut præter majorum ſuorum ſepulchra nihil ibi reliquum habeant. Denique certum mihi eſt, ubi vel ſubjectorum ferocia, vel æmulorum maligna cura imminet, nunquam extero ſecuram fore regni poſſeſſionem. Certè Hiſpaniarum Rex Italicarum provinciarum dominium non niſi plurimâ arte politicâ, immenſâ pecuniæ vi, & perpetuis militum & caſtellorum præſidiis ſervat; nec id efficere poteſt, quo minùs modo à Gallis, perpetuis Hiſpanicæ potentiæ æmulis, modò ab ipſis Italicis Principibus, vel apertâ vi, vel arcanis artibus laceſſatur. Prætereà, diverſi ſint populorum mores, diverſa ingenia, diverſæ leges; quidam etiam *nec totam libertatem, nec totam*

tam

tam ſervitutem pati poſſint; (*Tac.* I *hiſt.*) nec niſi pactionibus adſtrictum Principem recipere ſoleant; peregrinus Princeps, quâ apud ſuos gubernandi ratione uſus fuerat, etiam hîc uti volet; quam tamen ſubjecti ferre vel nequeunt, nel dedignantur. Inde murmura, querelæ, & ad privilegia atq; immunitates provocatio; denique ubi nõ ſubvenitur, *remedium ex bello*. Certè armorum contra Principem ſuum ſumptorum non aliam magis fuiſſe cauſam Batavi aſſerunt, quam quod Rex ea ratione, quam in Hiſpania uſurpabat, etiam in Belgio regendo contra privilegia & immunitates populorum uti vellet.) *Hieron. Conestag.* I. *de bell. Bel.*) Ita Friſii, cum Saxonibus tùm temporis Dominis ſuis rebellaſſent, cauſam agere juſſi, armorum tumultuumq; non aliam fuiſſe cauſam reſponderunt, quam in novello dominatu præter jus & pacti fidem poſtulata, perque vim & contumeliam exacta tributa; quæque in principatu,

cipatu, ac populo imperiis ſueto ferri non poſſent, ea populo libero & contumeliarum impatienti irrogata. (*Vbbo Emm.* xxxix. *hiſt. Friſ.*) quapropter ego TrajanoBoccalino aſſentior, affirmanti, unam eſſe rationem feliciter imperandi populis, qui Optimatum electione, & ſub certis conditionibus in alterius Principis ditionem veniũt, ſi nimirũ à pactis illis Princeps ne latum quidẽ unguem diſcedat, neq; ex legibus, moribus, & inſtitutis ſubjectorum quicquam immutet, aut ĩminuat; indeq; politicarum artium & arcanorum magiſtros, qui natura & inſtitutione liberam & nullo vinculo ligatam dominationẽ amant, parũ huic Principatui aptos eſſe prudentes ędiũ cõductores uti cœnaculis qualia ſunt. Princeps ergo talis vetuſtam omnibus in novo regno faciẽ relinquere debet, veteres ſervare leges & magiſtratus atq; officiarios; nec privilegiorum ĩmunitatumq; ullã tentet vel abrogationem, vel ĩminutionem. En,

juro

jure civili quoque Proconſul ejuſque legatus jubentur eam provinciæ partem ingredi, per quam ingredi moris eſt, magni enim facere provinciales, ſervari ſibi conſuetudinem iſtam, & huſmodi prærogativas. (*Vlpian. in l.* 4. *de offic. proconſ.*) Et relatum eſt de Priſco quodam, qui cum à Mauritio Imperatore Dux exercitui contra Hunnos præpoſitus eſſet, & ſub advẽtum in caſtra, neglecto priſco more nec equo deſcenderet, nec militem comiter ſalutaret, ita gravem totius exercitus offenſam incurrit, ut lapidibus alioque telorum genere impeditus vix ſalvus evaſerit. (*Theophylact. Simocat.* 3. *hiſt.*) Contrà prudentiæ laudem meruit ampliſſimam Philippus II. Hiſpaniarum Rex, quod cum ſcripturam, qua delictorum gratiam Luſitanis recenter ſubactis faciebat, publicaret, Luſitanicâ linguâ illam confici juſſit, ſolos Luſitaniæ Regum titulos uſurparit, cæteris omiſſis: deniq; cum ſoleret ſubſcribere diplomatis

hæc

hæc verba; *Ego Rex*; hic tantùm ſcripſerit; *Rex* cum quinque punctis, :.: quæ Luſitani vulnera appellant: prorſus ad morem Luſitaniæ Regibus uſitatum. (*Coneſtag.4. de conjunct. regni Luſit. cum regno Caſt.*) Qua animi moderatione ſi in Belgio quoque uſus eſſet idem Rex, hodieque illas provincias imperio ſuo teneret: quarum abalienatio non aliunde proceſſiſſe videtur, quam ab ambitione Cardinalis Granvellani, introductione novorum Epiſcoporum decretis inquiſitionis Hiſpanicæ, & peregrinorum ad honores, cum quadam incolarum injuria evectione. Et ut ſummatim dicam, quod per exemplorum multitudinem eunti prolixè dicendum foret, fuit hæc ferè ſemper, eſtque hodiè penè unica civilium armorum cauſa quòd Principibus perſuaſum eſt, immunitates, & prærogativas populis non alio fine concedi, quam pueris plorantibus ceraſa, & crepundia: auferenda rurſus, cum plorare de-

deſierint. Inde contra leges & mores patrios & privilegia factum ab altera partium altera ſemper conqueritur. Hicque peregrinos in politica ſcientia eſſe illos conſtat, qui ſtuprum violenter illatum Lucretię cauſam fuiſſe putant exigendorum ex Urbe Roma Regũ. Occaſio fuit, nõ cauſa; quemadmodũ id jam ante à N.M. & Boccalino obſervatum eſt. Cauſa mutati ſtatus fuit Tarquinii tyrannis, & Senatus auctoritas contra vetera inſtituta ad unum traducta; deniq; mutata prioribus Regibus uſitata Remp. adminiſtrandi ratio. Spectabant igitur Romani etiam ante illatũ Lucretiæ ſtuprum ad rebellionẽ, & occaſionibus, ſi quæ ſe darent, imminebant: alias utique venaturi, ſi Lucretiæ pudorem nunquam violaſſet Tarquinius. Porrò eæ, quas diximus, difficultates externi principatus non ſunt illis in regnis, quæ dominatui aſſuetæ integram ſervitutem nullis adſtrictã modis aut legibus ferre queunt. Ut enim difficilis eſt

eſt horum acquiſitio, ita facilis conſervatio: Mirum ſanè parùm intelligenti rerũ civilium videri poſſet, qvid cauſæ ſit, qvod defunctô Alexandrô in medio rerum ſuarum curſu nullô tot regnorum herede certô relicto, nulli in tot populis numero infinitis, ſpaciis imenſis, immanitate barbaris, motus extiterint, niſi quos ducum Alexandri ambitiõ excitavit. Sed ſi quis conſideravit gẽtes illas à Perſicis Regibus dominico quodam imperio, & à ſatrapis qui à regibus in provincias precario jure mittebãtur, rectos eſſe, mirari deſinet. Nec enim libertatem ſibi eripi indignantur, qui ſẽper ſervierunt. Eadẽ Turcici regni conditio eſt; quæſitu difficilis: ubi indeptus fueris, facilis retineri. Ut enim in ejuſmodi deſpotico principatu non ſunt ſperandæ diſſenſiones illæ civiles, qvæ externo principi aditũ in illud facere poſſint: nec muneribus, promiſſisve corrumpi queunt ſatrapæ, quippe mancipia ſui Regis; aut, ſi maximè cor-

ruptionibus paterent, non poſſent in ſuas partes pertrahere populos, ſolam Regis & domini majeſtatẽ reverentes; Ita cui contingeret pellere Turcas in retinendo illo imperio parvo labore & ingenio opus haberet. Nam & populi ſervire aſſueverunt: & Satraparum ſine populorum ſequela vanî eſſent conatus.

Cæterum unum adhuc ſupereſt, quod objici poteſt illi,quod ſuprà dixi, neminem libenter externos dominos pati. Nam Sarmatarum gens reges ſibi externos præficere jam dudum ſolita eſt.Inde Jagellones ex Lituaniâ, & ex Tranſilvaniâ Batoreos, & poſtremo Sereniſſimum Sigismundum Regem ſuum ex Suecia vocavit. Verum hujus moris fortaſſis ſingulares habent rationes: quarum ſanè non minima eſt, ut,cum in nobilitate æmulationes ſint vehementiſſimę,nolintque quemquam ſupra cæterorum conditionem evehi, æqualitas quædam conſervetur.Ita malunt

lunt ſibi alienum jugum accedere, quã civi & olim æquali obedire; tanquam parendi vilitas augeſcat, ſi te notis ſubmiſeris, & ſublevetur peregrinitate dominorum. Præterea ea Procerum prudentia eſt, ut mediocris potentiæ & exiguarum virium dynaſtas, vel omnino eos principes ſibi adſciſcant, quos vel animi moderatione cognitos, vel procul diſſitos timere non debeant. Hæ ſunt, quibus ſingulare, & à cæteris nationibus abhorrens Polonorum inſtitutum nititur, rationes; quæ ſi cui ſatis faciant, ego ſanè Sarmaticam iſtam politicam aliter non defendam.

Vononem vetuſtiſſimum liberorum] de primogenitura juris publici conſulti ſcriptitant; quorum commentationes videbis.

Lætantes, ut fermè ad nova imperia.] Nota, vulgi morem, lætari ad nova imperia. Quippe ſemper nova neſcio qua beatitudinis ſpecie ſe nobis commendare ſolent, & homines à novo princi-

pe largitiones, privilegia, immunitates, deniq; aureos montes expectant. Mediolanenſes à Ludovico XII. Galliarum rege defecerunt: eâ cauſâ, qvod ſe liberalitatis, quam ſibi in rege enormem imaginati erant, fruſtrabantur, (*Guicciard. 4. hiſt.*) C. Cæſar, qvod neqve opera conſummare, qvæ inſtituerat, neqve populi expectationem, qvam de adventu ſuo fecerat, privatis opibus explere poſſet, turbare omnia ac permiſcere civili bello coactus eſt. (*Suet. in Jul. c.* 46.) Eandem etiã inter alias cauſam fuiſſe motuum bellicorum ſuperiori ſeculo in Belgio cœptorum ſcribit Hieronymus Coneſtagius in prudentiſſima (qvicqvid alii judicent) de bello Belgico hiſtoria: (*lib.* 1.) Et idem in hiſtoria de conjunctione Luſitaniæ cum regno Caſtulonenſi (*lib.* 8.) refert, victis Luſitanis etſi omnium ratio habita fuerit, qvorum aliqvod in Regem meritum eminebat, & aliis dignitates, aliis annuæ penſiones, aliis aulica officia col-

collata fuerint; tamen tantā fuiſſe præmia expoſcentium ob aliquam notabilē operam multitudinem, ut non univerſis regni tributis iis ſatis fieri potuerit.

Accendebat dedignantes & ipſe diverſus à majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura, quotiens per urbes incederet lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epulas: irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa. Sed prompti aditus; obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia &c.] Magnę prudentiæ eſt, ita mores ſuos componere, ut nec ſeveritas amorem, nec facilitas auctoritatem minuat. Tractemus igitur hic, quando locus nos invitat, qvibus modis auctoritatem princeps ſibi conciliare poſſit. Eorum igitur, qvæ verendum populis Regem faciunt, duo præcipua ſunt, Virtus, & externus morum decor: & virtus iterum, vel aliena, vel ſua. Principis propriæ virtutes ſunt, ſagacitas in pernoſcendis civium animis, peritia bellicarum artium,

um,pacis tuendæ ſolertia, adverſus ſubitos caſus præparatio, dexteritas obſecundandi temporibus, maturitas in deliberando, celeritas in exſequendo, conſtantia in agendo, in promiſſis veritas,in cœptis magnus animus, in factis inconcuſſum animi robur, in divinis exacta ſacrorum & religionis cura, denique in univerſæ vitæ curriculo morum æqualitas & conſtantia. Hæ virtutes munimenta ſunt magnitudinis regiæ:hæ populos veneratione implẽt; hæ principem tutum ſanctumque præſtant. Has Princeps captatis locorum & temporum occaſionibus oſtentare debet,exemplo Scipionis; qui non veris modò virtutibus mirabilis, ſed arte quoque ab juventa in oſtentationem earum fuit compoſitus (*Liv.26.*) Si verò earum ſplendor vitiorum quorundam fuligine obfuſcetur, celare nævos, nec publicè peccando ſcelerum licentiam facere Princeps debet.

Alienam virtutem intelligo illorum, qui

qui circa Principem ſunt, quique ab illo vel publicis vel palatinis officiis præficiuntur, vel denique ejus ſtipendio vivunt. *(v. Io. Barolai.* 1. *Argen.)* Multum quippe refert, qui cuique adhibeantur negotio; & ex horum conditione dominorum fama eſt vel excelſa, vel in deterius. Quare quicquid præclarum eſt in regno, quicquid extra regnum, in regiam velut in cœlum ſtellæ, coëmatur. Domitandis alius equis, alius pugilatu ſit nobilis: ille ædium mollendarum celebretur peritiâ, aut derivandis in ſimulacra fontium aquis; vel ſi qua ars alia ſuo aut ſeculi genio valet. Si qui ſunt duces, qui militarem impetum ratione compoſitum habent, aut formâ proprium, ſi alicubi latent raræ eruditorum faces, quæ vel publicæ prudentiæ aptæ, vel ſolis libris natæ apud præſentes & poſteros ex ira vel favore dividere mortalibus famam poſſunt: ſtatim emantur, etiam quanti ſeipſos vendere volent, ſi viliùs fortè non poſ-

ſint. Ipſa ſtipendiorum magnificentia commendabit miniſtrum, & gloriam poſſidentis.Finge ego,artificiis,literis, armiſqve præcipuos conveniſſe ad unũ Principem; qvis deinde toto orbe de regia illa ſermo? qvis eam ignorabit? principi ipſi qvanta operis merces? ut excedet mortalium ſortem? Ut vivus & ſoſpes multò certiùs, qvàm per odores & aqvilam erumpentem ex funere ſe ſentiet conſecratum?Nec eſt,qvod ſupervacuâ ſolicitudine defuturos ex ærario ſumptus vereamur. Parciùs aucupium procuretur, ſtabula tanqvam in Sybaritano exercitu ſaltatoriis eqvis(*v. Angel.Politian.* 15.*Miſcell.*) ne ferveant; ne reparetur jactura ingenti pecunia,ſi qvem de venaticis canibus aper percuſſerit; ne Andronici Imperatoris exemplo(*Nicephor.Gregor.IX.* *Phranzes Protoveſt.*1.) canes ampliùs mille qvadringenti, accipitres mille, & qvi hos curent,homines totidem alantur, ne tantum auri in tot viliſſimos homines,qvi im-

implere regum domos ſolent, profundatur: removeantur adulatores, ſtulti, moriones, nani naturæ monſtra, fruges tantùm nata conſumere: in arctiorem nnmerum; & ad duorum, triumve amanuenſium laborem reducantur vana nomina & munia illorum, qvi à memoria, à ſcriptionibus, à ſecretis dicuntur. Qvod ſi fiat, ſemper ſupererunt pecuniæ, opes publicæ, theſauri qvi Principum majeſtati famulentur.

De geſtuum externorum majeſtate & gravitate, cæteroqve corporis cultu, vitæqve inſtituto nihil certi tradi poteſt. Ignotæ enim virtutes pro vitiis accipiuntur. Et Vononis exemplo monemur, in externis iſtis non eſſe *diverſi à majorum inſtitutis.* Generaliter tamen monendi ſunt Principes, ſermone utantur paucorum verborum, inceſſu tardo, veſte gravi. Receſſus etiam & rarus in publico cõſpectus multis placet. Qvippe cõtinuus aſpectus minùs verẽdos magnos homines ipſa ſatietate facit

(*Liv.* 30.) & *majeſtati major ex longinquo reverentia eſt*: (*Tacit.* 1. *Annal.*) & omne ignotum vulgò habet aliquid ſacri atque magnifici. Inde Aſſyrii reges perpetuâ ſolitudine majeſtatem venabantur; & olim apud Germanos Velledam, fatidicam regiâ poteſtate virginem, coram adire alloquique omnibus negatum. Ipſa editâ in turri: delectus è propinquis conſulta reſponſaque ut internuncius numinis portabat. (*Tac.* 4. *hiſt.*) Contrà nimiâ popularitate peccaſſe memorantur Iulianus Imperator (*Ammian. Marcell.* 25.) & Henricus III. Galliæ Rex (*Thuan.* 66.) Omninò autem egregiè majeſtatem humaniſſimis moribus, ſed qui non temerarent tantum faſtigium, temperavit Fridericus Daniæ Rex. Sæpiùs amicos, quaſi ſepoſitâ Regis perſonâ ad ſales & jocos, & in quæ liberior animus ruit, provocabat; monens, laſcivirent ſecum, & jucundè ineptirent, dum Rex abeſſet. Poſtquam ſatis luſum fuerat, reſumptâ regiâ

regiâ gravitate, Heus, amici, inquit, mittamus nugas: rex enim rediit. Non igitur majeſtas humanitatem excludit. Illa populos in cultum ſuorum regum, hæc in amorem & benevolentiam advertit. Solet enim morum facilitas, inquit Nicephorus Gregoras (6. *hiſt.*) in altiore dignitatis gradu facile omnium animos ſibi reddere obnoxios: quemadmodum veris amœnitas & floſculorum ſuavitas omnium oculos in ſe vertit. Et hoc Indorum ſapientum effatum eſt; principem, quò ſublimior eſt, eo humaniorem ſi ſe inferioribus præbeat, cariſſimum omnibus futurum. Stultus eſt auceps, qui tubarum clangore aut tympanorum ſtrepitu volucres in retia pellicere ſperat. Quare prudenter quidam judicare videntur (*Trajan. Boccal.*) Hiſpanos, ſi ingenii acumini, fortitudi, avaritiæ & ambitioni humanitatem & morum facilitatem ſociare ſcirent, poſſe non vanè orbis terræ dominatum ſperare, quem ipſis impoſſibilem

lem reddat nullum ferens,& à nullo ferenda illorum ſuperbia & faſtus.

Specie amicitiæ inlectum]v.qvæ ſcripſi s.ad lib.1.ad verba; *Lepidum ſpecie amicitiæ &c.*

Cæterum Tiberio haut ingratum accidit,turbari res Orientis, ut ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, noviſque provinciis, impoſitum dolo ſimul & caſibus objectaret.] Hinc inde Cornelius noſter modos & remedia docet, qvibus & mali Principes nimios privatorum ſpiritus, & formidoloſam ſibi vim cohibuerunt, fregeruntqve. Ego illo labore ſemel defungi ſatius duco. Igitur eminentes viri, & ultra privatorum conditionem potentiâ,divitiis(tyrannis virtus qvoqve metuitur) & opibus pollentes,non abſqve cauſa&Principibus,&liberis,ſuiſqve legibus viventibusRebus publicis metuendi habentur. Ea enim eſt magnorum, cætera ſummis virtutibus excellentium hominum natura, idque ingenium, ut cupidita-

ditatibus ſuis, & ambitioni maximè, qvæ ſapientibus qvoqve noviſſima exuitur, modum ſtatuere vix unqvam ſciant, & ideò alienâ debeant inhiberi poteſtate, qvi exceſſerunt ſuam. Themiſtocles ad imperandum natum ſe prædicabat; (*Plutar.in Themiſt.*) & Jaſonis dictum refertur, miſerum ſe vocantis, qvòd non regnet; (*Ariſt.3.polit.3.*) & Alcibiades in concione populi Athenienſis, non eſſe iniqvum, dixit, ſi qvis magno animo præditus cæteris æqvari nolit. (*Thucid.lib.6.*) Deniqve Hiſtoriæ Florentinæ ſcriptor non veretur dicere, eſſe in ſingulis Rebus publicis familias fatales, qvæ earum exitio naſcantur. Nimirum nemo eſt, qvi, etſi non verbis, tamen apud animum ſuum non probet C.Cæſaris dictum;

Nam ſi violandum eſt jus, imperii gratia
Violandum: aliis rebus pietatem colas.

Sæpè eſt audita Alexandri Magni vox,

vox Antipatrum Macedoniæ à ſe præpoſitum, dum ipſe in Aſia bellum gereret, regium affectare faſtigium: majoremqve eſſe præfecti opibus, ac titulo Spartanæ victoriæ inflatum omnia à ſe duas aſſerentem ſibi. (*Q. Curt.* 10.) In Repub. Romana, unde omnium rerum magnarum exempla meritò petuntur, quid factiones, & in medio foro primùm armorum civilium tentamenta, mox introduxit aperta inter cives bella & antiqui moris corruptionem, & denique libertatem evertit, niſi paucorum nimia potentia? qui cùm continuatis imperiis populi inconſultum favorem acquiſiviſſent, tandem illo in ipſum patriæ exitium uſi ſunt. Hinc neqve Cæſar ſuperiorem, neqve Pompejus parem ferre potuiſſe dicitur. De divitiis immenſis privatorum quæ regiis opibus pares aut ſuperiores erant, quibus exercitus ſuos faciebant, & plebem donis, ludis, ſpectaculis ſibi devinciebant, incredibilia narrantur. Quid enim? putemus

temus civili modeſtiâ vivere potuiſſe, qvi plura flumina poſſidebant,in ſuo orientia, in ſuo cadentia? (*Sen.de tranq. an.2.*)qvorum è numero erant,qui, ut Athenæus(*6.dipnoſoph.*) affirmat, decem aut viginti millia ſervorum habebant? ab unius è plebe hominis opibus de cæteris conjici poteſt.Is erat C.Cæcilius Claudius Iſidorus, de qvo hæc C.Plinii(*lib.33. c.x. hiſt.nat.*)verba adſcribere lubet.*C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino Coſſ. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit: quamvis multa bello civili perdidiſſet,tamen relinquere ſervorum quatuor millia, centum, ſedecim; juga boum tria millia, ſexcenta? reliqui pecoris ducenta, quinquaginta millia: in numerato. H. S. ſexcenties*: quæ ſumma ſecundum Lipſii calculum facit millies,quingenties mille Philippicos; hoc eſt,ut nunc loqvimur, unum millionem cum medio. Porrò à civili modeſtia omninò alienum erat, integras provincias, clientelæ jure obnoxias habere.

bere. Qvomodo Sicilia Ciceronem patronum habuit, (*Cic.* 14.*ad Attic.*) Bononia Antonios, (*Sueton.in Auguſt.* 16.) Sparta Claudios, (*Suet. in Tib.* 6.) alii alios. Sed erit alibi locus dicendi plura de Romanæ Reip.vitiis. Nunc ad alia pergimus. Michaël Palæologus; adeptus publicæ pecuniæ tractandæ facultatem, cùm eâ in milites, & plebem divisâ omnibus ſe gratioſum feciſſet, ſublato vero herede imperium Conſtantinopolitanũ ad ſe traxit (*Niceph.Gregor.* 3 *hiſt.Georg. Phranzes Protoveſt.*1.*hiſt.*) Ultimi ex Meruvæi familia Francorum Regis remiſſione curarum & ignavis voluptatibus felicitatem metiebantur; omni vi dominationis in Magiſtros eqvitum translata. Unde eò ventum eſt, ut ſi reges tantæ potentiæ frænum injicere in animum induxiſſent, jam non inhibere potuiſſent coalitas vetuſtate, atqve ideo velut legitimas vires. Et Pipinus ſibi ſuiſqve tantum opum atqve virium circum-

cumdedit, ut poſteris, uſqve ad Pipinum alterum præter nomen nihil ad regnum defuerit. (*P. Æmil.* 1. 2. *de reb. geſt. Franc.*) Henricus II. Angliæ Rex poſt redactam in poteſtatem ſuam Hiberniam, illi regno Hugonem qvendam cum ſummo imperio præfecit; qva ille poteſtate elatus etiam ipſi Regi obedientiam exhibere contempſit: & majora auſus fuiſſet, niſi in tempore à famulo, jubente, certe ſciente Rege ſublatus fuiſſet; qvemadmodum ſcribit in Hiſtoria de rebus Anglicis ſui temporis Gvilielmus Neubrigenſis; (*lib. 3.*) qvi idem alibi de fratre Richardi Regis inqvit: *indulta Ioanni tetrarchia fecit eum ambire monarchiam.* Medicæorum familia magnitudinis ſuę fundamenta jecit incredibilibus divitiis, qvas Coſmus ſenior collegerat; inde Laurentii virtute & prudentiá tantoperè crevit, ut poſteri, in eam majeſtatem, qvam hodiè videmus, oppreſſa libertate, aut licentiâ verius patriæ, adoleverint. (v. *Clin. lib.*

lib.1.de vita Coſm.) Vidit & recens hujus rei exemplum ſuperior ætas in Scirifiis, qui nunc in Africa rerum potiuntur. Cum enim Scirifius Haſcenes cum filiis, religionis Mahumetanæ in remotioribus provinciis docendæ cauſa à Rege Feſſano tympanum & vexillum, & aliquot equites impetraſſet, quibus cum circumire, & populos, officii ſui admonere poſſet: ab his initiis Regi non formidandus modo fuit, ſed & eum regno, qvod poſteri ejus hodieqve tenent, exuit. (*Thuan.7.*) Gallici deniqve regni nuperæ turbæ, qvas meminiſſe non indigenis modo, ſed externis qvoqve animus horret, prudentum judicio ab nimiis procerum opibus cœperunt. Et jam olim Ludovicus XII. Rex dicebat, potentum depreſſione ſuam ſecuritatem firmari (*Guicc.4. Hiſtor.*)

Qvid ergò remedii eſt in hujus farinæ homines, & ut Tacitus (1.*Annal*) loqvitur, *plus quàm civilia agitantes*? Ut

qvod

qvod ſentio, dicam, difficillimum eſſe reor, Rerumpub. converſiones qvæ ab ambitione qvorundam accidere ſolēt, ullâ prudentiâ, ulliſve conſiliis præcavere. Etenim principia & fundamenta principatus, dum jaciuntur, difficillimè animadverti poſſunt: cùm turbidi homines & rerum novarum appetentes primùm ſibi clientelas comparare, & beneficiis, liberalitate atqve comitate alios ſui ſimiles, quoſdam incautos & rerum neſcios devincire ſoleant. Quæ res quia quandam habent virtutis ſpeciem, occulunt malignitatem ſuam, nec ſine iniquitatis cujusdam opinione coerceri poſſunt. Si verò adultum ſit malum, & ſuis viribus ſubſiſtat, vix eſt, ut remedia non ſint ipſo morbo periculoſiora: ut inde Hetruſcus politicus forſan non imprudenter moneat, ubi malum aliquod timendum Reip. tantoperè auctum fuerit, ut in difficili ſint remedia, ſatius eſſe ferre aliquandiu, & imminere occaſionibus, quàm intem-
peſtiva

peſtiva violentiâ incaſſum ſe opponere. Non placent, qui in futuros morbos firmo corpori medicamenta infundunt, ſolicitantque ſopitas ægritudinis cauſas, nec ullo tempore pejus quam inter ejuſmodi luctam ſuccenſas. Quot mala, quot funera vidimus hominum per ejuſmodi medicamina incitantium reſides, & velut oblitos nocere humores? Atque illis ſimiles ſunt, qui placidis rebus quærunt in futuras tempeſtates formidoloſa remedia, quæq; ambiguo exitu poſſunt rectam Reip. valetudinem tàm perdere quàm ſervare. Creſcente Romæ Urbis potentia, vicini populi, qui naſcens malum in herba opprimere debuiſſent, ſerò nimis errorem agnoſcentes, fœdus inter ſeſe pro libertate contra Romanos icere, quo facto non modò non emendarunt priorem errorem, ſed altero addito Romanis, quorum amicitiam pacis artibus ſibi conciliare poterant, in ſe concitatis, malum repræſentarunt, quod fortaſſe lon-

longè adhuc aberat. Cùm M. Antonius Triumvir, hoſtis à Senatu judicatus, ingentibus copiis Cæſarem quondam ſecutis formidabilis eſſet: ſuaſit Cicero, ut Octavius cum novo exercitu adverſus Antonium mitteretur. Etenim fore, ut audito Octavii, Cæſaris ex ſorore N. nomine confeſtim ſint ad eum legiones tranſituræ. Prudens ſanè conſilium! ſed quod Antonius alio conſilio eluſit. Cognito enim periculo, Octavium in ſuas partes pertraxit: iique ambo conjunctis armis & viribus Remp. oppreſſerunt. Coſmus Medicæus ſuperior tam potens in Rep. Florentina erat, ut & proditionis ſpecies videretur, nō coercito eo Reip. proſpicere, & periculoſum, quietū adhuc irritare. Erat tùm inſignis prudentiæ fama Nicolaus Uzanus, qui, donec ipſe vixit, nunquā durîus aliquid in Coſmum decerni paſſus eſt: quod prævideret, ſi quid tale coñitteretur, ruituram Reip. libertatem. Eo vitâ functo, diſceſſerunt

runt reliqui ab illius monito, & Coſmum Florentiâ ejecerunt; qui paulò poſt à factione ſua revocatus, Florentiæ principatum invaſit: quò non perveniſſet, niſi ſuorum civium injuriis eò provectus fuiſſet. Idem in C. Cæſare obſervare licet, qui primùm Pompeji ipſius favore adjutus eam ſibi potentiam acquiſivit, quæ civitati Romanæ poſtmodum terrori fuit quæque ad minuendam hanc potentiam Pompejus ſerò nimis inutili curâ futuri movit, & Pompejum & libertatem Romanam ſunus fecerunt. Fit igitur plerumque ut quorundam imprudentia, & aliorum inerti conniventiâ radices denique agat ambitio, & aut omnibus in medicinam deſit animus, aut ea non niſi ſerò, & inutili cura

cùm mala per longas invaluere moras,

tentetur. Sed ſunt tamen à prudentibus notata remedia, quibus tantum malum ſuperari poſſit; alia quidem, ubi unum, vel paucos opes & potentia ſupra cætero-

terorum conditionem regio faſtigio propè nimis admoverunt; alia iterum, ubi integri alicujus regni proceres, immunitatibus, præfecturis, viribus ſuperbi in reges propellunt cientque potentiam, quam tamen ipſi condiderunt. De prioribus primo loco dicam. Quibuſdam igitur ſæva & crudelia placuerunt conſilia, qualia Periander aliquis, aut Tarquinius ſuggeret: ut nimirum ſumma papaverum deſecentur. Hoc modo Alexander Magnus ad Perſicum bellum proficiſcens, omnes novercæ ſuæ cognatos, quos Philippus in excelſiorem dignitatis locum provexerat, interfecit: ſed nec ſuis, qui apti regno videbantur, pepercit; ne qua materia ſeditionis procul ſe agente in Macedonia remaneret; & regis ſtipendiarios conſpectioris ingenii ad commilitium ſecum traxit; ſegniores ad tutelam regni reliquit. (*Juſtin.* XI.) Conſtantius Imp. cunctos ſanguine & genere ſe cõtingentes ſtirpitus interemit. (*Amm.* 21.)

21.) In hiſtoria Conſtantinopolitana obſervare licet, claros viros vel oculis privatos, vel in monaſteria detruſos. Et tradunt noſtri homines cautionem, hos tales pravè gratos vulgo, plebis ductores eodem in carcere cuſtodiri, puniri, & ſepeliri debere. Quippe plebejorum ſuppliciis aliorum audaciam terreri; inſignium hominũ cæde accendendi. Unde Albani Ducis imprudentiam arguunt, quòd Egmondanũ & Hornanum medio in foro, & in conſpectu populi, qui illos tantopere amabat, capite multare ſuſtinuit (*v. Boccalin. cent. 2. c. 44.*) Aliter Veneti, quorũ annales tradunt, cùm olim inter nautas & populũ periculoſiſſima orta eſſet ſeditio, quæ neque per lictores neque magiſtratus ſedari potuiſſet, eam tandem interventu P. Lauredani, qui anno ſuperiori Imperator bello maritimo fuerat, illicò conquieviſſe. Verùm hanc nautarum obedientiam adeò ſuſpectam Senatui fuiſſe, ut Lauredanum carceri incluſum mori coë-

coëgerit Tacitus quoque libro primo, ſeditioſorum duces cæſos intra tabernaculum ducis obrutos dixit: & infrà hoc eodẽ libro ſcribit Tiberium Pſeudo-Agrippę pœnam palàm nõ auſum, in ſecreta palatii parte interfici juſſiſſe, corpusque clàm auferri Athenienſes adverſus opibus, virtute, vel merito eminentes Oſtraciſmo utebantur; (v. *Carol. Sigon. 2. de Repub. Athen.* cautione profectò minus honeſta, & quæ parùm ab illa Epheſiorum lege, qua quis frugi eſſe vetabatur, differre videtur. Sanè Ariſtoteles (3. *Polit.* 9.) etſi fateatur, ineſſe Oſtraciſmo qualemqualem juſtitiam civilem: tutius tamen arbitratur providere ab initio, ne tali medicinâ ſit opus. (*adde Paul. Parut. 1. diſcurſ cap. ult.*) Minus enim difficile eſt, dignitates, opeſque quamvis benè meritis denegare, quàm collatas adimere, quippe illi quod nunquam habuerunt, non adeptos ſepatiētius ferent: hi verò honores quibus aſſueti ſunt, perpetuis machi-

nationibus recuperare tentabunt. Unde, qui civitatibus pulſi ſunt, quod maximè ſuperioribus ſeculis in Italia, cùm factionibus omnia ſcaterent, accidit, ſemper inſtrumenta ſe præbuerunt affligendi patriam ſuam. Tutius igitur eſt, impedimenta objicere inſtrumentis nimiæ potentiæ, convellere fundamenta, qvibus illa nititur, & velut ſubtractis alimentis ignem ambitioſum extingvere. Illi igitur, cujus privatum modum egreſſæ ſunt divitiæ, dignitates, curationes, legationes conferantur damnoſæ, ſumptuoſæ, & qvæ ſine rei familiaris diſpendio obiri neqveant. Si favore plebis nitatur aliqvis, ille derivandus eſt iisdem aut majoribus beneficiis aut illecebris in ipſum Principem aut Rempublicam. Qvi nomen, famam & gloriam habet, arduis & periculoſis objici debet expeditionibus, ut, ubi non ſucceſſerit negotium, & eventus ſpei non reſponderit, minuatur auctoritas, qvam à rerum geſtarum excel-

lentia meruit. Is, cujus in aula, aliove certo loco nimia potentia eſt; ſpecie honoris in longinqvas regiones amandari poteſt. Si armis fulciatur alicujus magnitudo, eum vario prætextu ab exercitibus & militia ad honoratiſſima qvæqve officia, ſed qvæ poteſtate omni careant, in aulam transferendus eſt. Qvomodo Conſtantius Cæſar Urſicinum in Oriente eqvitum magiſtrum ſibi ſuſpectum ad ſe venire ſummo cum honore mandavit, ea ſpecie, ut pro rerum tunc urgentium captu diſponeretur concordi conſilio, qvibus virium incrementis Parthicarum gentium arma minantium conſilia frangerentur. (*Ammian. Marcell.* 15.) & idem Juliano Cæſari Herulos, Batavos, Petulantes, Celtas, & cætera auxilia, qvaſi iis in Parthico bello opus haberet, ademit: (*Ammian. Marcell.* 20) Mucianus, qvia propalàm primus Antonius opprimi neqvibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, ſecretis promiſſis o-

neravit, citeriorem, Hiſpaniam, oſtentans, diſceſſu Cluvii Rufi vacuam: ſimul amicis ejus tribunatus præfecturaſque largitus eſt. Dein, poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleverat, vires abolet; dimiſſa in hyberna legione ſeptimâ, cujus flagrantiſſimus in Antonium amor. (*Tacit.* 4. *hiſt.*) Ferdinandus Conſalvus, ille qui Magnus Capitaneus vulgò uſurpatur, pro Neapolitano regno Regi ſuo ſubjecto eam retulit gratiam, ut rex ademptis illi exercitibus & munitis locis, eum in Hiſpaniam abduxerit, ubi inglorius obiit. (*Guicciard.* 4. & 7.) Et hanc ingratitudinem, quia neceſſaria eſt & ſecuritati publicæ conſulit, quodammdò excuſatione dignam pronunciant noſtri politici. Porrò alia cautio eſt, arcere tumidi ſpiritus homines ab omni magiſtratu & imperio; ſed curationibus tamen, legationibus, aliiſque honoribus admovere, quibus honoratiores quidem ſint, nihilo tamen valentiores. Ita Bragan-

tiæ Dux, qui nomine uxoris in Luſitaniæ regnum jura ſibi quædam competere putabat, poſt illud regnum à Philippo Hiſpaniæ Rege ſubactum, creatus quidem eſt *Aurei velleris eques*, & inuſitatis honoribus affectus; (nam & in templo proximus Regi conſiſtere juſſus eſt) nihil tamen obtinuit, quod vel opes ejus vel potentiam augere potuiſſet. (*Hieron. Coneſtag.* 8. *de bello Luſit.*) Iterùm alia cautio eſt, ut ſi in magnum virum conferre imperium ſit neceſſe, ipſius pravæ cupiditates collegâ addito coërceantur. Quo conſilio: cum Conſtantius Imp. Gallum Cæſarem ad ſe evocare vellet, diſſuaſerunt alii: quippe diſcedente Cæſare Urſicinum in Oriente perniciosè reliquendum, nullo futuro, qui prohiberet altiora meditantem. (*Ammian.* 14.) Alii, quos inter doctor meus, Chriſtophorus Beſoldus eſt, præcipiunt, magnos viros ad uxores ducendas, & liberos ſuſcipiendos adigi, quorũ intuitus patrem reddat amicio-

ciorem Reipublicæ: & hoc præceptum Henricum IV. Galliæ Regem in Bironio incautè neglexiſſe. Sed mihi tam nocere poſſe videtur iſtud remedium, quàm prodeſſe. Nam à voto relinquendi opes atque potentiam liberis, ubi honeſta non ſuccedunt, facilè ad ſcelera tranſitur; & niſi ſint poſt nos, ad quos improbitatis utilitas redeat, non placet incerta & cum periculo, aut brevis denique felicitas Auguſtus inter alia dominationis arcana etiam hoc habuit, ne cui Senatorum extra Italiam ſine ſuo permiſſu peregrinari liceret: (*Dio* 52.) eo, puto, fine, ne militum provincialiumve ſtudia ambitiosè conciliarentur. Movet, quòd Gallia Narbonenſis & Sicilia ab hac prohibitione exceptæ erant; (*Tacit.* 12. *Annal.*) quæ fraudibus ob Principis & Urbis viciniam non ita commodæ videbantur. Præcipuè tamen Ægyptum Auguſtus ſepoſuit, vetitis ingredi Senatoribus; ne fame urgeret Italiam, quiſquis eam provinciam,

am, clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſus ingentes exercitus inſediſſet. (*Tacit.hoc lib.*) Unde & Veſpaſianus, quando Ægyptum, clauſtra annonæ obtineret, poſſe Vitellii exercitum egeſtate ſtipendii frumentique ad deditionem ſubigi, ſperabat. (*Tacit. 3. hiſt.*) Qua etiam ratione inductus Auguſtus, non ex Senatorib. aliquem, ſed ex equeſtri ordine præfecit Ægypto. Ita enim viſum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione ac laſciviâ diſcordem ac mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum, per aliquem ex equeſtri ordine, non Senatorio, retinere. (*Tacit. 1. hiſt.*) Eadem ſolicitudo ante Auguſtum exercuit quoque Alexandrum Magnum, qui in plures præfecturas Ægyptum diſtribuit; miratus naturam & munimenta regionis, & intutum exiſtimans, unius imperio totum regnum committere. (*Arrian. 3. hiſt.*) Aurelianus quoque Imp. cùm Sa-

turnino limitis orientalis ducatum dediſſet, ſapienter illi mandavit, ne unquam Ægyptum videret. Cogitabat enim Gallorum naturã,(& eratSaturninus natione Gallus) verebaturque ne ſi perturbidam civitatem vidiſſet, quo eum natura ducebat, ſocietate quoque hominum duceretur. (*verbo Vopiſc. in Saturn.*) Porrò ſaluberrimum eſt conſilium, maximeque neceſſarium, omnes magiſtratus, omniaque imperia potiora ſacere temporaria, ne in unius manibus diu reſideant.(v, *N. M.*3.*diſc.* 24.)Eo quippe ingenio ſunt homines, ut poſtquam multum temporis in poteſtate tranſegerint, patriis moribus haut quaquam ſibi vivendum ducant. (*Catulus apud Dion.* 36.) Qui ſemel imperandi dulcedinem deguſtarunt; privatam vitam paulo magis plerumq; quàm animæ à corpore ſeparationem horrent, & privatæ domus anguſtias, ut crudele patibulum abominantur. Quietem & tranquillitatem regno præ-
ferre

ferre paradoxon ſupra omnem modum odioſum; ſententia, quam omnes ore verſant, & nemo pectore credit. Accedit, quòd, ut rectorem à Principe accipiunt provinciæ, hunc illicò venerantur, ei aſſueſcunt, tã conſtanter hunc eſſe Præfectum, quàm illum Regem intelligunt. Imo & propiùs ìlle civibus incumbit, propiùs urget affectus; contumaces aut amantes propius damnat, vel colit. Maximè nobilium ſtirpes adeò ejuſmodi provinciarum Rectoribus accedunt, ſpe, convictu, manſuetudine captæ, ut deinde vel in Regem promiſſam fidem exerceant. Hæc munera, ſi parvi temporis fierent, non illis coaleſceret inveterata vis; nec cives breviſſimo defuncturos imperio præter fas amarent, aut timerent. Et quantumvis anguſti temporis honores cupidè commendabit ambitio. Denique Princeps aut Reſp. in plures liberalitatẽ dividere poterũt, vacuis ſępè provinciis, in quas alios atq; alios pro meri-

tis temporibuſque ſufficiant. Inde Romæ olim lege cautum fuit, ne quis omninò prætor anno, aut Conſul biennio amplius à ſuo magiſtratu continuo imperaret. (*Dio 43.*) Et Florentiæ olim lex fuerat, ne *Prior* Reip. (is ſummum honorem gerebat) intra triennium, ex quo magiſtratu abierat, eundem petere poſſet. (*Leonard. Aretin. 4. hiſtor. Florent.*) In eâdem urbe cautum aliquando fuit, ne Reipub. Vexillifer (*Gõfalonerium* vocabant) in perpetuum crearetur; ſed annua eſſet illa dignitas. (*Guicciard.* XI. *hiſtor.*) Cùm Gallus Aſinius cenſuiſſet, in quinquennium magiſtratuum comitia habenda; eam ſententiam altius penetrare, & arcana imperii tentari Tiberius arbitrabatur. Nempe ſuperbire homines annuà deſignatione; quid ſi honorem per quinquennium agitent? (*Tacit. infr. hoc. lib.*) Regnum Aſſyrium ad mille annos ſtetit inconcuſſum, non aliam ob cauſam, quàm quòd militiæ præfecti quotannis

nis mutarentur. (*M* I.*art.milit.*) nec aliam ob rationem, poſt extinctam Cæſarum familiam in Imperio Romano tot bella civilia inter ipſos duces, totq; ducum conſpirationes contra Imperatores exortæ ſunt, quàm quòd iidem iiſdem exercitibus perpetuò præfecti eſſent. Ad hoc reſpicit hoc loco Cornelius noſter, cum Tiberio non ingratum accidiſſe ſcribit, turbari res Orientis; ut eâ ſpecie Germanicum ſibi ſuſpectum & inviſum ſuetis legionibus abduceret, noviſque provinciis imponeret. Et ſi verè rationem ponimus, non aliam magis rem libertatem & publicam rem Romanorum invertiſſe inveniemus, quàm imperii prorogationem. Quid enim aliud Sullas fecit & Marios, quam tot mandata bella, totq; conſulatus exiguo intervallo? quid Decemvirorum inſaniam aluit, quàm perpetua, contra mores patrios prorogata poteſtas? Quid Cæſarem tyrannum & patriæ libertatis invaſorem fecit,

cit, quàm perpetua, contra leges dictatura? Deniq; hujus rei domeſticum exemplũ occurrit in meâ Germaniâ. Regio erat olim ſub Imperatoribus armis, opibus, potentiâ ingens; nunc ex quo Optimates comiſſas ſibi quōdam provincias in principatus mutaverunt, & beneficia, quæ feuda hodiè dicimus, prima inſtitutione temporaria, & cum perſona cui conferebantur, expirantia in ſobolẽ transmiſerunt; domino pene tota excidit. Hoc enim modo populorum & gentium mentes, quas vis quædam ingenita ad ſuorũ Principum cultum advertit, ante in unius reverentiam intentæ ad iſtos vicarios, & mox dominos acceſſerunt. Hactenus de continuatis imperiis. Poſtremò conſilii quoque pars eſt, præpollentes, cùm delinqvunt, quod ob arrogantiam illorum ſæpe fieri ſolet, ſeveriùs punire; tollere illis aut minuere immunitates, & privilegia, publicare bona, removere ad tempus officiis, & ſi quæ ſunt his ſimilia.

milia. Et hac arte Veneta Reſp. ac Hetruriæ Magnus Dux ut plurimũ utuntur.

Nunc ſupereſt, ut demonſtrem, quibus modis non ſingulorum opes, ſed unius Provinciæ magnatum, qui libertatis quadam imagine elatis Regis quoq; imperia contemnere poſſunt, potentia contundatur. Sanè nunquam mihi juſtum videbitur, Optimates, qui certis legibus parent, & vetuſto jure immunitatibus gaudent, abſoluto velle imperio ſubjicere. Hoc enim nihil aliud eſſet, quam ex legitimo principatu formare tyrannidem, (*v. quæ dixi ad initium hujus libri.*) Sed fit interdum, ut quidam nunquã ſui gradus ſatis patientes, & juſtam quoq; modeſtiam reſpuentes, ſpecioſo libertatis titulo abuſi, & populorum ſinceritate corruptá, movere debeant Regũ curas ad inveniendas uſurpãdaſq; cautiones, quibus iſti dediſcant tumidos & ſeditioſos ſpiritus. Et ut his artibus abutantur interdum Principes, quibus jus faſq; ad ſuum arbitrium exigere

gere mos eſt; cautionis tamen loco erit, noſſe machinationes, quibus ſubverſis juribus & moribus antiquis unius legibus ſoluta poteſtas ſtabilitur. Quô quidem in argumento cùm paraſſem dicere non pauca; vidi Joannem Barclaium, amœniſſimi ingenii virum, & quem ſuo merito omnis elegantiæ compendium mihi vocare videor, ita prudenter, atq; nervoſè verſatum eſſe, ut addi nihil poſſit. Igitur dubitanti mihi, an poſt tantum Homerum Iliada ſcribere ſuperſederem aut ſaltem, ne quid deſiderari poſſet, mea adderem; ea ſententia ſedit, deſcribere hunc in locum integram Barclaii diſſertationem. Veniam, imo laudem merebor, quod quæ meis verbis tàm benè, tam eleganter dicere deſperabam, alienis, quibus prudentius, elegantiuſve nihil dici poteſt, proponere voluerim. Introducit ergo Cleobulum, regii conſilii præſidem, Regi ſuo ita loquentem: Quamdiu lenitas in virtutibus erit,

non

non dicêris ullo vitio impuliſſe labentem in clades Siciliam. Lenitate, inquam, tuâ, malignitas fatorum in tuas & patriæ clades abuſa eſt. Illa facilitas, & indulgentia in Magnates, illa tua tuorumque majorum incauta in eos profuſio prodidit præcipuas imperii vires, aperuitque injuriis deſpectam dignitatem. Jam quidem perculſi ſunt: jam ſilebunt defeſſæ factiones. Aſt, ubi reſpirarint, expecta alios fluctus, niſi ventos plùſquam Æolico utre tenueris. Pugnabunt erumpere; & quamdiu nimis poterunt illi, nunquam ſatis Reges poteritis. Nec in tyrannidem te adorno. Ipſis quoque conſules, ô Rex, ſi efficies, ut timore. aut faſtidio culpæ, paulatim inquietos mores dediſcant. Tum Meleander: Scio, inquit, ex his nubibus fervere pleraſque procellarum. Sed vires eorum hominum adultæ ſunt, & ipſo tempore ac patientiâ Regum jam propè legitimæ. Hos itaque accidendo vel injuriam facere credar, quia natam ante

me

me potentiam percellam; vel nimio in conatu regias vires jam ſæpè delibatas, & quarum infirmitatem celari intereſt, inconſultò experiar. De ſucceſſu, reponit Cleobulus, meliùs ominare, dū ordine & per partes evellas eam ſegetem, quâ ipſi luxuriant. Sed nec crede, iniquam fore cauſam, & quam Dii hominesque non probent, ſi pugnabis pro regiâ dignitate, & Siciliam à parricidio prohibebis, quo ipſa ſe furiis mactat. Quinam illi ſint, vide; unde proceſſerint; quæ illos machinæ faſtigio tuo admoverint. Utcunq; ſe jactent; majorum tuorum beneficio opes comparavere, in præfecturas miſſi ſunt, regiæq; amicitiæ indulgentiâ hoc culmen condiderunt, ex quo hodiè ſive ipſi, ſive eorum poſteri certant in Reges. Tua ſunt ergò tela, quibus laceſſeris, tua acies tot mucrorū, cæcâ diſcordiæ manu infelicitatem ſui auctoris voventiū. Si merentur, ſi ferre felicitatem ſuam non poſſunt; ab iis duntaxat recipe, qvod à vobis accepe-

cœperunt. Nudos medius fidius relinqves, cogeſq; obliviſci ſpirituũ qvibus nunc intumeſcunt, veſtras apud ſe mirati divitias, ſuæ verò ſortis ignari. Ac, qvò maturius cõſulas ſceptro, vide quã multum coaleſcat illorũ in vos imperium; qvã publicè, qvàm periculoſo conſenſu hæc velut jura peccandi nunc aſſerant. Inter ſe æmuli, inimici, tamen vix libenter accipiunt, à Rege ullum premi: Qvisqvis ergò rebellat, cæteri adſunt, vel publicè, vel privatis affectibus. Nũc cauſæ ſe addunt, nunc tempore utuntur jam ſatis occupato, qvo alio jurgandi prætextu diſtrahant Regem. Alii tuum latus, tua caſtra non deſerunt; ſed lento & per ambages fracto regiorum conſiliorum aut militum uſu, diu volunt rebellium contumaciã conferri viribus ſceptri; ne videatur indignum Regibus aut impar eſſe periculum, aſſveſcatqve populus vereri hos motus & pati. Ita ſibi ipſis & exemplum faciunt, & exitũ ornant, ſi ita iraſci in Regẽ contigerit.

Hanc

Hanc conjurationem niſi antevertis conſiliis, quantum aberis à Merganiæ (Germaniam intelligit,) fato. Regio erat ſub uno formidanda: nunc ſegnitie vel patientiâ imperantium adeò in varios Principes lapſa, ut domino tota exciderit. Quanquam recenti memoriâ tenes, Rex, quid hæ poſſint factiones; permittes hîc tamen earum cunabula, & ingenium percenſeri. Nam & accendi te volo, vel parari ad patientiam haut dubiæ cladis. Igitur, ſi quos attollis præter veterum Optimatum libidinem, tanquam de eorum bonis ſit, quod largiris, excedunt ab aulâ: queruntur ſe contemptos; in arces, præſidia, quæ iis credidiſti, confugiunt, Fortunas populi deflent; exanimati regni ſanguine paucas hirundines repleri: non ferendam eorum ſuperbiam, qui faſcinato Principi illudunt, vetereſque & emeritas ſtirpes inexperto recentis potentiæ gaudio calcant. Frequens hæc quidem, ut noſti, diffidendi eſt ratio, proruendique

dique

dique ad civilia arma. Sed & aliæ præterea cauſæ illis ingeniis faciunt defectionis audaciam. Diu ipſis largitus ceſſes utcunque magiſtratus, præfecturas jam plenis necdum tamen ſatiatis negaveris; iis arcana omnia non credas; habeas alios fideliores tibi: non acceſſeris odiis, quibus æmulos devovent. Illicò indignè haberi ſe putant; frendentque tanquam contumeliâ violati. Alii, ut reverentiam ſibi concilient, & quid poſſint, Regem admoneant; quærunt offenſionis materiam, & gratis ineunt conſilia in publicam pacem. Cæterùm, quæcunque illos occaſio tollat in rixam, viribus, quas vos Reges tribuiſtis, ſuccincti, mox, clientes armatoſque inveniunt eò prolixiùs quòd hæc ſecedendi facinora ſemper inulta ſunt, & plerumque præmia habent. Sic erecti, ſic velut in ſuo regno collecti, opimiora ad conciliandam pacem à vobis Regibus extorquent, quàm ſi ipſis obſequium & fides manſiſſet. Veſtro inte-

interim auro, veſtriſq; ſtipendiis(qvis ferat?) militant acies, qvas in vos educunt. Ærario veſtro feroces, aut rationem imperii depoſcunt à vobis, aut regnandi modum preſcribunt. Veſtri coloni ſunt, veſtri cives, qvi plus qvam externis tumultibus per hæc bella eruuntur. Qvid deinde? emitis pacem, Reges; his prodeſt peccaviſſe. Vos in regno nũqvã bona fide pacato expectatis ſoliciti, ex qvo cinere ſe flamma refundat; cui placeat gloria novæ litis, qvæ veterũ tabulę jam pleniſſimis libris addẽdæ ſint. Minimũ putem, qvod hæc bella, hæ paces exterarũ gentiũ ludibriis evileſcũt; qvodq; minor qvàm pelago fides eſt, ſive qvietem agimus, ſive tumeſcimus. Majora ſunt vulnera, qvibus viſcera patriæ lancinant illi mores. Robur enim maximæ gentis, & cui, ſi hæc abſint incomoda, nulla non ceſſerit, hic aſſiduus & peſtilens ventus affligit. Pereunt urbanæ & ruſticæ opes, qvaſcũq; provincias turbo afflaverit. Conſumitur impe-

tus animorum, & prudentũ, qvos multos habemus, ſolertia, digna Orbi iminere, his domi pacandis tota vix ſufficit. Inſtituuntur præterea animi juventutis ad audaciã & contemptum majeſtatis infandamq; dulcedinem belli civilis, in qvo furor & aviditas ſubitas pugnas, & præſentia præmia habet. Ita domeſtico facinore marceſcit, qvicqvid ad terrorẽ exterorum Dii Siciliæ noſtræ tribuerãt. Neq; putes hæc eſſe rudimenta flagrãtium animorum, qvi caſtrenſi diſciplinâ eruditi, æſtus inter ſe conceptos mox in peregrinum hoſtẽ validius effundant. Utinam hæc ſolatia ſaltem eſſent civilis inſaniæ. Sed ne illthic tyrocinium ad fortitudinẽ aut militiam credas: cogita, qvam ſæpè plus vanitatis & minarũ hi turbines habeant, qvàm juſti laboris in caſtris. Conveniunt illę cohortes in arcibus, urbibuſq; obnoxiis; facilem civẽ, aut imparatos agreſtes diripiunt. Hæc plerumq; fortitudinis ſumma. Acies raræ, nulla aut ſubita diſcrimina: qvia obno-

obnoxiè placantur, & ante fortunam armorum ab facinore donatos dimittitis. Sed etiam, ut bella hæc durent, ut ſæviant mutuæ turbæ: at interim miles optimæ patriæ ſpoliis ſaginatur, & in bonis miſerorum civium bello quàm pace delicatior, latrociniis magis quam conſtantiâ, robore, arte imbuitur: ut ad diſciplinam deinde veri & ſobrii Martis & externis regionibus interdum infœcundis frangatur enervi faſtidio, doceatque diverſiſſimos eſſe labores, prædatoris & militis. Temnimur interim, ô Rex: & ſi quid in vicinos minaris, robori minùs ſuo quam malis noſtris fiſi, tuos conatus deſpiciunt. Largitione tantillâ facilè credunt excitare de Siculis, qui civili ſeditione te implicent. Sic tradunt te iis debellandum, per quos tuis auſpiciis debuerunt everti. Nobiliſſimæ genti infamiam an perniciem hoc plùs creent, ipſe exiſtima. Vis denique quod tui cives queri poſſunt, hîc audire? Componendis his flu-

fluctibus olim populus ad regiam poteſtatem reſpexit. Ne collideret Optimates ambitio, ne unam gentem factiones dividerent; eſſetque timendum à civibus, quod hoſtes ſolent minari, tranſtulere in Regem purpuram, ſolium, ferrum. Quod ſi adhuc in regno vexantur Reipub. malis, quid precii illis erit traditi ſui juris, exutique imperii? aut illos in libertatem reſtitue, aut domeſticam præſta quietem, propter quam libertatem reliquerunt Melander ad hæc verba ingenti ſuſpirio pectus concuſſit: facilius argui morbum poſſe, reſpondit, quàm expelli medicina. Jam ſe Eriſtenem & Oloodemum (hi factioſorum præcipui à Barclajo finguntur) ferro ultum. Lycogenem occubuiſſe. Si ad illud exemplum quotidiè ſeveritatem res exigunt, ſibi ipſi in odium venturam poteſtatem, quæ ſangvine Optimatum alenda ſit. Summa in illis indoles, inquit, animi vigor, multæ virtutes. Scilicet extingvam aut

premam hæc ſydera? omnia autem? ſed illud inhumanum, & fortaſſe ſupra regias vires. Qvænam igitur? nempè ſuſpecta. At verò & ſolæ ſuſpicionis pœnas luere eſt indignum; & præterea ſæpè nullum eſt ante tumultus ſuſpicionis veſtigium. Impetus in vividis mentibus præceps haut varò ſimul cogitat, ſimul excit hos motus. An omnes habebo meâ rigiditate averſos? vivamne feræ inſtar in ſolitudine? an potius novis hominibus regiam implebo? acerbius me herculè ipſo malo remedium! Deos & fata ſpero, poſtqvam ſumus emoliti acerrimam tempeſtatem, pro habenâ reverentiam noſtri fore expertis, qvid poſſimus. Saltem Cleobule, qvàm mitiſſima conſilia habes, exprome. Tùm Cleobulus. Faveo tibi, ô Rex: id eſt, proceres, qvantum licet, tecum excuſo. Læti in illis & ingentes ſunt animi; & hæc ipſa qvæ arguimus, magnæ indolis notæ ſunt; & ſi legum habenis teneretur, rebus publicis ſalutaris

ris nunc, quam illam paſſi eſtis laſcivire, eorum quæ cogitat, quæque audet, inclino in vos Reges invidiam. Cæterum cum virtutes ac vitia non plus ex merito æſtimentur. Quàm ex populari judicio: nihil mirum, ſi conſuetudo & peccantium claritas atque ſucceſſus nobilitaverit hanc culpam: quam ſi premi & eripi cupis, revocanda eſt paulatim ad ſuorum natalium vilitatem. Hoc autem efficies, primùm nominis veri dedecore: ut apud te perduellio, conjuratio, perfidia nominetur; non, ut ſolet, magnitudo animi, prudentia, ſocietas, publici boni cura. Deinde, ut qui à te ſeceſſerint, ſaltem efflagitatæ veniæ humilitate frangantur: cùm nunc (miro gentibus ritu) damnare te ſoleas, publicis profeſſus codicillis, hos eſſe innocentes. Nam ſi rei non fuerunt ſumptis armis, certè tu reus, in qvem illa ſumpſerunt. Triſte dictu. Si hæc poſtrema exceperis arma, in qvibus ſimpliciter victor es, vide ſub te & patre tuo tur-

bas. Omnes eâ cautione dimiſſæ ſunt, (innuit Barclajus ſuperioris ſeculi turbas in regno Francico) ut terras populatas, conſcriptos milites, cætera defectionis facinora nimia ſimulatione, & prodente captivitatem imperii imputaretis vobis. Juſſu hæc veſtro, aut veſtri gratiâ eſſe patrata publicis chartis ſuſtinuiſtis inſcribere. Sed durum eſt premere iſtas ſtellas. Etenim nec obrui illas, ac nec tegi oportet inhumana ratione. Luceant ô Rex: dum meminerint, cui Soli lumen hoc debeant, nec caliginem faciant tuo orbi. Ferè neceſſe videbatur; alicujus ſangvine lui hoc crimen. Extorſit atrocitatem remedii à tua bonitate cùm Oloodemo Eriſthenes, & infelix vindex Lycogenes cæterorum animos aliquandiu ſui memoriâ tenebit. Quiſquis autem temporum illorum oblitus in hunc ludum primus deſcendet, ocius hominem preme, non tardis, non incertâ conſultatione libratis conatibus. Ipſe tibi expeditionem deſu-

deſume,ne duorum ducum prævaricatio illam cauſam inutili mora conficiat. Si audebis,ſi non cunctaberis,multi majeſtatis reverentiâ capti tuum auſpicium ſeqventur; qui dubitare incipient de ſuo officio, ſi & videberis deliberare,an impunè poſſis offendi. Tunc nitendum, ne timidâ remiſſione ſpirituum videaris iſtorum temporum oblitus, aut veniam petere extincti Lycogenis. Conſentias cum impetu iſto, ut tuus eſſe potius videatur quàm fortunæ. Fœdera, leges, pacta cum armato rebelli nec audi. Unum ſit pœnitenti remedium, ſi ſupplicet, ſi ſupercilium ponat,ſi ſe & cauſam damnet. Lenitatis tuæ erit ſic compoſito indulgere, niſi nimis pernicioſè erraverit,aut in neceſſitatem diſtulerit pœnitentiæ larvam. Sed ignoſce ea lege, ut aliquid ipſi in mulctam decedat. Si provinciam à te habet,partem ex ea deliba, quam alteri tradas: ſi arces aut ſuas aut regias, unam ex iis futuræ fidei pignus cape. Ti-

mebunt alii ſpolia dare ad regiam gazam, qvi nunc contrario voto æs, faſces, præſidia audent in precium pacis exigere. Cave autem dare hos reos precibus cognatorum, qvi apud te in illos militaverint. Nam vix ulla vulgarior fraus eſt, qvàm iſtorum optimatum non ſtudîo, non vero affectu, ſed velut ſortibus ſe in adverſa dividentium caſtra. Fratres, affines, patrueles, hic pro te, ille cum factioſit ſtabit: ut victoria aut favore in utramlibet fortunam ſecuri ſint. Hos te maximè ſuſpectos habere æqvum eſt, ô Rex; & ſi anxiè pro cognatis ſuis orant propemodum hoſtes. De ducibus factionum hæc ſentiam, Sed qvid illi abſqve militum manu? Hi ſunt ſangvis, hi nervi tumultuum; nec in eos impunè ſeveritatem omiſeris. Qvos igitur placidis rebus ſeu præſidiarios milites ſeu prætorianos conſcripſeris, ſi defectione oborta præfectos forſitan ſuos in Regem ſeqventur; iis infamis ſit miſſio. Cingulum ponant.

nant. Nullus pœnitentium clamor, nullæ procerum preces te moveant. Diſcant non tam Præfectos venerari, quàm te in illis, quippe hos ſecum à te ali, à te pendere. Ita exercitus, quos in pace educas, ſyncerè erunt tui; nec te magnates creditarum fiducia copiarum deſpicient. Si qui autem concitato tumultu, nullis ſtipendiis tibi devincti, ad factionem acceſſerint, his mitiora imperari non abnuerim. Simplicis defectionis rei ſunt. In eos, ſi lubet, manſuetudinis, obtine famam: modò veniam te dediſſe non ſe ingratiis uſurpaſſe, intelligant. Hæc Barclajus.

Qui idem alio loco duo eſſe dicit, quibus Proceres in Regem ſuum armantur, ſolicitanturque ad ambitum; longum imperium, moſque conſtituendi rectores provinciarum in eam legem, ut non antè magiſtratu, quàm vita decedant: alterum, munitionum, arcium, præſidiorum numerum nimis magnum. De primo ſuprà dixi. Arces &

munimenta magnatum ambitionis aggeres merito vocantur. Plerumque enim arcium rectores dominive à ſceptris deficiunt; plerique motus ex his clauſtris erumpunt, aut in illa tutos habent receptus: invitante ad peccandum tot munimentis foſſisque ſuperbâ rebellandi ſecuritate. Unde Henricus II. Angliæ Rex omnes Procerum arces mœnibus nudavit. (*Boter.4.della ragion di ſtato.6.*) Quod & Græci dirutis ſuſpectarum urbium muris, & Romani quoque facere ſoliti ſunt. Neapolitanum regnum caſtellorum, turriumque frequenti ſupercilio tumebat: & erant optimates tanti factione & viribus, ut quod plerumque infelix potentiæ genvs eſt, Reges terrerent. Nunquam penè ſinè motu illa, alioquin feliciſſima regio fuit. (*v.Pandolf.Collenut. Ioan.Iov.Pont.Barthol. Fac. in hiſt. Neap.*) Dejecti nunc Reges, nunc Proceres; donec arcibus pleriſque everſis magnatum quoque robur variâ Regum

gum arte (v. *Th. pol. par. 3. apotel* 72) ſuppreſſum eſt. Porrò & illud addendum eſt, quorudam ſententiâ primogenituræ jus, quo moribus quorundam regnorum excluſis minoribus fratribus ad majorem ſumma bonorum paternorum defertur, intutum Regibus eſſe. Cùm enim illo jure nimiæ & interdum privatam fortunam excedentes divitiæ ad unum confluant, fieri non poteſt, ut ille tantarum opum vi ſuccinctus non ſeipſum mirari, & vel in Regem potentiam ſuam expedire audeat. Unde plurima ſunt illorum exempla, qui deſpectâ ſemper ſacroſanctâ majeſtate capita ſe duceſqve ſeditionibus præbuerunt, patris patriæ populorumqve patroni ambitioſiſſimis titulis ſibi ſumptis. Deniqve in Gallia (ſive in invidiam Regis confictum, ſive verum fuerit) regiorum conſiliorum, quibus Procerum potentia infringeretur, aliqvando hanc fuiſſe ſummam in vulgus jactabatur; proceres ante omnia de medio tol-

lendos,&nobiles ſenſim carpendos. Ad tollendos autem magnates & nobilitatem in ordinem cogendam placere, ut bellum religionis colore alatur. Nam ſic paulatim ad internecionem eos, præſertim, quò quiſque generoſior eſt, deleri poſſe; neque defuturas artes, quibus ii, queis belli fortuna pepercit, in pace opprimantur. Intereà dum bello & pace in id incumbitur, cautè ſervandum eſſe, ne Rex dignitates, honores, munia publica iis, aut in eorum gratiam cuiquam conferat; invidioſas & ſumptus periculique plenas præfecturas aut delegationes ipſis reſervet: penſionibus & honorariis, quantum licebit, ſubtractis: quo vaſta illa corpora, tanquam alimento negato ad maciem paulatim deducantur, ac poſtremò concidant. In primis publica regni comitia, quæ tantùm ad firmandam ordinum potentiam ſpectant, omninò prohibenda eſſe; & ſeverè caſtigandos, tanquam publicæ quietis turbatores, qui

qui ad illa proclamabunt. Sublatis proceribus, & labefactatâ nobilitate in civitatibus & urbibus eos petendos, qui per bella à regiis partib. non ſteterint; quib. ſublatis facile fore, ut toto regno civitates munitæ mœnibus & propugnaculis nudentur, & arces procerum atque nobilium diruantur. *(Thuan.57.)*

Deniqve ſatis apta ratio eſt titulis ſuperbientes inflatosque deprimendi, ſi tituli illi vulgentur, noviſqve conferantur hominibus. Ita parvifient, qvi olim ſummi honoris loco ambibantur. Hoc modo, ſi ſint, qui ducum, comitum, baronum appellationibus ſe attollunt; ſume ex tuis hominibus, qvos tanqvam ob merita & fidem iisdem afficias honoribus. Evileſcent illa nomina multitudine, & ignobilitate candidatorum.

Tractare prœliorum vias, & quæ ſibi tertium jam annum belligeranti ſæva proſpera eveniſſent &c.] Bella ar-

mis & ducum conſilio geruntur, pugnando in acie; non figuris qvæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur, aut virgâ in pulvere deſcribuntur. Acies ſchola eſt, exercitus diſcipuli, arma pennæ, qvæ tinctæ hoſtili ſangvine hiſtorias ſcribunt in carne. Unde neceſſe eſt revolvere ſic geſta in bello, non in muſęo. N. M. etſi de re militari ſatis benè ſcripſiſſe videtur, tamē, petente Urbini Duce nullam earum, qvas docuit, aciem ordinare ſuſtinuit. (*Cl. Beſold. in polit.*)

Fumen Viſurgis Romanos, Cheruſcoſq; interfluebat, ejus in ripa cum cæteris primoribus Arminius adſtitit, quæſitoque an Cæſar veniſſet, poſtquam adeſſe reſponſum eſt, ut liceret cum fratre conloqui, oravit.] Oportet cautiſſimum eſſe Principem, alioſqve magnos viros in congreſſibus & colloqviis, ne ſe imprudenter in hoſtium manus miſiſſe dici poſſint. Inſtituto colloqvio inter Cerialem Civilemqve, adverſarum partium duces, ſciſſo

ſciſſo Vahalis fluminis ponte in ejus abrupta progreſſi colloqvuti ſunt. (*Tacit. 5. hiſt.*) Ludovicus XI. Galliæ Rex cum ſuo eqvitum Magiſtro, quo cum ſimultates exercebat, in colloquium deſcenſurus pontem amni cuidam imponi juſſit; in eo medio cancellatæ velut feneſtræ factæ; ut conſpici inter ſe exaudirique colloquentes poſſent, ac dextræ interjungi. (*P. Æmil. 10.*) Ludovicus Sfortia Mediolani Dux cum Galliæ Rege non aliter congredi valebat, quam in fluminis cujuſdam medio, ubi pons aut navibus aut alia ex materia ita ſtructus eſſet, ut inter utrumque firmum ac robuſtum ex lignis vallum intercederet. (*Guicc. 2. hiſtor.*) Poſtremò notatu digna eſt Franciſci I. Galliæ Regis cura, qua, cùm ex carcere Hiſpanico rediiſſet, ſibi proſpexit. Rex Lanojo Neapolitano Pro-rege, Alarcone militum duce & quinquaginta equitibus comitatus ad ejus fluminis, qui Hiſpaniam à Gallia dividit, ripam venit.

Eo-

Eodem tempore ac penè momento Lautrecus cum duobus Regis filiis, futuris obſidibus,& pari equitum̄ numero in oppoſita ripa conſtitit. In medio amnis vacua navis erat anchoris firmata. Ad hanc Rex ſcaphâ cùm Lanojo, Alarcone,& octo aliis,qui omnes brevibus erant armati telis, trajecit: & ab adverſa ripa Lautrecus cum obſidibus & octo aliis pari armatura ad alterum navis latus ſe contulit. Deinde Lanojus & Alarco cum Rege & octo comitibus navem conſcenderunt; idem ilicò factum à Lautreco & ſuis pari numero. Poſtquam omnes in navi conſtiterunt, Lautrecus Delfinum ex ſua ſcapha in navim tranſtulit;qui Lanojo, & ab hoc, Alarconi traditus in Hiſpanicam ſcapham imponitur; eodemque momento alter regis filius Dux Aurelianenſis in navim acceptus eſt. Quod ubi factum eſt, dicto citiùs Rex in ſuam ſcapham deſiliit;& ad ripam vectus, Turcico equo miræ pernicitatis raptim

ptim conſcenſo in tutum abiit. (*Guicc.* 16.)

Simile quiddam & vicinum notabo, moris eſſe, ut cùm duo Principes conveniunt; is, qui dignitate anteit, prior ad conſtitutum locum veniat. Honoris enim quædam ſpecies eſt, quòd alter poſterior, & ad hunc accedere videtur (*Guicciard in hypomnes.*) Cùm de colloquio inter Leonem X. Pontificem Maximum, & Franciſcum Galliæ Regem conveniſſet: Rex biduo poſtqvam Pontifex adveniſſet, Bononiam ingreſſus eſt. (*Guicciard.* 12.) Margarita Caroli Cæſaris amita, & Aloyſia Franciſci regis mater, quòd pari dignitate viderentur, eodem momento per diverſas Cameraci portas contiguas ædes, ex quarum unâ in alteram aditus erat, ingreſſæ ſunt, (*Guicciard.* 19.) Carolus Cæſar Clementem VII. Pontificem jam antè ingreſſum Bononiam, (*Mauroceu.* 3. *hiſtor. Venet.*) & alio tempore Paulum III. Piſas (*Ioan. Bapt. Cin.* 2. *de*

de vita Coſmi) ſecutus eſt. Franciſcus Rex, cùm Pontifex Maſſiliam veniſſet, quamvis eadem nocte officii cauſa ipſi affuerat, tamen urbe poſt excedens poſtero die cum comitatu aulico in urbem rediit. (*Guicciard. 20. hiſt. Maurocen 4. hiſt. Venet.*) In congreſſu Philippi Hiſpaniæ & Sebaſtiani Luſitaniæ Regum ad Guadalupam, poſteriores Luſitani acceſſerunt &c. (*Coneſtagg.* 1. *de conjunct. Portug. cum regn. Caſtil.*)

Flavius aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliaque militaria dona memorat] Ridiculus hîc eſt Amiratus, dum Principes dona militaria Romanis olim uſitata, qualia fuerunt coronæ civicæ, obſidionales, navales, ex quercu, lauru aut gramine factæ in uſum reducere hortatur, rem à ſeculi genio abhorrentem, adeoq; impoſſibilem. Aurea nunc ſunt tempora, non qualia ſub Saturno Rege fuerunt, ſed quibus dives Pluto imperium tenet.

Pleraque ſermone latino interjaciebat.

bat,&c.]Pertinet ad Principis & Reip. exiſtimationem,ne in judiciis,in tribunalibus, in congreſſibus denique quibuſvis, aliâ linguâ etiam peregrini utantur, quàm noſtrâ. Magiſtratus populi Romani quantopere ſuam populique majeſtatem retinere laboraverint,hinc cognoſci poteſt, quòd illud ſummà conſtantiâ cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi Latinè reſponſa darent.Quin etiam ipſa linguæ volubilitate,quâ plurimum valent,excuſſâ per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum, ſed etiam in Græcia & Aſia; quò ſcilicet latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.(*Valer. Max.2.c.2.*) cautum etiam Romæ fuerat ante Ciceronis tempora,ne quis oraret Græcè;(*Valer. d.l.*)& decreta à Prætoribus latinè interponi neceſſum erat(*Triphonin.I.C.l. 48.de jud.*) Tiberius Cæſar in Senatu non niſi cum excuſatione monopolii verbo uſus eſt.(*Suet in Tiber.*)Superiori ſe-

ri ſeculo Hiſpaniæ RexMauris neceſſitatem impoſuit non ſuâ ſed Hiſpanicâ lingva ſermonem conferendi. Deniqve apud Bohemos & Moravos lex eſt, ne cui Illuſtri vel Equeſtri ordine nato cujuſquam hereditatem cernere, prædiave, quæ nos *Landgutter* appellamus poſſidere liceat, niſi linguæ Slavonicæ perito.

Diſtantibus locis invecti, ut hoſtem diducerent] dixi ad lib. I. verb. *diſtrahendo hoſti per Bructeros &c.*

Propinquo *ſummæ rei diſcrimine, explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, ſecum agitabat. Tribunos & centuriones læta ſæpius, quàm comperta nunciare, libertorum ſervilia ingenia: amicis ineſſe adulationem: ſi concio vocetur, illic quoque quæ pauci incipiant, reliquos adſtrepere. penitus noſcendas mentes, cum ſecreti & incuſtoditi inter militares cibos ſpem aut metum proferrent. Nocte cœpta, egreſſus augurari, per occulta, & vigilibus ignara comite*

comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit caſtrorum vias &c.] Dixi ad librum primum, quàm rarò Principes verum reſciſcant; quibuſque modis falſas delationes cognoſcere poſſint. Mutato habitu, & diſſimulata perſona in circo, in civium panegyribus expiſcari, qui de ſe, deque miniſtris ſermones ferantur, (qvod feciſſe etiam bonos Principes Joannes Boterus docet) (1. *della ragion. di ſtato* 17.) periculo non caret; nec itaque mihi probatum.

Accipere omen & matrimonia ac pecunia hoſtium prædæ deſtinare) Omni ſcelere major improbitas, religione non alio fine uti, quàm regnandi inſtrumẽdo; quo de argumento ad ſuperiorem librum multa dixi. Quod autem Scipio Amiratus hîc falſum eſſe putat, Romanos abuſos religionibus, & interdum auſpicia interpretatos ex uſu incidentium negotiorũ, id vel ſolo ſupra laudato Polybii teſtimonio cõfutatur. Quid enim apertius, quã quod ille fatetur Scipionem

pionem falſoDeorum colloqvia finxiſſe? qvod ridet ſuperſtitiones, quas tamen tenendis in officio populis neceſſarias aſſerit? An neſcimus, haruſpicum & augurum fraudes apud Romanos decantatiſſimas fuiſſe; ut miratus non nemo fuerit, illos, cum in publico congrediuntur, memoriâ fallaciarum, quibus omnes ludunt, riſum tenere poſſe. An non denique certum eſt, multa vana ſub celebri nomine librorum Sibyllinorum (qvorum reſponſa jactabant ſemper Romani) vulgata? (*Tacit.*4. *Annal.*) Nec in contrarium movet, qvòd multi Romæ ante Doctrinam Deos ſpernentem nati ſunt. Nam & tunc, ut poſterioribus ſeculis religiones confingebantur; & Numa, primus ſuperſtitionum magiſter Ægeriç Nymphæ arcanos congreſſus falsò jactabat. Sed illud intererat, qvòd qvamdiu tecta fraus erat, Deorum metus animos qvamvis falsâ obſtrictos & inani ſuperſtitione tenebat; patefactis dolis, vete-

res

res ceremonias, & meliorum ignari omnem Numinis cultum ſpreverunt.

Aliud ſibi reliquum, quàm tenere libertatem aut mori ante ſervitium?) Rectius deſperatio, quàm, ut ſolet, ira fortitudinis cos appellatur. Neceſſitas uni qvatuor hominum vires confert. Uſitatum fuit, eſtqve magnis belli ducibus, ad eam neceſſitatem ſuos milites adigere, ut aut virtute ſalutem tenendam, aut moriendum ſibi eſſe intelligant. Solet enim abrupta ſæpè diſcrimina ſalutis ultima deſperatio propulſare. Inde Alexander Magnus militibus ſuis, perveniſſe eò, dicebat, unde fugere non poſſent, tot terrarum ſpatia emenſis, tot amnibus, montibuſqve poſt tergum objectis, iter in patriam & penates manu eſſe faciendum. (*Q. Curt.* 4) C. Cæſar ancipiti prœlio eqvos dimittebat, & præcipuè ſuum, qvò major permanendi neceſſitas eſſet, auxilio fugæ erepto. (*Sueton. in Iul. c.* 60.) Corcyræi exules, ut fugæ ſpem omnem ſuis adime-

adimerent, navibus, quæ eos advexerant, ignem injecerunt; (*Thucyd.* 3.) quod idem Ferdinandus Corteſius in nova Hiſpania, & Gvilielmus Normanus cùm in Angliam trajeciſſet, fecerunt. Et hos ſuperioribus annis in Belgio Mauritius Naſſovius, dimiſſis navibus, quibus in hoſticum tranſierat, imitatus videtur. Carolus Martellus, cum innumerabili Saracenorum multitudine pugnaturus præconium circummiſit, & ipſe, à quibus in extendente jam ſe acie exaudiri potuit, pronunciavit, juſſu ſuo clauſas eſſe Turonum (erat ea urbs vicina loco, ubi pugnabatur) portas, neminem, niſi victorem recepturas. Hinc Ligerim, illinc hoſtes claudere. (P. *Æmil.*) Prudenter ſanè! Qui enim receptum habent, quos ager & terra aliqua per tuta & pacata itinera fugientes accipiunt, timidis & ignavis eſſe licet; quibus verò unica ſpes eſt, nullam ſperare ſalutem, neceſſe eſt fortibus viris eſſe, & inter victori-

am mortemque certâ deſperatione abruptis aut vincere, aut, ſi fortuna dubitabit, in prœlio potiùs, quàm in fugâ mortem oppetere. Denique veriſſimũ eſſe judicandum eſt Thucydidis (IV.) effatum, ubi pugnare & fugere peræq; honeſtum eſt, & ſine pudore flagitii; ſine cura ducum abire, fugere licet, non eſſe fortitudini locum. Cæterùm de toto argumento diſſerit acutus Hetruriæ Doctor (ſic Lipſius illum vocat) in diſputationibus ad Livium. (*lib.3. c. 12.*) Sed ut noſtris ejuſmodi fortitudinis neceſſitas injicienda eſt, ita hoſtes vel incluſi, vel in fugam effuſi ad deſperationem adigendi non ſunt: ne ſpe melioris fortunæ excluſi etiã mala timere deſinant. In quẽ ſenſum Scipionis laudatur ſententia, viã hoſtibus, quâ fugiant, muniendam: &, ut Italorum proverbium habet, argenteum pontem faciendum. Illud deniq; hîc adnotandum eſt, ſeditionum auctores, ut omnis reconciliationis ſpes procul amandetur, &

ut Tacitus(*4.hiſt.*)loquitur, *quo minore ſpe veniæ creſcat vinculum ſceleris*, inſigni aliquo facinore multitudinem maleſaſanam obſtringere ſolere;ut ne quidem ſi affulgeat aliqua ſpes redeundi in gratiam cum Principe aut offensâ patria, acceptare eam liceat,oculis obverſante horribilis ſceleris conſcientiâ.

Repertis inter ſpolia eorum catenis,quas in Romanos, ut non dubio eventu portaverant.)Ita ſolet ſummus Deus dejicere, quicquid vanè ſe attollit. M.Antonius Cretam invaſit cum ingenti quidem victoriæ ſpe atque fiducia,adeò ut plures catenas in navibus quàm arma ferret; ſed irrito conatu. (*Flor.* 3.) Ætoli Mygdoniorum,(*Polyb.*2.)& ſuperioribus temporibus Hiſpani Britannorum opes ſpe devoraverat : ſed utrobique hians corvus deluſus eſt.Gedanenſium in bello, quod cum Polonis geſſerant, tantam fuiſſe confidentiam arrogantiamque memorant,ut quidam cauponibus quatuor Polonos pro uno capone

pro-

promitterent. Iſabellam Claram Eugeniam Belgarum Principem in nuperá obſidione Oſtendanâ votum feciſſe ajunt, non ſe priùs interulam mutaturam, quàm capta foret Oſtenda. Capta quidem eſt Oſtenda, ſed non niſi poſt tertium obſidionis annum: nec mihi credibile ſit, Principem triennium & ultrà uno induſio uſam.

In modum trophæorũ arma, ſubſcriptis victarũ gentiũ nominibus impoſuit. Haut perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quàm ea ſpecies, dolore & ira adfecit &c.] Plus doloris victo afferunt, trophæa, & exultatio hoſtium, & triumphalis pompa, quàm ipſa victoria. Apud Ammianum Marcellinum (*lib.* 16.) cadentes prœlio Sarmatæ non tam mortem dolore, quàm Romani militis lætitiam horrendo ſtridore monſtrabant. Et aliud exemplum eſt de Maximiliano Cæſare apud Guicciard. (*lib.* 8.) Et item aliud de Belgis apud Coneſtagg. (*4. de bell. Belg.*) Hinc inductus primò mos

erigendi trophæa ex materia, quæ non perpetuè duraret; ut, qui bello viciſſent, hi trophæum quidem ſtatuerent, victoriæ teſtimonium præſens: cæterùm via non præcluderetur redeundi in gratiam, dum alterius partis gloria, alterius infamia conſecrata longævo aliquò monumento foret. Et propterea, qui prima lapidea & ænea ſtruxerunt trophæa, reprehenſi ſunt; (*Alber. Gent. 3 de jur. b:ll. 1. ex Plutarch.*) ut &, qui ultra mortem inimici odia extenderunt. Benè ille ex Germanis Imperator, qui cùm hoſtem ſuum nimis precioſo monumento cond tum audiiſſet, non invidere ſe reſpondit. Velle, ut omnes inimici ſui ita ſepulti eſſent.

Nihil ex iis Cæſari incognitum, conſilia, locos, prompta. occulta noverat, actuſque hoſtium in perniciem ipſis vertebat.] Ut cuniculi, maximum utiq; in rebus bellicis momentum, detecti nocent: ita Principum conſilia in vulgus edita, & non, quã decet, religione ſecretè habita

hoſtes

hoſtes potiùs quã illos inſtruunt. Conſo, quem conſiliis præſidere Romani arbitrabantur, Romæ ara ſubterranea fuit, ut ſignificaretur, conſilia occulta eſſe debere. (*Io. Roſin. 2. antiq. Rom. ex Plutarch.*) Apud perſas nemo conſiliorum regiorum particeps erat, præter quoſdam Optimates taciturnos & fidos; apud quos Silentii quoq; colebatur numē. (*Amm.* 21.) Metello Macedonico dicere ſolemne fuit, ſe interulã, quæ conſiliorum ſuorũ conſcia foret, corpore direptam in ignem conjecturum, (*Val Max* 7. c. 4.) Inde quibuſdã Principibus & Rebuſpub. diſſimulãdi & ſimulandi artes in tanto pretio fuerunt. Tiberio; *Tacit. Dio Caſſ.*, Ludovico XI. Galliæ Regi; *Boter. 2. della ragion. di ſtato*) Alexio Comneno Imperatori. (*Nicet.* I.) Lacedæmonii dicuntur omnia Reip. ſuæ arcana occultaſſe; ita ut copiârum numerum, quem alii inſitâ ingenio humano vanitate oſtentant, ſcire nemo potuerit. (*Thucyd.* v.) Et inter

omnia Reip. Venetæ inſtituta præclariſſima, quibus illa in hunc uſque diem raro Ariſtocratici imperii exemplo viget floretque, non aliud mirabilius eſſe Trajanus Boccalinus aſſerit, quàm quòd, cùm paucis concredita Reipub. ſumma tyrannidi viam ſternat, indeque Veneti præcipua rerum Senatui Rogatorum, qui plus quam ducentis & quinquaginta nobilibus conſtat, permittant; ſummum tamen horum omnium, & ſimillimum oblivioni ſilentium, ſummamque fidem experiantur, nullâ mercede venalem, nullis perviam proditionibus. Mirabile eſt, quod Jo. Baptiſta Egnatius libro ſecundo de exemplis illuſtrium virorum Venetæ civitatis tradit, Carmaniolam bello Mediolanenſi Venetorum Imperatorem, cùm quaſi de pace cum Philippo Vicecomite ageretur, per octo menſes de illius proditione quotidie anquireretur; nunquam tale aliquid ſuſpicari potuiſſe; priuſque captum, damnatumque fuiſſe, quàm ſuſpectum ſe eſſe ſenſerit. *Quod*

Quod arduum ſibi, cætera legatis permiſit.] Benè qvidem Germanicus, ut dux & imperator. Cæterum non idem in Principe probatum; cujus cùm ea ſit conditio, ut præcipua rerum ad famam dirigere debeat, æqvuum eſt, non niſi tuta & cum certa gloria conjuncta ſibi ſumere; ardua, periculoſa, ancipitia legatis permittere; ut ſi cœpta non ſucceſſerint, non Principis infelicitas, ſed miniſtri imprudentia videatur.

Orabatque inſiſterent cædibus, nil opus captivis, ſolam internecionem gentis finem bello fore.] Et paulò ſuperius.

Nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur.] Multis verbis, duobus capitulis Scipio Amiratus, qvod nemo unqvam negavit, nec dubitationem ullam habet, idcòqve tribus verbis notari debebat, adſtruit, genus pugnæ & armorum magna in bellis momenta eſſe. Nobis alia diſſerenda occurrunt. Paulus Foxius apud Thuanum (*lib. 59. hiſt.*) reprehendit

uſitatam noſtris ducibus belligerandi rationem; quâ per tumultuaria prælia de receptu ingenioſè cogitatur: receptâ inter duces ſententiâ, è pugna recedentes denuò pugnare poſſe: ut bellum potiùs cauponari quam geri videatur. Veteres ſtatariâ pugnâ tam obſtinatè pugnaviſſe, ut paucis prœliis, atque adeò interdum uno debellaretur. Quæ ſententia ſanè quam multis placet. Ajunt Romanos magnis viribus bella geſſiſſe, quò breviori temporis ſpacio conficerentur; hoſti obviam profectos ſtatim dimicaſſe; victis leges tuliſſe. Noſtrorum ducum more ducendo bellum, exhauriri ærarium, colonos agris auferri; oppida, urbes, provincias, regna, incolis ſpoliari, & ad miſerandam vaſtitatem redigi: nec niſi laſſata utrinque crudelitate de pace cogitari, &, ut Tacitus, (*in Agric.*) loquitur, *ubi ſolitudinem fecerint, pacem appellari.*) Nihil paucorum hoſtium cæde profici. Quippe animos fieri ad ultionem arden-

ardentiores, in conſiliis adverſariorum explorandis ſagaciores, in capiendis iiſdem prudentiores, in diſciplina ſervanda ducum imperiis obedientiores: acriori denique diſciplinâ plerumque victos, quàm victores agere: hos irâ, odio, ultionis cupiditate ad virtutem accendi; illos per faſtidium hebeſcere. Inde celeritatem in priſcis ducibus tantoperè laudatam, & in aliis culpatam deſidiam & oſcitantiam. C. Cæſar, ajunt, nullum unquam hoſtem fudit, quem non caſtris quoque exuerit. Ita nullum perterritis ſpatium dabat. (*Sueton. in Jul. c. 60.*)

--- in omnia præceps
Nil actum credens, cùm quid ſupereſſet agendum.
Inſtat atrox. (*Lucian. 2.*)

Idem civile bellum ccc. equitibus v. cIↄ. peditum aſpicatus tanto ardore geſſit, ut 60. dierum ſpatio univerſam Italiam occupaverit. Cùm Syracuſarum civitas Athenienſium obſidione libera-

berata eſſet; cives tanquam perpetrato bello abiiſſe hoſtes gratulabundi ſecum gauderent; Hermocrates Syracuſanus, cujus apud Thucydidem non unum eſt inſignis prudentiæ ſpecimen, non committendum ratus, ut tantus exercitus digreſſus alia inſulæ parte conſideret, & denuò negotium faceſſeret, inſtandum hoſtibus, eoſque ad internecionem delendos ſvaſit & adfuit fortuna conſilio. (*Thucyd.* 7.) Hoc eodem in bello Niciæ ſegnis cunctatio, Athenienſium res evertit. Cùm enim is adventu ſuo ingentem famam & ſui terrorem Siciliæ intuliſſet: Catanæ in hybernis deliteſcens, in contemptum venit, & hoſtibus animos reſumendi ſpatium dedit. (*Thucyd.*) Eadem negligentia Hannibalem perdidit; cujus animum ſera nimis pœnitentia ſubiiſſe dicitur, quod non cruentum ab acie Cannenſi militem ad urbem continuò duxiſſet. (*Liv.*) Idem error in Braſida Spartano notatur à Thucydide, (*lib.* 4.)
& in

& in Ludovico Andegavenſi à Leonardo Aretino (*in hiſt. rerum Ital. ſui temp.*) Atque Joanne Baptiſta Pigna. (4. *hiſt. Ateſt*) Cùm enim ab eo Ladislaus Apuliæ Rex victus, evaſiſſet: ſolitus eſt ille deinde ſæpius dicere; eâ, qua profligatus ſit die & ſui corporis & totius regni poteſtatem in hoſtium manibus fuiſſe; alterâ die corporis quidem poteſtatem amiſiſſe, regni tamen dominos eſſe potuiſſe; tertiâ verò nec jam ſui nec regni habuiſſe copiam.

His ita ſentientibus nec ille mos placet, quo crebrò, omiſſis aciebus, moram facimus in obſidione oppidorum, caſtellorumque. Ajunt receptum eſſe inter belli peritos, eum, qui copiis prævalet, & agrum hoſtilem in ſua poteſtate habet, ſuperiorem bello videri: & victoriam ſequi deditionem oppidorum: nullumque eſſe tam valide munitum locum, qui interclusis auxiliis & commeatuum ſubvectione expugnari nequeat; contrà ſæpiùs infirma

loca defendi, quòd auxiliorum ſpe ſuſtententur. Alexandri Magni vox eſt; bello vicimus, ſi prœlio vicerimus; (*Q. Curt.4.*) & Germanici orantis, *inſiſterent cædibus, nihil opus captivis; ſolam internecionem gentis finem bello fore.* (*Tacit. hìc*) Franciſci Sfortiæ bellicoſiſſimi imperatoris ſententia fuit: devicto hoſtili exercitu debellatum eſſe: at expugnatis urbibus & caſtellis ſæpè bellum longâ majus ſuperfuiſſe. (N. M. v. *hiſt. Flor.*) Tacitus noſter (*4. Annal.*) Tiridatis à Tiberio in Parthos miſſi errorem notat quòd, ſi ſtatim interiora regni petiviſſet, oppreſſa cunctantium Parthorum dubitatio; & omnes in unũ cedebant, adſidendo caſtellum, in quod pecuniam & pellices hoſtis contulerat, dedit ſpatium exuendi pacta. Alterum in eodem regno exemplum eſt Bardanis, qui dum in Seleucienſes ut patris ſui defectores ira magis quàm ex uſu præſenti accenſus implicatur obſidioni urbis validæ, & munimentis objecti amnis,

mnis,muroque & commeatibus firmatæ; hoſti reſtaurandi belli occaſionem præbuit.(*Tacit.*xi.*Annal.*)Joh. Andegavenſis cùm ad oppida quædam regni Neapolitani ſubſtitiſſet,nec confeſtim exercitum ad urbem regni caput admoviſſet,victoriam corrupit,&vel ipſius Ferdinandi hoſtis teſtimonio facultatem occupandi regni prorſus amiſit. (*Ioh.Bapt.Pign.*8.*hiſt.Ateſt.*) Ludovicus XII. Galliæ Rex ab Henrico VII.Angliæ Rege in tantas anguſtias conjectus erat,ut deſperatis rebus ſuis inBritones Armoricos fugam meditaretur.Sed ſalutem ipſi hoſtium negligentia attulit, qui obſidione Terroanæ urbis quinquaginta dies occupati animo reſumendo tempus dederunt. (*Guicc.* 12. *hiſt.*)Maximilianus Imperator,ſi triduo maturius ad mœnia Mediolani exercitum duxiſſet,omnium judicio ad deditionem Gallos compuliſſet : hærenti in obſidione Aſulæ oppidi, Helvetii,præſidii cauſa Mediolanum ingreſſi

victoriam ademerunt.(*Guicc.12.Parut.* *3.hiſt.Venet.*)Anno Chriſti cIɔ.Iɔ.xxv. Pontificis&Cæſaris exercitus,qui paulo antè Parmâ inglorius, ac penè in fugam verſus abſceſſerat, neq; Inſubrum vicos nedum urbes attigerat,nobili audacia prœlio depugnans horę momento ingentem victoriam eſt adeptus; (*Andr.Mauroc.1 hiſt.Venet.*)Et nuperrimè exercitus noſtri Cæſaris emenſus Bohemiam,qvà à ſuperioris Auſtriæ finibus ad Pragam uſqve extenditur, eadem die & fugavit Palatinum Fridericum,cepitqve regiam urbem, qvam intra paucos dies univerſum regnum,exceptis duobus tribuſve munimentis, ſecutum eſt.DeniqvePhilippus II. Hiſpaniæ Rex intra L.dies toto Luſitaniæ regno potitus eſt, non aliam magis ob cauſam, qvàm qvòd vehementi vigiliq; cura & ingentibus ſumptibus in id bellum incumbens,ad regni caput, Antoniiqve nothi factionem debellandam ſpectabat.Exercitus maturè,&vivo adhuc

hucLuſitaniæRegeHenrico collectus, in finibus regni occaſionibus immi-nens otioſus deſidebat; ſed maluitPhilippus ſuſtinere ſumptus iſtos ſpecie ſupervacuos, qvàm incurrere periculum, qvod certum ſibi videbat, ſi moriente Henrico imparatus foret. Conſilium profectò regia animi, alere exercitum maximâ impenſâ, & ſumma cum modeſtia ſubjectis populis incubantem; nec tamen ſcire, qvo eventu, qvove fructu. Qvid enim, ſi Philippum interea mors abſtuliſſet? qvid ſi Henrico vitam fata produxiſſent? (nemo enim adeò ſenex eſt, ut non poſſit adhuc annum ſupereſſe) qvid deniqve ſi regni proceres (cujus ſpei non planè incertus erat Rex) ſpontè in ipſius poteſtatem concederent? fruſtra erant ſumptus, & ſine cauſa ſuſcepti labores. Sed maluit Rex in omnem eventum ſibi proſpicere.

Qvanqvam igitur rationem habeant, qvæ hactenus diximus, & meritò cul-

culpandi ſint, qui bella nullo honoris aut publicæ ſalutis intuitu, ſed privati emolumenti ſpe trahunt, hoſti condonantes occaſiones; præoptanteſque diu cum imperio eſſe, quam citò vincere: quique ſe non armis ſed precio ſubmoveri patiuntur; & velut ex compoſito alter alterius viciniam & congreſſum devitantes plerumqve diverſis in locis prædonum more in miſeros agreſtes ſævire tantum ſolent: tamen ex diverſo egregiam laudẽ merentur, qui cunctationẽ afflictis rebus ſalutarẽ temeritati prætulerunt. Quæ enim neceſſitas eſt, belluarum ritu in perniciẽ non neceſſariam ruere? quid ſi vires noſtræ trahendo bellũ adoleſcant, contrà hoſtis minuantur? nemo prœlium, niſi malè ſanus ſvadeat. Quemadmodum igitur viris & viribus ſuffulti eſt, inſtare, premere, urgere, otium non pati, non deſidere, ſed agere, ferre res hoſtium, omnia deniq; tentare, ut ad manus deveniatur: ita inbecillioris partes ſunt, fruſtrari

impe-

impetus, moras nectere, illudere vim hoſtium, trahere tempus, opperiri, dū aliqua neceſſitas pecuniæ, aut commeatuum, aut defectus ſupplementorum, dum deniq; tædium & longa dies hoſtē conficiat. Porrò quamvis parùm utilitatis, & minus gloriæ habeat mos ille, quo noſtri duces, cùm ſatis in ruſticos deſævierunt, ne nihil egiſſe videantur, interdum caſtellū aliquod vel oppidulū oppugnant, capiuntqve; quod mox ſupervenientе hoſte, nullo negotio recipitur; ut ſæpius obſervatum ſit, ter quaterq; caſtellum aliquod captum, iterūq; eodem bello amiſſum eſſe: attamen munitas urbes, hoſtilis annonæ conditoria, armorum fabricas, exercituum refugia, vel etiam minora loca, ex quibus noſtris commeatuum ſubvectio, pabulatiove infeſta reddi poſſit, poſt terga intacta relinquere, nulla ratio perſvadere poteſt. Poſtremò ne erremus, monēdi ſumus, longè aliā hodiè eſſe conditionē temporū, ac olim *& genere pugnæ*

armo-

armorumque differre noſtra ab antiquis ſeculis;ut quam rariſſimè, & non niſi certa victoriæ ſpe, aut neceſſitate ſumma coactum in aciem & prœlium deſcendere prudentis ſit militum ductoris: ex quo factum etiam eſt,ut cùm nos noſtrique patres viderimus Principes, animi magnitudine, rerum militarium ſcientia, potentia denique ſingulares; nullus tamen illorum ea geſſerit, perfeceritque, quæ in antiquis tanquam fabulis ſimilia portenta miramur. Alexander Magnus pauciſſimis annisPerſas vicit,univerſum Orientem domuit, populos denique quorum in obſcuro ignotoque tunc fama erat,armis ſuis exterruit. Pompejus Romanis ſubjecit Pontum, Armeniam, Cappadociam,Mediam,Iberiam,Syriam, Ciliciam, Meſopotamiam, Arabiam, & Judæam. C. Cæſar ferè trecentos populos Romano imperio adjeciſſe ſcribitur. Quid eſt nunc in noſtrorum aut ſuperiorum templorum hiſtoria,quod cum

cum his in comparationem venire queat? Non abiit adhuc ſeculum, cùm Carolum V. Romanorum Imperatorem, Franciſcum Galliæ Regem, & Suleimanum Turcam parentes noſtri viderunt, aut meminerunt; principes animi robore, viribus & opibus potontiſſimos, & ſi dicere licet, honoris gloriæque avidiſſimos. Sed horum facinora cum antiquorum geſtis componere velle, nimiopere abſurdum foret. Exercitus erat lectiſſimus, quem Carolus Suleimano Auſtriam invadenti oppoſuit: ſed is Viennæ muris nunquam abſceſſit, ſatisqve habuit nō vinci. Bellum Germanicum, etſi anceps & terribile, victoriaqve primùm penes Carolum ſteterit, tamen exitum poſtremò eum habuit, ut reſtituenda captivis proceribus & Imperio malâ uſurpata libertas fuerit. Contentiones inter Carolum & Franciſcum non minoribus odiis quam viribus exercitæ utriuſqve opes attriverunt: & quanquam poſtremò prævaluiſſe

iſſe videatur Cæſaris fortuna; tamen nec Francico regno inde deceſſit, aut Carolo accrevit quicquam, quo unius ditiones minuerentur, alterve imperii ſui terminos extenderet. Expeditiones Africanæ, tanquam difficiles magnoq; ſuſceptæ animo, & multis cum periculis obitæ plus gloriæ, quàm utilitatis habuerunt. Quanquam etiam infelix poſterioris ſucceſſus magnam partem obſcuravit famam ex priore acquiſitã. Suleimanus ſanè res maximas geſſit, ſed nullo modo veterum factis æquiparandas: nec adeò intuitu potentiæ regni Ottomanici totq; annorũ, quibus imperio præfuit, admodum glorioſas. In Pannonia diverſis expeditionibus longum tempus, & maximas opes conſumpſit; nec tamen niſi partẽ illius provinciæ ſibi ſubjecit. Rhodũ acquiſivit: ſed quæ gloria eſſe poteſt tanto Principi, paucos viciſſe equites, nullius potẽtiæ, & ab aliis derelictos, ne dicam proditos? Penetravit cum exercitu in Perſiã:

ſed

ſeq quid illâ expeditione effectum eſt, niſi quòd percurſatis, quæ obtineri nequibant, amiſſaque majore & meliore exercitus ſui parte remenſus eſt ea, quæ fecerat, ſpatia? Tantæ igitur tamque mirabilis differentiæ vera cauſa non aliunde peti debet, quam ex diverſo *genere pugnæ & armorum*, quo ab antiquis nos differimus. Nullum hodiè ſaltem in Europa, regnum eſt, nulla penè provincia, cujus præcipuæ urbes, locaque majoris momenti, novâ muniendi arte non in eam ſecuritatem exædifi- I.
cata ſint, ut quamvis pauci potentiſſimi exercitus impetum ſiſtere poſſint. Hinc fit, ut cum militaris ratio jubeat redigere ante omnia in poteſtatem limitum munimenta, cæteraque regni præſidia, in quibus militiæ ſeminaria ſunt, ex quibus adverſæ vires in nos effunduntur, nobiſque ſupplementa, commeatuſque, intercipi poſſunt, neceſſe ſit in unâ expugnandâ urbe aut arce, multum temporis viri-

viriumqve conſumere: ideoqve neqveant expeditiones, ea facilitate celeritateqve ad exitum perduci, qva antiqvorum bella, qvæ non habebant iſta impedimenta. Et ſanè qvomodo non interrupto curſu victoria progredi poteſt, qvæ tot difficultatibus implicatur? Inde Franciſci vires Perpiniani oppugnatione debilitatæ, & Caroli potentia Sandeſiriana oſidione ita labefactata eſt, ut nec ille in Hiſpaniam, nec hic in Galliam ultrà progredi potuerit. Suleimanus cum innumerabilibus copiis ingreſſus Pannoniam cum ad Budam hæreret, tardè nimis Viennam, qvæ interim ad defenſionem parare ſe poterat, adortus eſt. Ex diverſo Alexander Magnus, cùm tribus prælijs Darium ſuperaſſet, confeſtim toto ejus regno potitus eſt; & penetratis intimis regionibus ad Oceanum uſqve nihil obvium habuit, qvod ſtupendum victoriæ curſum remoraretur præter flumina aut deſerta, qvibus regnum naturæ muniorat.

rat. Et qvi res ab eo geſtas ab oblivionis injuria vindicarunt, duo opinor, apud Indos loca memorant, qvæ fortunæ ipſius inſtar rapidiſſimi fluminis decurrenti interceſſerunt. Pompejus, cùm Mithridatem inſeqveretur; peregrinando magis qvam pugnando tot trophæa fixit: ut liqueat inde, nullis incurriſſe munimentis, qvæ victricium armorum curſum retardarent, Major fuit C. Cæſari labor in ſubjugandis Gallis, Helvetiis, & Germanis, ſed hoc magis ob arduos ſitus à natura factos, & gentium ferocitatem, qvam qvod munitæ civitates ipſi reſtiterint. Et hic tamen decennii ſpatio ferè trecentos populos domuit. Hæc igitur prima cauſa eſt, ob qvam negatum noſtris Principibus eſt tot prœliis, totqve victoriis nomen ſuum immortalitati conſecrare. Altera II. eſt tormentorum, qvæ à ſono bombardas appellamus, inventio. Res profectò tàm ſtupenda, tàm terribilis, tonitrua etiam ſereno emiſſa cœlo, ut non amplius

plius ferro, ſed igne geri bella dici poſſit. Tàm igitur formidabilis machina, ejuſque horribile experimentum facit, ut duces rariùs ad prœlia deſcendant, malintque cunctando, arteque quã apertâ vi fortunam laceſſere. Quo & accedit, quòd neceſſitas iſtorum tormentorum, ſine quibus nec ſecuros ſe, nec oppugnare urbes, nec acie depugnare poſſe noſtri duces arbitrantur, omnem expeditionem facit lentiorem, prolixioremque. Nam & ob molem, & pondus non niſi à magno jumentorum numero difficillimè
III. de loco in locum transvehuntur. Denique & illud benè conſiderandum eſt. Alexandrum, & Romanos duces, qui factis ſuis hodieque nobis ſtuporem propinant, incidiſſe in Reges populoſque omnibus rebus ſe inferiores, debilioreſque. Alexander Magnus Darium vicit, copiarum numero & regnorum multitudine quidem ſuperiorem: ſed neque ſuâ, neque ducum, exerci-

ercituumve virtute parem Alexandro. Cæteri Orientis populi, quàm fuerint imbelles, omniſque militiæ inexperti, hiſtoriis docemur. Pompejo quoque contra mollitiem Aſiaticam facilè bellum erat. Cæſari ſanè res fuit cum feroциſſimis & in eam diem indomitis nationibus; ſed ſuâ virtute, & vi Romana quævis obſtantia perrupit. E contrario advertere licet, Principes, quorũ paulò antè meminimus, virtute, prudentiâ, viribus penè pares fuiſſe: ut alter alterum, quamvis ſummis viribus niterentur, interdum prœlio quidem, non tamen univerſo bello vincere potuerit. Suleimanus Caroluſq; quãvis ad Viennam utrobiq; numeroſiſſimis exercitibus invicem oppoſiti eſſent, tamen nec hic à mœnibus urbis digredi, aut ille ad urbem propiùs accedere voluit: pari ab utraque parte exiſtente alterius metu. Habebat Alexander exercitum lectiſſimum, duces, militeſque qui ſub patre Philippo bellis innutriti conſenuerant: Ro-

Romanorum verò diſciplina, inſtitutaque militaria paria in orbe terrarum non habebant. Ita prona adverſus imbelles victoria erat. Noſtri Principes propriâ deſtituti militiâ externis & mercenariis militibus, quibus neque boni intellectus, neque mali cura, quique nullâ vulnerum patientiâ, ſine pudore flagitii, ſine cura ducum abeunt fugiuntque, bella gerunt. Et inde pari utrinque vitio, nec ab una parte, quàm ab alterâ fortioribus militibus, in æquo plerumque fortunam eſſe conſentaneum eſt.

Invictos & nullis caſibus ſuperabiles Romanos] de Romana potentia, ejuſque cauſis fuſiſſimè diſputabo ad lib. 4.

Addit munificentiam Cæſar, quantum quis damni profeſſus erat, exſolvendo.] Similis gratitudo extat in Senenſium annalibus: qui in bello, qvod contra Florentinos Año Chriſti cIↃ cc LX. geſſerunt, Germanis à Manfredo Siciliæ

liæ Rege auxilio miſſis donativum præbueruut, Iↄ.libras, præter ſumptus in curam vulneratorum ex publico præſtitos. Decretum Conſilii publici in archivo Senenſi hodieque his verbis extat: *conſilium eſt in concordia, quòd vulnerati medicentur omnibus Communis Senenſis. & quòd medici cogantur medicare vulneratos pro competenti precio, & ſalario, & ſolvatur de pecunia Communi. Et quòd Mariſcialco & militibus Theutonicis pro remuneratione probitatis, quam fecerunt heri, contra inimicos Communis Senenſis debeant donari, & dari de pecunia Communis 500. libræ denariorum Senenſium: & quòd hoc non intelligatur pro menda equorum & armorum, ſed pro remuneratione probitatis, quam fecerunt, tantùm.* Quæ verba integra adſcripſi; teſtimonium virtutis & fortitudinis Germanicæ, & gratitudinis veterum. Iidem illi Senenſes in pugna ad Arbiam læſos vulneratoſque publico ære ſanari juſſerunt, & præter illorum tem-

porum conſvetudinem in templis ſepulturam permiſerunt. (*Malavolt.* 6. *hiſt. Sen.*) Venetæ quoque Reip. pietas hac in re in hiſtoriis laudatur. Sed hodie non eſſet, quod de ſeculi noſtri malitia quereremur, ſi damna tantùm, non etiam ſtipendia, & dein in diem aſſes, quibus corpus & anima militis æſtimatur, non perſolverentur. Ubi primos numos, quibus ſeipſos in militiam miſeri vendunt, acceperint, reliqui ſtipendii parum aut nihil vident, & nihilominus miramur inobedientiam, & furta, & latrocinia, & ſeditionem militis adeò crudeliter, adeò avarè habiti: non tàm Principum culpâ quam miniſtrorum dolo & ſcelere. Verùm ut ad corporis ſanitatem non capitis tantùm habitudo, ſed & cæterorum membrorum pertinet: ita non ſatis eſt, Principem, quæ ſuarum ſunt partium, facere, niſi miniſtrorum quoque fides & ſedulitas reſpondeat. Pecuniæ rerum gerendarum nervi dicuntur. Earum
verò

verò tractandarum curam, ſi vulturiis togatis, & viris piceas habentibus manus commiſerit Princeps inter perpetuas exactiones & tributorum invidiam ſemper egens erit. Ludovicus XII. qvanqvam ad bellum contra Hiſpanum largiſſimum omnium rerum neceſſariarum apparatum feciſſet; tamen ob Qvæſtorum ſuorum rapacitatem, qvi regem in ſtipendiis militum circumvenientes, & commeatus impedientes, non parùm exercitum minuerant; inferior hoſtibus Neapolitano regno cedere coactus. (*Guicciard.6.hiſt.*) Eadem Franciſci Regis in Ducatu Mediolanenſi fortuna fuit; cùm tercenties mille numi aurei Lautreco militiæ Duci mittendi dolo Reginæ matris & fraudibus miniſtrorum in alios uſus verterentur. (*Guicciard.*10.4.) Nec rarum eſt pecunias in militum ſtipendia vertendas per luxum & aleam à tribunis & centurionibus prodigi. Iterum alia fraudis ratio eſt, qvâ legiones,

cohortes atque vexilla non eo, quo debebant, numero explentur, ipſi pro integro numero ſtipendia percipiunt. Quo eodem dolo utuntur in illis, qui aut in acie aut alio mortis genere abſumpti ſunt; quorum & ipſi, tanquam viverent, ſtipendia exigunt. Ita anno à Chriſto nato cIↃ IↃ LXXI. præfecti Veneti ficta pro veris nomina inducentes peſſimo facinore ſtipendia rapuerunt: adeoque hæc peſtis increverat, ut multa oppida debito militũ præſidio exuerentur. Igitur Torquato Hieroſolymitano equiti, qui graviſſimè eâ in re deliquerat, medio foro inter geminas columnas cervices abſciſſæ: & ne fraudibus in poſterum locus eſſet, bini ad eam rem curatores (comiſſarios vulgò appellant) ſunt deſignati. Porrò ſunt, qui turpi nundinatione annonæ, earumque rerum, quibus milites veſtiuntur, viliſſimo lucro inhiant. Panem, farinam, frumenta, pannos, calceos magni vendunt, quæ ipſi vel ex præda, vel vili

pre-

precio empta habent. Quâ lucri cupiditate Marchio Melenianus facinorum ſuorum gloriam maculavit. (*Io. Bapt. Cin. de vit. Coſmi.* Sed nihil eſt ſupra quorundam hominum, militari ærario præfectorum fraudulentas artes, quibus militi, interdum à pluribus annis debita ſtipendia exiguo ære redimunt; ipſi deinde tanquam integra ſolverint, integra à Principe repoſcentes. Ita duces cum quæſtoribus, & his cum illis in miſeri militis exitium conſpirant. Iſti per latrocinia diteſcunt; milites interim detritis tegminibus, aut nudo omnino corpore verbera, vulnera, duram hyemem, famem, egeſtatem perferunt. Principis invidia eſt niſi ille facinorum præmium latronibus iſtis patibulum det, quod ut peſſimum & publicum furum genus merentur; Coſmi Medicæi Magni Hetruriæ Ducis exemplo, qui Matthæum quendam tributorum exactorem, quòd fraudulenter iſtud officium tractaverat, ſuſpendi juſ-

ſit. Cumqve ex nobilitate Florentina alius illam curationem ſibi peteret: Coſmus ſe nec poſſe nec debere id concedere reſpondit. Florentinus ille non contentus reſponſo cauſam denegati muneris ſciſcitabatur. Cui Coſmus: maximo amore, reſpondit, qvo te proſeqvor, moveor, ne petitioni tuæ annuam. Atqvi replicat ille, ſi me amares, non paterer repulſam. Imò, Coſmus inqvit, pateris repulſam tuo bono, ne, ut Matthæus, ille, longa fias litera. Sciebat enim hominem ex fraudibus compoſitũ, & priore illo neqviorẽ eſſe.

Poſſe & Cheruſcos: cæteraſque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum eſſet, internis diſcordiis relinqui.] Qvomodo conſiliis & aſtu externæ res, procul habitis armis, ſubvertantur dixi. s. ad lib. 1. verb. *Pompejum imagine pacis &c.* & plura dicam ad lib. 6. Annal.

Iuvenem improvidum & facilem inanibus, ad Chaldeorum promiſſa, magorum ſa-

ſacra, ſomniorum etiam interpretes impulit.] De ſomniorum & prædictionum fide miranda ſcripſit Lipſius in monitis politicis. Sed capitale eſt, de ſalute Principis, vel de ſumma Reip. reſpondere, aut conſulere. (*Iul. Paul. v. ſentent.* 21.) Apud Viſigothos qvi ſuper Principis genitura vel fato ſcrutatus erat, flagellis cæſus cum omnibus bonis fiſco addicebatur. (*Frid. Lindenbrog. ad lib.* 29. *Ammian. Marcell.*) Romæ ſaga qvædam Marii temporibus in exilium miſſa proditur; qvod ſe totius prœlii adverſus Cimbros prædicturam eventum diceret. (*Plutar. in Mar.*) Libo Druſus, de qvo hîc Tacitus, eandem ob cauſam conſultorum magorum, nova moliri creditus mori adactus eſt. Et facta tunc de Mathematicis Magisqve Italiâ pellendis Senatus conſulta, eorumqve è numero L. Pituanius ſaxo dejectus eſt. (*Tacit. hoc lib.*) Valens Imperator ſub uno prologvio juſſit occidi omnes, qvi de ſuo ſuc-

ceſſore ſpiritus conſuluerant; nec modò qvi conſuluerant, ſed omnes, qvi aliqvid eâ de re inaudierant, nec âd ſe detulerant. (*Ammian. Marcell.29.*) Ego plura exempla retuli ad librum ſuperiorem. Fiebant ejuſmodi dæmonum implorationes per annulum qvendam & cætera, qvæ plus qvàm ſatis eſt, explicatè prodidit Ammianus Marcellinus libro nono, & viceſimo. Annuli iſti Græcis vocantur γεγοητευμένοι: qvales fuerunt, qvos Execeſtus Phocenſium tyrannus habuit, & qvorum ſtrepitu de rebus ſuis admoneri ſolitus eſt. (*Clemens Alexand. 1. Stromat.*) & illi Jarchæ Indorum Regis donati Apollonio Thyanæo (*Philoſt. 3. de vita Apoll.*) qvibus & celeberrimus ille Gygis annulus accenſendus eſt. (*Herod. Cic. 3. offic.*) Perſæ conſulebant illas mulieres, qvæ ex incubo prægnantes dæmonem in utero circumferebant. (*Theophilact. Simocatta 2. hiſt.*) Sed omne ejuſmodi divinandi genus, ſive ex aſtris illud ſit

ſive

ſive alio ſortium genere, legibus interdictum eſt, Ratio prohibitionis duplex; una principum ſecuritatem concernens, altera univerſalis. Turbant ejuſmodi de Rep. prædictiones animos parentum, & inanes ac interdum ſceleratas ſpes ſubjiciunt incautis. (*Dio Caſſ. lib. 52.*)

--- Nos pravum ac debile vulgus
Scrutamur penitus ſuperos: hinc pallor, & ira
Hinc ſcelus, inſidiæque, & nulla modeſtia voti.

Inde Hadrianus Imperator obſtruxit venas fatidicas Caſtilii fontis ſaxorum ingenti mole; ne ut ipſo ſe imperaturum præcinentibus aqvis compererat, etiam alii ſimilia docerentur. (*Ammian. Marcell.*) Altera cauſa eſt, qvod fallunt plerumqve magicæ ſortes: & qvi veriora dixiſſe videntur magi, non ab aſtris, ſed à Geniis & execrabili ſpirituum familiaritate habent. Hi enim transacta inter homines ſecretaqve ac-

curatè explorant, & ſagaciter de futuro conjiciunt. Vel etiam, quemadmodum ſi cœcus vim lapidum ſpargit, aliquando imprudens tangit metam; ſic dum multa paſſim harioli mentiuntur, nihil mirum eſt, ſi nonnunquam fortuna illorum audaciam commendat. Denique crediderim, Deum eſſe, qui in vindictam impiæ crudelitatis nonnunquam repræſentet mortalibus ea ipſa, quæ ſibi non à Deo, ſed à ſyderibus metuerunt. Sed ut dixi, ſæpiſſimè fallunt vaniſſimæ artis jactatores, (v. *D. Auguſtin.7.Confeſſ.6. Pic. Mirand. contra Aſtrolog. Io. Barclai.* 11. *Argen.*) Quod appoſito exemplo demonſtrat in monitis politicis Iuſtus Lipſius. De Alexandro Epiri Rege nota eſt hiſtoria ex Livio. Ego alia tria addam. Julianus Cęſar Phrygiam ſibi fatalem fore oraculo didicerat. Sed ignorabat miſer, locum in Perſia, ubi cæſus eſt, Phrygiam appellari. (*Ammian.* 25.) Murzuflo Byzantiorum tyranno fatidici reſponderant,

rant, urbem non niſi per Angelum capi poſſe. Turris erat contigua mœnibus, quæ Angeli dicebatur, quòd ibi nuncii cœleſtis ſignum ſitum erat. Per illam irruperunt in urbem Franci, cæteriq; Latini Græcorum hoſtes (P. *Æmil. lib. 6 de reb. geſt. Franc.*) Refert Gvilielmus Neubrigenſis, (*lib. 6. hiſt. Angl.*) Stephanum quendã, quem ipſe Richardi Regis Procuratorem Andegavenſem vocat, abſente Rege improbas ſpes cõcepiſſe, deniqve de ſuis fatis dæmones conſuluiſſe. Cumq; initiò quæſiviſſet, viſurusnè iterum eſſet regem, idq; negaſſet impoſtor ſpiritus: iterùm rogavit, quamdiu cum imperio futurus eſſet? Reſpondet dæmon, quamdiu vives. Deniq; ſciſcitanti, ubi moriturus eſſet, reſpondit, in Pluma. Cœpit igitur Stephanus confidenter expilare populares: quippe de regis reditu ſibi videbatur ſecurus, & ſolerter caverat, ne ullibi locorum plumæ inſideret, incubaretve. Sed cũ paulò pòſt in obſidione caſtelli cu-

li cujusdam captus eſſet, miſer ibi miſerè trucidatus eſt. Erat autem caſtello nomen Pluma. O ludibrium! Mirum itaqve eſt, Paulum V. Pont. Mathematicorum & Aſtrologorum vitæ exitum ei intra paucos menſes prædicentium, nugis adeò deditum fuiſſe, ut veneficii metu nulla niſi à ſororis parata obſonia ſumeret, deniqve eo procederet vanus metus, ut fratres Borgheſii tres ac viginti profeſſionis illius homines intra ſuas ædes coactos Pontificis fata ſcrutari juberent. (*Andr. Maur.* 16. *hiſt. Ven*)

Haud cunctatus eſt ultrà Germanicum, quanquam fingi ea, ſeque per invidiam parto jam decori abſtrahi intelligeret.) Peſſimo loco eſt miniſter Principis niſi pati injurias ita poteſt, nt non videatur ſenſiſſe. Stultitia eſt profiteri iras & indignationem, ubi vindictæ locus eſſe non poteſt. Non igitur aliud remedium eſt injuriarum à majore illatarum, qvàm ſi non intelligantur. De-

pre-

prehenſis artibus ſuis, rerum domini per vim & palàm exſeqvi ſolent, qvod fortaſſis aliàs patrare horruiſſent. Qvare cùm vel maledici ſermonis, vel error aut culpa Principis gratiam avertunt, abditá arte celanda eſt fortunæ fuga, ut nec ipſe reus videatur ſenſiſſe. Tum aſſiduus in regia, quamvis occultis ludibriis qvotidiè ſæviet infenſus dominus, tamen ferendi conſtantia, novis officiis & obſeqvio vincat iræ pertinaciam. Hoc modo Alfonſus Ferrariæ Dux, cum Pontifex ipſum ditione ſuâ exuere in animo haberet, & ad id Epiſcopum Ventimilium miſiſſet, intellectis inſidiis non modo non queſtus eſt de Pontifice, ſed ultrò Ventimilio apud Pontificem ſtructarum ſibi inſidiarum accuſato, ab ipſo auxilia rogavit. (*Guic.* 13.)

Cæſar indicium haud aſpernatus congreſſus abnuit.] Delatores, & qvi rumores ad Principes gerunt occultè, cum ipſis Principibus congredi non debent:

qvip-

qvippe ex arctâ & freqventi converſatione cognoſcentur & cavebuntur tanqvam delatores.

Cunctaque ejus facta, cùm prohibere poſſet, ſcire malebat.] Qvod in detegendis conjurationibus admitti poteſt. Sed aliàs tyranni eſt malle punire, qvàm providere, ne pœnis opus ſit. Porrò dominationis regiæ arcanum eſt; in illis populis, qvi nec totam ſervitutem, nec totam libertatem ferre poſſunt, connivere primis ſeditionum furoribus, &, cum prohiberi poſſet, locum dare ſceleri, ut poſtea tanqvam juſtâ vindictâ ſpoliari poſſint immunitatibus, privilegiisqve, qvibus velut acutiſſimis ſpinis Principum oculi punguntur; & veluti belli jure ex dimidiâ libertate, in qvâ vivebant, in ſervitutem rapti, deditiorum jure tractentur. Magna erant jura, libertates ac immunitates Aragonenſium: qvas ipſi poſt Hiſpaniam à Juliano Comite ob ſtuprum filiæ à Roderico Rege illatum proditam, & totis Iɔcc.

annis

annis à Saracenis poſſeſſam juris ſui effecti ſibi dixerunt, condito ſupremo magiſtratu, qvi ſecundum eas jus diceret. Poſtcà Reges elegerunt, qvi de genibus & capite aperto, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram magiſtratu, eas ſe ſervaturos religioſo ſacramento obſtringebantur, anteqvam eis proceres ac magiſtratus obedientiæ jusjurandũ præſtarent. Inſecutis temporibus electione ſublatâ Reges à gente petiti: cæterùm libertatis leges denuò confirmatæ ſunt; lege Unionis ob id condita: cujus præcipuũ caput hoc erat; ut jus ſit Ordinibus, ſi Rex patrias leges violet, novũ in ejus locũ creare, & citra crimen majeſtatis ad tuendam libertatẽ fœderationes inter ſe & cum vicinis Principibus inire. Item licere ipſis ſumere arma cõtra copias externas in regnũ ad illud vexandum ingreſſas, etiã ſi Rex ipſe aut Princeps ejus hæres eas introducat. Id cũ durum Caſtellenſibus videretur, qvi reges legibus ſolutos colunt; Ferdinan-
do

do Aragonio, qui Iſabellam Caſtellenſem in uxorem duxerat, perſvadere voluerant, ut eas leges tanquam regiæ dignitati adverſas antiquaret. Verum ille inſitâ ſeu modeſtiâ ſeu diſſimulatione prudentiſſimè reſpondit, fide ſe religioſè datâ prohiberi, quò minùs id faceret: & alioqui ſic exiſtimare, æquilibrio potentiæ regni regiſque ſalutem publicam contineri: & ſi contingeret aliquando alterum alteri præponderare, procul dubio alterius aut utriuſque ruinam ex eo ſecuturam. Sed Philippus II. Rex, ſicut ex privatis Antonii Perezii odiis occaſionem Eſcovedi è medio tollendi captaverat, ſic ex Perezii calamitate, quæ ſeditioni Cæſar augustanorum (quippe Aragonius erat Perezius) cauſam dederat, privilegiorum civitatis imminuendorum, quibus jam pridem inſidiabatur, commoditatem ſibi oblatam avidè arripuit: & exercitu ſummâ celeritate conſcripto, miſſoque in Aragoniam, atque ſublatis è medio

dio libertatis vindicibus, & firmato Inquiſitionis palatio. Quod extra mœnia urbis erat, & tanquam arte urbi cum idoneo præſidio impoſita, populi jura atque libertatem infregit. Hiſtoriam prolixè narrat Jacobus Auguſtus Thuanus libro centeſimo quarto.

Abnuentibus cunctis, cùm diverſa prætenderet &c.] Inde amici fugiunt, unde probantur. (*Senec Epiſt.* 9.) &c.

Ita moderans, ne lenire, neve aſperare crimina videretur. Principem ab omni acerbitatis ac truculentiæ ſuſpicione abeſſe decet. Et quoniam gratioſiſſima ſunt præmia, pœnæ contrà odioſiſſimæ, ipſum omnia præmia tribuere convenit; magiſtratus, inquam, imperia, ſacerdotia, curationes, munera, beneficia, reſtitutiones; pœnam verò irrogare nemini, ſed earum impoſitionem magiſtratibus integerrimis ac prudentiſſimis committere. (*Bodin. 4. de Repub.* 6.) Quo referendum eſt Thomæ Campanellæ (*9. de monarch. Hiſp.*) con-

conſilium; inſtituendum eſſe judicium, qvod ipſe *Gratiæ tribunal* vocat, ad qvod appellare liceat condemnatis ad mortem: idq; conſtare debere ex ipſo Rege, ejus conjuge, atq; primogenio, & deniqve præcipuo religionis antiſtite. Verùm ſi qvis ſeqvi hoc conſilium velit, ei providendum erit, ne cujuſqvam appellatio recipiatur, niſi cujus delictum eſt, cui ignoſci poſſit. Nam qvi majora ſcelera condonat, in juſtitiam peccat: qvi punit, famam, qvam qværit, clementiæ, amittit. Igitur hîc qvoqve Tiberius ad extremum Libonis preces reſpondit, ut *Senatum rogaret. (Tac. hic.)*

Iuravitque Tiberius petiturum ſe vitam quamvis nocenti, niſi voluntariam mortem properaviſſet. Qvemadmodum Nero qvoqve dicebat, Torqvatum qvamvis ſontem & defenſioni meritò diffiſum, victurum tamen fuiſſe ſi clementiam judicis expectaſſet. Crocodili lacrymæ!

Bona

Bona inter accuſatores dividuntur.] v. notas ad libr. 1. verb. *qui formam vitæ iniit. &c.*

Auctu imperii adoleviſſe etiam privatas opes &c. dicam ad lib. 3.

Non id tempus cenſuræ] Quippe apud ſe penſitabat Tiberius, vix coërceri tàm profuſas cupidines poſſe, ex coërcitione forſan plus damni in Rempub. ferri: indecorum attrectare, quod non obtineretur. Deniqve populum tot per annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

Inter quæ L. Piſo ambitum fori, corrupta judicia, ſævitiam oratorum, accuſationes minitantium increpans, abire ſe & cedere urbe, victurum in aliquo rure teſtabatur.] Hæc etiamnum optimi cujuſque querela eſt. Unde factum, ut jura & judicia, res ſanctiſſimas & humano generi ſaluberrimas cũcti abhorreant, abominẽtur, deteſtẽtur: vereq; dici poſſit, tres eſſe Juſtitię capitales peſtes, corruptos judices, lõgas ac penè æter-

nas

nas lites, & denique advocatorum inſcitiam improbitatemque. De ſingulis quædam ad hunc locum notabo. Initiò igitur referam aliquot ſordibus & corruptionibus judicum tollendis aut co-
I. ercendis remedia. Primum eſt, ne tribunalia turpiſſimo mercimonii genere, velut ad licitantium arbitria proſtituantur; ſed gratis, ſed benemeritis cõferantur. Accipere enim aliquid à ſuſcepturis magiſtratum, teſtante Juſtiniano Cæſare, (*Nov.* 8.) omnis nequitiæ principium eſt, & terminus. Neque enim fieri poteſt, quin vendere ſibi licere quis putet, quod emit. Hinc homicidia, adulteria, rapinæ; hinc commerciorum confuſio; hinc legum contemptus; quovis quamvis pœnam auro redimi poſſe confidente. Quæ omnia tantò veriora ſunt, quantò, qui honores emunt, non ob virtutes ſed divitias in ſublime tolluntur. Solebant olim Coſſ. in publicum prodituri pecunias ſpargere. Quod à Zenone improbatum

tum eſt,atque conſtitutum, ut miſſilium loco c.auri libræ ad reficiendum aquæ ductum publicum à conſulatum inituro ſolverentur; (l.3. C. *de Conſul.*) quod ipſum tamen etiam noviſſima Juſtiniani conſtitutione (*Nov.* 8.) ſublatum arbitror. Qvin etiam juraro jubentur magiſtratuum candidati, nullis ſe largitionibus, ſino fuco, ſine fallaciis, more majorum, magiſtratum ambire. (*Nov.* 8 c.7.) Simile eſt, quod Alexander Severus ad honores evehendorum nomina publicè in tabulis proſcripta proponebat; unde de moribus illorum ex publicis vocibus judicium fieret. Altera cautio eſt, jus dicentibus ſtipendia atqve ſalaria ex publico conſtituere. II. Qvò mirè facit, qvod I. Lipſius ex Turcicis annalibus in monitis politicis refert. Cùm Bajaſetes Imperator fraudes & injurias Cadiorum ſuorum (ita judices vocant) ſæpius jam audiret; iratus omnes in domum qvandam includi igne comburi juſſit. Sed Halis Purpuratus

ratus rationem invenit molliendæ indignationis. Habebat Bajaſetes Æthiopem puerum in deliciis, lepidum, & ipsâ garrulitate amabilem; quem inſtructum, quid diceret ad ipſum mittit. Venit igitur quaſi accinctus ad iter; quærentique Imperatori, quid præter morem hic veſtitus? reſpondit, ut peregrè eam, & ableger à te ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, Caligeros aliqvot (hi Græci monachi ſunt) arceſſiturus, ut nobis jus dicant, quoniam omnes tuos judices vis occiſos. Cui Imperator, ô mi Æthiopille, inquit, nunquid illi ſunt periti legum noſtrarum? & non ſunt, oportunè reſpondet Halis Purpuratus, ô Domine, cur igitur peritos tollis? nam refert Bajaſetes cur malè judicant? Iterùm Halis, ego, Domine, cauſam edam. Hi noſtri ſtipendium è publico nullum percipiunt: Capiunt igitur mercedulas à privatis. Hoc corrige, & illi cor-

corrigentur. Placuit conſilium Bajaſethi, & decrevit, ut, cui hereditas tot millium aſprorum (id genus monetæ Turcicæ eſt) veniſſet, is in ſingula millena Cadio ſuo daret vicenos; in matrimoniorum & ejuſmodi contractibus item vicenos. Ita juſtitiæ ſubventum. Tertia in hanc rem cautio eſt, ne quis patriæ ſuæ adminiſtrationem ſortiatur: in quâ multum gratiæ neceſſitudinum ſuarum daturus præſumitur. (*Paul. v. ſent. 12. §. 5. ibique. Cujac. vid. tit. C. ut nulli pat. ſu. adm. &c. & ibi Gothof.*) Quod non tantùm jura civilia Romana, ſed & in Gallia Philippus Pulcher, & Carolus V. Reges conſtituiſſe dicuntur. Et olim populus Florentinus; quò omnis injuriæ inter litigantes ſuſpicio tolleretur, duos è peregrinis ſibi judices elegit. (*Boter. 1. della ragion di ſtato 17.*) Anno cIↃ. c. xcI. Senenſes ex peregrinis Iudicem ſumere cœperunt. (*Orland. Malavolt. 4. hiſt. Sen.*) Piſani III.

ſani atqve Genuates peregrinum magiſtratum *Poteſtatis* nomine accipiunt. (*Guicciard.* 4.) & Lucenſium *Roſa* (ita ſummum tribunal vocant) tribus conſtat Iuriſconſultis, qvorũ patria quinqvaginta ab urbe milliaribus abſit.

IV. Qvarta cautio eſt, ut jure jurando, metuqve Numinis obſtringantur, qvi homines contemnunt. (5. *Thom. Dempſter.* 1. *de juram.* 13.) Olim in Friſiis decretum erat, ut qvi in judicatu ſunt qvemadmodum in exordio muneris ſanctiſſimo jurejurando ſe Reip. obligant, integrè ſe munus obituros, jus omnibus æqvaliter ſinè reſpectu perſonarum dicturos; juſtitiam, qvantum in ſe ſit adminiſtraturos; ita munere decedentes ſimiliter pulcherrimum jusjurandum jurent; nihil ſe eorum; qvæ iſtuc pertinerent, ſcientes & volentes omiſiſſe; fidemqve in omnibus intemeratam Reipub. præſtitiſſe. Hac duplici religione conſcientiis judicum obligatis, caſtius eos in officio verſaturos, inter

ter tot illecebras à recto abducentes arbitrabantur. (*Vbbo Emm.* 14. *hiſt. Friſ.*) Iuſtinianus quoque (*Nov.* 8.) judicibus jusjurandum præſcripſit, quod ipſe alibi, (*Nov.* c. 11.) horrendiſſimum vocat, Verba illius huc adſcribam: Juro ego per Deum omnipotentem, & Filium ejus unigenitum, dominum noſtrum JESUM Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & per Sanctam glorioſam Dei genitricem & ſemper Virginem Mariam, & per 4. Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & per Sanctos archangelos Michaëlem, & Gabrielem, puram conſcientiam, germanumque ſervitium me ſervaturum ſacratiſſimis noſtris Dominis Juſtiniano & Theodoræ conjugi ejus, occaſione traditæ mihi ab eorum pietate adminiſtrationis: & omnem laborem ac ſudorem cum favore ſine dolo & ſine arte quacunque ſuſcipio in commiſſa mihi ab eis adminiſtratione de eorum imperio atque Republica: & communi-

cator ſum ſanctiſſimæ Dei Catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ: & nullo modo vel tempore adverſabor ei, nec alium quẽcunq; permitto, quantum poſſibilitatem habeo. Juro quoque jusjurandum, quòd nulli penitus neque dedi neqve dabo occaſione dati mihi cinguli, neq; occaſione patrocinii, neq; promiſi, neqve profeſſus ſum de provinciâ mittere, neqve mittam, neqve occaſione dominici ſuffragii, neqve famoſiſſimis præfectis adminiſtrationem habentibus, neq; iis, qvi circa eos ſunt, neqve alii hominum ulli: ſed ſicuti ſuffragio percepi cingulum, ſic etiam purè me exhibebo circa ſubjectos piiſſimorum noſtrorum dominorum: contentus iis, qvæ ſtatutæ ſunt mihi de fiſco, annonis. Et primùm omne habebo ſtudium, ut fiſcalia vigilanter ſuſcipiam, & in devotos qvidem & indigentes neceſſitate cũ omni exigam vehementia, neqvaqvam ſubinclinatus, neqve ob hoc lucrum ipſum conſiderans, aut per gratiam vel odi-

odium exigens aliquem, citra quàm competit, aut concedam alicui: devotos autem paternè tractabo, & ſubjectos piiſſimorum noſtrorum dominorum illæſos undiq;, quantum poſſibilitatem habeo, cuſtodiam: & æqvus in cauſis utrique parti, & in publicis diſciplinis ero, nulliqve parti, citrà quam juſtum eſt, præſtabo: ſed exeqvar univerſa delicta, omnem æqvitatem ſervabo, ſecundum qvod mihi viſum fuerit juſtum: & eos qvidem, qvi innoxii ſunt, undiqve innoxios illæſosqve conſervabo, noxiis autem imponam ſupplicium ſecundum legem; & omnem juſtitiam, ſicut jam dictum eſt, in publicis & privatis contractibus eis ſervabo; & ſi compererо, fiſcum injuſtitiam pati, non ego ſolum hoc ago, ſed etiam ſemper mihi aſſidentem talem ſtudebo aſſumere, & circa mo omnes; ut non ego purus qvidem ſim, qvi verò circa me ſunt, furentur, & delinqvant. Si qvis autem inveniatur circa me talis, & qvod fit ab

eo,me ſanare, & eum expellere. Si verò non hæc omnia ita ſervavero, recipiam hîc & in futuro ſeculo in terribili judicio magni Domini Dei & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, & habeam partem cum Juda, & lepra Giezi, & tremore Cain; inſuper & pœnis, quæ lege eorum pietatis continentur, ero ſubjectus.

V. Quintum erit remedium, ut pœnæ conſtituantur graviſſimæ in eos, qui pecuniâ aut gratiâ corrupti malè judicarunt. Hinc leges Romanæ de repetundis. de falſo, de vi, & cæteræ. Hinc ſapientiſſima illa, nec minus tamen cum irreparabili juſtitiæ damno neglecta Zenonis lex, (*l.un.C.ut omn.jud.tàm civ.&c.*) aliquoties à Juſtiniano repetita; (*Nov.*8 109. 46. 123.) quâ cavetur, ut provinciarum præſides, aliique magiſtratus, poſt depoſitam adminiſtrationem, quinquaginta dies in loco, quo magiſtratum geſſerint, permaneant; quò pateat omnibus facultas, ſuper rapi-

rapinis aut concuſſione, aliisque criminibus conveniendi illos. Et ſimile eſt Genuenſium inſtitutum, apud quos V. viri ſunt, *Syndicatorum* nomine; quorum officium eſt, in omnes magiſtratus, finito officio, inquirere; & in male geſtæ Reip. damnatos animadvertere. (*Carol. Sigon. l. 1. de vita Andr. Auriæ.*) Et ſuperioribus annis (1612.) tres Quæſitores cum vitæ neciſque poteſtate, in loca, quæ Orientem verſus Venetis parent, à Repub. miſſi ſunt, qui in magiſtratus, ſi quæ fortè adverſus leges feciſſent animadverterent, & à potentioribus oppreſſis ſubvenirent. (*Andr. Mauroc* 18. *hiſt. Venet.*) Sextò deniqve neque illud prætereundum eſt, Tiberii temporibus Severum Cæcinam in Senatu cenſuiſſe, ne quem magiſtratum, cui provincia obveniſſet ſua uxor comitaretur; quia quoties repetundarum aliqui arguerentur plura uxoribus objectarentur; his ſtatim adhæreſcere deterrimos quoſque, ab his negotia ſu- VI.

 ſci-

ſcipi, tranſigiqve (*Tacit.* 3. *Annal.*) Qvemadmodum an. Chriſti cIɔ.Iɔ.cI. Lemoſii Comes Neapolis, & Machedæ Dux Siciliæ Proreges uxorum nomine comparatis, atqve inſtructis navigiis piratarum morum excurſionibus maria fœdarunt. (*Maurocen.* 16. *hiſt. Ven.*)

Nunc ad litium diuturnitatem tranſeo, qvam alteram juſtitiæ peſtem dixi. Æterna hodiè ſunt jurgia: ut ſi cum ſumptibus ſit conferenda moleſtiarum ratio, gravius putes ſic vincere, qvàm confeſtim damnari. Nam & modum & numerum prægreſſæ ſunt artes ac nomina, qvibus miſerrimos clientes patroni & judices fruſtrantur. Articulatim & lentè hos diſcerpunt, qvi ſemel perire potuérant. Sæpè itur ad judices, cauſa narratur, aliqvot anni abeunt, nec dum conteſtatio litis facta eſt. Judicibus hîc non vacat, hîc omiſſo litigioſo negotio hærent patroni in cauſis minoribus, qvę nuuc ſponte, nunc eorum ſtu-

ſtudio naſcuntur è primâ. Hæc prælu-
dia adornant, his proclamant inauditis
iter ad verum Judicibus eſſe non poſſe.
Sic dubia ex dubiis ſeruntur: ſic imma-
ni dilatione pereunt litigantes, magnâ
in inſontes inopeſqve injuriâ. Nam qui
in divitem inimicum pauper inciderit,
tàm longo & ſumptuoſo itinere con-
ficitur; procumbitqve deniq; laſſus: nec
recuperato jure inultus, æmulo minus
ſuo, qvã huic prolixæ æqvitati iraſcitur:
Ne qvære cur tàm diu Judicibus place-
at, & patronis, ad ſe delatos cruciari.
Nempe ex morá & tempore ſua opera
æſtimatur. Sic patronis, inqvã, creſcit,
ſic Judicibus merces. Multa ſcripſiſſe,
multa audiviſſe (qvanqvã ea præſtabat
compendio fieri) acerrimè vendunt; eò
pejores qvod qvæ peccant, ipſi juſtitiæ
imputant. Præterea cõſvetudine vidẽdi
miſeros, & deinde faciendi, exuunt hu-
manitatis ſenſũ; aut potiùs miſerũ eſſe
non credũt, litigare. Ita duri ad qveſtus
parùm ſupplicibus movẽtur, & ab iis tã-

tùm culti, ſaltem amant longiora in ipſos exercere imperia. De remediis contra litium prolixitatem alii, ſed benè ac eleganter noviſſimè ſcripſit ſub ficto nomine quidam Pomeraniæ Ducibus à conſiliis. Libro titulum fecit Parthenius Litigioſus. Ex illo petenda ſunt, quæ hic dici poſſent, ac deberent. Non tamen omittendum eſt, primum ac præcipuum, quo litium tempora breviora fiant, eſſe curam Principis: cujus eſt cum interminatione pœnarum edicere (ſed hoc graviter, nec, ut ſolemus, terroris mox evaneſcentis imagine) ne ulla lis ultra certũ tempus, quod ipſe præſtituat, apud judices hæreat. Juſtinianus noſter civilibus litibus triennium (ſpatium ſat longum) præſcripſit. (l.13. C. *de judic.*) Labentibus ſeculis ſpecie æqui in reorum auxilium inventa ſunt ea, quibus denique ſimplicitas legum occubuit, fruſtrationes, reſcripta, & quæ ſemel conſtitui poterant velut religioſo ordine in varios dies dilata.

lata. Hæc verò quia Iudicibus & patronis ad lucrum ſunt, jam neglecto reorum commodo tàm ſanctè obſervantur, quaſi judiciis cives, non hæc illis inventa ſint. Porrò in arctiorem numerum & ad duorum triumve amanuenſium laborem reducantur vana nomina & munia illorum, qui à ſecretis, à ſcriptionibus dicuntur, (& horum maximè intereſt, diu lites vivere) homines ſcientes formularum, jurgiorumque præceptores: qui velut licitâ crudelitate, & jam ipſâ conſuetudine excuſatâ de clientum miſeriis, ex injuriâ populi, ex clade & ſanguine miſerorum perenni paſtu ſaginentur. Denique cum cauſarum patroni ſint maximè, qui vitam imò im̃ortalitatem litibus conciliant: illorum maximè audacia refrenãda eſt. Antiquis temporibus florebant elegãtiæ priſcæ patrociniis tribunalia: cùm oratores concitæ facundiæ attenti ſtudiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis ornamentiſq; dicendi pluribus eminebant;

bant;ut Demoſthenes,quo dicturo cõcurſus audiendi cauſa ex totâ Græcia fieri ſoliti ſunt:& Calliſtratus,quẽ nobilẽ ſuper Oropo cauſam perorantem idẽ Demoſthenes Academiâ cum Platone relictâ ſectatus eſt: ut Hyperides & Æſchines, & Andocides & Dinarchus & Antiphon ille Rhamnuſius,quẽ ob defenſum negotium omnium primũ antiquitas prodidit accepiſſe mercedem. Nec minùs apud Romanos Rutilii, & Galbæ & Scauri,vitâ, moribus,frugalitateq; ſpectati,& ſequentibus ætatibus cenſorii;conſulareſqve & triumphales multi, Craſſi & Antonii, Scævolæ poſt exercitus proſperrimè ductos, poſt victorias,& trophæa,civilibus ſtipendiorum officiis floruerunt; laureaſq; fori ſpecioſis certaminibus occupantes, ſummis gloriæ honoribus fruebantur. Poſt quos excellentiſſimus omnium Cicero orationis imperioſę fulminibus ſæpè depreſſos aliquos judiciorum eripuit flammis. At nunc videre eſt ubiq; vio-

violenta &rapaciſſima genera hominū, per fora omnia volitantium: qui cum immaturè è ſcholis eruperint, plerunqve ita rudes ſunt, ut nunquam ſe libros habuiſſe meminerint: & ſi in circulo doctorum authoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur. Sed condonari hoc poſſet, ſi ſaltem ſuæ, quam profitentur, ſcientiæ peritiores eſſent. Nunc adeò perverſa & inepta plerunq; ſtudiorum ratio eſt, ut non mirandum ſit ex malè culto ingenio nullos aut malos provenire fructus. Sunt, qui neqve latinam lingvam vel mediocriter docti, neq; humanioribus literis vel leviter tincti ad jus addiſcendum malè ſanum animum applicant. Ubi cùm difficultatem, & ſine aliarum literarum ſubſidio innavigabilem Oceanum perſpexerint, aut infeliciter cœpto labori ſuccumbunt, aut, ne nihil egiſſe videantur, ordinem judiciorum, & ſcribendorum teſtamentorum contractuum-

que formulas ediſcunt. Inde in forum & ad jurgia provolant, cùmque cauſarum merita non intelligant, in ſolis judiciorum ſolemnibus hærentes, infelices & imperiti nautæ vectorem, qui ſuas illis fortunas commiſit, perditum eunt. Vidi homines, qui cùm elementa juris à Juſtiniano cupidæ legum juventuti tradita ne primoribus quidem labris deguſtaſſent, Bartholum & Baldũ manibus verſabant. Alius erat qui cùm Jaſonem ex Bibliotheca quadam peteret, ſcripto profeſſus eſt, commodatò accepiſſe *Iaſonis opera in novem foluminibus*. Hi ut altius videantur jura callere, Bartolum ubiq; loquuntur & Baldum, & Menochium, & Cardinalem Tuſcũ: adeò ut in pervulgatæ alicujus juris regulæ probationem ſexcentas plerumque proferant auctoritates. Quidam cum reſponſum ſuum cœpiſſet, à verbis: *In nomine Domini noſtri* JESU CHRISTI, AMEN: addit legem 1. C. de offi. præf. præt. Afric. & centeni alii regulam

lam illam Logicam, poſitâ cauſâ ponitur effectus, ſimilesque innumeris legibus & auctoritatibus ICtorum firmant. Etiam qui doctiores ſunt, cùm quos nobis Juſtinianus libros reliquit, vel tanquam antiquatos faſtidiunt, vel ut nimis difficiles horrent, ubi certis quibuſdam quæſtionibus controverſiiſque ventilandis diſputandiſque annos aliquot tranſegerint, egregios ſe eſſe JCtos credunt. Denique pro Pandectis & Codice & juris univerſi ſcientia certos habent illuſtrium quæſtionum ſcriptores. Quaſi non illi ipſi viri clariſſimi methodi aut controverſiarum potiùs enodandarũ causâ ſcripſerint illas diſputationes, quàm quòd iis univerſum jus comprehẽdi arbitrarentur, aut certè nimis ſuperba foret opinio. Digeſſerunt in ordinẽ univerſi juris titulos & ſum̃a capita: verum non & univerſum jus, quod ſub illis titulis continetur. Inde plerumq; accidere videmus, ut cùm iſti modo tã egregii diſpu-

diſputatores, poſt illas qvæſtiones *pro & contra* ſæpius diſputatas, *reſolutaſq;* in forum tranſeunt, ad non magnæ difficultatis propoſitas facti ſpecies reſpondere, niſi petito ad deliberandum evolvendoſq; juris libros, ſpatio, neqveant, mirenturq;, ſe hærere. Qvaſi ducentis, trecentisve qvęſtionibus univerſi juris ſcientia contineatur. Iṁenſum eſt & infinitum id, in qvo verſantur Jurecõſulti nec ad fiem, qvem præcipuum illi habere debent, reſpondere ſcilicet de jure, & conſulenti civitati inſtar oraculi eſſe, niſi multis vigiliis, aſſiduâ nec perfunctoria librorum de jure ſcriptorum lectione, & deniq; non niſi magno judicio pervenitur. Secundariũ juriſperiti officium eſt, teſtamentorũ contractuumq; formulas concipere, & judiciorũ formulas ſcire: præcipuũ verò, primũq; ad propoſitam facti ſpeciem, in oraculi modum, qvid ſcriptę leges, qvid mores, qvid æqvum jubeat, reſpondere. Carolum Molinæum J. Ctum accepimus,
cum

cũ Tubingæ ageret, in collegio J. Ctorum ubi de jure reſpondendum eſſet, auditis cæterorum ſententiis, qvi laborioſè erutis ex abdito argumentis pro ſua ſententia depugnabant, probata plerumq; illorum, qvi primi dixerant, ſententiâ, juris textum addidiſſe adeò evidentem, adeò clarum, ut cæteri longiori diſputatione plerumqve ſuperſedendum ſibi arbitrarentur. Tanta homini memoria, tantum erat judicium. Nunc miſelli *diſputatores*, ut *ad caſum propoſitum* reſpondere poſſint, tractatus & commentarios, & gloſſas, & deciſiones, & conſilia evolvere neceſſe habent donec inveniant *caſum in terminis*. Non igitur mirum eſſe debet, tàm paucos eſſe conſultos æqvi & juris: & ex diverſo imperitos advocatos, patronos, ſcriptores, judices adeò numerum ſuperare, ut penè pauciores ſint agricolę, pauciores qvi in mercatura verſantur, regnumve cuſtodiunt: eò qvidẽ majori reip. detrimento, qvò d ſi inter pau-

pauciores, ſed ſpectati candoris advocationum munus eſſet, tot illa ingenia, quæ noxia calliditate ſe corrumpunt, melioribus ſtudiis ornarent patriam; diſciplinas & artes aut proderent novas, aut inventas excolerent. Ea igitur prima in advocatorum multitudinem cautio Principi ſit, ut ne promiſcuè in numerum recipiantur, qui inopia jurisperitiæ ora mercenaria procudentes per proſtitutas frontes vileſque latratus ad effrænatam deflectunt conviciandi licentiam; vel inter ſolicitudines judicum per multa diſtentas, irreſolubili nexu vincientes negotia, laborant, ut omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus judicia circumſcribantur. (*Amm.* 30.) Sed pauci ſint, & qui judiciis ſufficiant, non ordinis modò judiciarii omniſque ad litigandum articuli periti, ſed & ipſam cauſam legum, juris, rationis ſuffragiis defendere apti. Sint denique boni viri, & qui magis honeſtum quàm pecuniam ament.

ment. Tum ad quos patronos cauſæ deferuntur, ii Deo Opt. Max. in ſingularum litium exordio faciant ſacramentum, nullam ſe cauſam, quod ſciant, iniquam oraturos (v. *Thom. Demoſt.* 1. *de juram.* 10.) Quos ſi hanc fidem fefelliſſe conſtiterit, aut clientem prævaricatione læſiſſe: præter infamiam genus ſupplicii excipiat, cujus timor apud paria auſuros plusquam omnis religio poſſit. Illud denique utiliſſimâ lege cavendum eſt, ne quid à clientibus patroni accipiant, priusquam lis finem acceperit. Ita fiet, ut patroni moras oderint, & contentione ad metam, dum ſibi ſic ſtudebunt, aliis proſint.

Audiente hæc Tiberio, & ſilente] Solemne eſt ſapientibus Principibus, libertatem dicendi aliis permittere, poteſtatem ſtatuendi ſervare ſibi.

Haud dubium erat, eam ſententiam altiùs penetrare, & arcana imperii tentari] Relatus eſt hic locus ſup. hoc libro verb. cæterùm Tiberio haud ingratum &c.

Quò

Quò magis mirum fuit, quòd preces M. Hortali, nobilis juvenis in paupertate manifeſta, ſuperbius accepiſſet.] Sive malignitate, ſive, qvòd verius puto, nolebat Tiberius, ut beneficii gratia, qvam à ſolo Principe accipere par erat, Senatui deberetur. Et hoc eſt, qvod Tacitus paulò inferius ait, *inclinationem Senatus, incitamentum fuiſſe, quò promptius adverſaretur.* Prudentia igitur fuit, non malignitas; qvod ex eo qvoqve conſtat, qvòd Tacitus de Tiberio ait, *Senatorum cenſus juviſſe.*

Nepos erat oratoris Hortenſii, inlectus à Divo Auguſto liberalitate decies ſeſtertium ducere uxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingueretur.] Et tamen idem Auguſtus ſæviſſimâ proſcriptione nobiliſſimum quemqve ſuſtulerat. Adeò & tyrannum, & bonum principem tàm benè expreſſit. Nimirum erant imperii initia violenta; conſiliaqve omnia ad oppreſſionem libertatis Romanæ ſpectantia, neceſſarium igitur

tur quædam vi tractare, quò cæteris qvies eſſet. Ubi quies erat, & ferociſſimis per acies aut proſcriptione ſublatis, cæteri nobilium, quantò quis ſervitio promptior, opib. & honoribus extollebantur: ad bonorum principum artes tranſire pars conſilii fuit. *&c. ararium: quod ſi ambitione exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit*] v. quæ ſcripſi ad lib. I. verb. *eroganda per honeſta pecunia cupiens, &c.*

L*angueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus aut ſpes: & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi nobis graves.*] Trajanus Boccalinus alicubi ait, bonas literas in paupertate natas, in eadem, tanqvam ſuo elemento proprio vivere. Poëtas maximè à Regib. nullis aut mediocrib. debere coli præmiis, victum & veſtem illis ſufficere, ex abundantia bonorum corporis exiſtere penuriam bonorum animi. ex otio eos marcere Quẽadmodũ nimia in gallinis obeſitas

eas

eas reddit infœcundas; ita poetas deliciis & otio corrumpi. Poëtas denique non natura,ut canes,ſed fame coactos, velut aſtures & falcones, venatum ire.

Avitæ nobilitatis etiam inter anguſtias retinens.]Prudentes aulici inter officioſæ demiſſionis verba,ſive cum ſuperioribus ſive cum æqualibus agant,nihil artis omittere debent, quò altorum ſpirituum retinentes non videantur aliis viles.

Crebreſcit vivere Agrippam] de his qui falſas Principum defunctorum perſonas induerunt, moveruntque credulos aut turbidos,eoq; nova cupientes, dicam ad lib.5.

Speculati noctem incuſtoditam,ac ceptâ idonea manu vinctum clauſo ore in palatium traxere] Optimum ſanè conſilium. Quippe expectare, donec vana credulitas tempore ipſo vaneſceret, in novo imperio , & apud promptas turbidorum, eoque nova cupientium aures,anceps & intutum.Si milite ſervum

ſuum

ſuum coërcere, eique magis anxiè aut publicè iraſci voluiſſet; nimio ſupplicii ſolatia erant, Imperatorem æmulatione uſſiſſe. Aptiſſimum igitur fuit dolis hominem capere. Ita & ſecuritati & auctoritati conſultum erat. Non multi adhuc anni ſunt, cum Pontifex Magnus & Hetruriæ Dux in rebellem ſuum Alfonſum Piccolomineum juncta moverunt arma, quæ ſanè res nimìs magno fuit honori ei, qui Principes ſuos tàm procaciter laceſſiverat.

Nec Tiberius pœnam ejus palam auſus, in ſecreta palatii parte interfici juſſit, corpus clam auferri] Retuli hanc cautionem puniendi homines populo acceptos clàm & in ipſis carceribus ſuprà hoc eodem libro.

Et quanquam multi è domo principis, equiteſque ac Senatores ſuſtentaſſe opibus, juvaſſe conſiliis dicerentur, haud quæſitum.] Relatus eſt hic locus ad lib. I. verb. *Granium Marcellum. &c.*

Breves & infauſtos populi Romani amores.]

mores] dixi ad lib. I. verb. *ex formidine ne Germanicus &c.*

Nec ideò ſinceræ caritatis fidem adſecutus, amoliri juvenem ſpecie honoris &c.] Iſtam artem nos quoque alibi notavimus, inviſos aut ſuſpectos honoris ſpecie removere. Et in aulis ſingularis calumniantium ratio eſt, accuſatoriam diritatem, ut quidam loquitur, laudib. peragere. Laudant, quos odio habent, ut maligna deinde inſerentibus ſit pronior fides. Præterea, quos æmulos habent, hoc modo à latere Regis qui cujuſque virtutis ſpectator & arbiter eſſe poterat, amovent. Quomodo Apelles, omnium ſecretorum Philippi Macedoniæ Regis arbiter, præcipuę dignationis viros laudando, quòd digniſſimos eſſe diceret, qui in caſtris verſarentur, periculis & caſibus doloſe objectavit. (*Polyb.* 4.) Et Agrippina, qui centurionum tribunorumque ſortem Britannici miſerebantur, removit fictis cauſis, & alios per ſpeciem honoris (*Tac.* 12. *Annal*)

Mu-

Mucianus,quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in Senatu laudib.cumularum ſecretis promiſſis onerabat,citeriorem Hiſpaniam oſtentans (*Tac.4.hiſt.*)Iulianus à Conſtantio Cæſar factus,inque Germanias miſſus eſt, ut inter ferociſſimos illos populos periret.(*Amm. Marcell.*16.) Theodorus Stiptiotes eodem prætextu Ioannem Hagiotheodoritam magnum in Manuelis Imperatoris gratiâ virum è regia in extremum angulum Præturæ Peloponneſi exegit (*Nicet. Choniat.* 1. *annal.*) Ruigomezius Sylva Albæ Ducem in Belgii procurationis petitione cæteris prætulit;non reipublicæ curâ,aut amore Ducis, ſed ut æmulum procul aula haberet. (*Io.Bapt. Cin.7.de vita Coſmi.*)

Invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet]Cum Principibus, eorumque conſanguineis reverenter agendum eſt, in quacunque ſint conſtituti fortuna: quia *brevi momento ſumma verti poſſunt*: (*Tacit.* 4. *annal.*) & qui

& qui jam prodeſſe & juvare nequeunt, forſan olim nocere poterunt. Documento eſt Archelaus Rex, de quo hîc Tacitus, quem ſubvertit Tiberius, nullam aliam ob cauſam illi infeſtus, quàm quod Rhodi agens nullo officio ab eo cultus eſſet. Nec id Archelaus per ſuperbiam omiſerat, ſed ab intimis Auguſti monitus quia florente C. Cæſare, miſſoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia videbatur. Quo magis veſani ſunt, qui nullâ coacti causâ gratuitas ſibi accerſunt inimicitias. Ludovico Hutino in Galliis Rege Engerranus quidam intimâ apud Philippum Pulchrum gratiâ à popularibus author graviſſimi tributi indicendi inſimulabatur. Sed cæteri plus mali imprecari ei, quàm creare poterant. Premendi hominis princeps inventus eſt ex ipſa regiâ Carolus Valeſii Comes, Ludovici Regis patruus. Cauſa atrocis odii, quòd, dum apud Pulchrum controverſia eſſet inter ſummos Normaniæ proceres,

ceres,

ceres, alteri Engerranus, alteri Carolus aderat. Exortâ contentione exardeſcentibus ſtudiis mentiri Carolum Engerranus dixit. Id verbum nobilitati gravius omni vulnere in memoria Caroli eo uſque ſedit, ut vivo Pulchro fratre exequi dolorem non auſus, in rudimento regni Ludovici Hutini ultionem petierit. Peculatus reum agere placuit. Ad Luparam ductus interrogatusque de pecunia publica, regniqve tributis exactis, reſpondit per magnam partem ad ipſum Carolum Valeſii Comitem perveniſſe. Qvo reſponſo magis irritatus Carolus non deſtitit, donec furcâ ſuſpenderetur Engerranus. (*P. Æmil.* 8.) An. Chriſti cIↄ.Iↄ. LXXXIII. Mahumetes Hodabendes Perſarum Rex bellum moliebatur contra filium Aban, rebellionis apud ſe delatum præcipuè ab Merize Salma inter ſatrapas principe: qvi regnandi olim ſub altero filio, cui ille filiam ſuam in matrimonium tradiderat, ad inſaniam

P cupi-

cupidus, expeditionis contra filium patri author erat. Sed exitus hic fuit, ut Abâ in gratiam à parente recepto, omiſſoque bello tota irarum moles in Salmam incumberet; iſque ut damnoſæ expeditionis pericula & incommoda lueret, capite plecteretur. (*Thuan.* 78.) Ex quo apparet, ſuo ſibi, quod dicitur, jumento malum quærere, qui Principum maximè propinquorum ſimultates per calumnias alunt, & exacerbant. Nam ferè uſu venit, ut illi reconcilientur, & depoſitas iras in miniſtros primarios vertant, ac velut ex pacto alteri ab alteris, inviſos ſibi ad pœnam depoſcant. Nec modò ita belli concitatores ac velut tubæ hoſtium iræ dediti, ſed & boni fidique ſæpè amici à Principibus proditi ſunt. Exemplum eſt cruenta illa Triumvirorum proſcriptio. Cùm enim illi poſt varia inter ſe geſta bella conveniſſent de invadendâ Rep. nefandâ proditione, quiſque ſuarum partium præcipuos inimicorum,

quos

quos illi offenderant, ultioni dedide-
runt; vendentes auctionanteſque ſibi
quondam amiciſſimos velut ſub haſta
poſitos. (*Dio Caſſ.47.*) Franciſcus Si-
monetta cùm Franciſco Sforziæ fidem
ſuam egregiè probaſſet, & eodem ani-
mo eſſet in Galeatium Franciſci Filium,
cujus tutelam cum matre vidua admini-
ſtrabat; ab offenſis Galeatii fratribus
Ticini trucidatus eſt. Cum enim ille, ut
pupillo principatū ſervaret, fratres ejus
& Robertum Sanſeverinatem Mediola-
no expuliſſet, mater paulo poſt tranſa-
ctis controverſiis Simonettam illis tra-
didit, quem, ut dixi, crudeliter occide-
runt. Hot metu ſubitariæ, & in conſili-
ariorum exitium deſituræ reconciliati-
onis multis libertas eripitur, etiam fi-
dis, ſed dum impune licet, & ſibi, ante
quàm Principi. Scilicet illi prudentes,
quorum conſilio in rebus dubiis utun-
tur Reges, non ſic auſpicantur publicas
curas, ut privatam ſuæ ſalutis ſolicitudi-
nem deponant. Itaque cùm in alios

conſuluntur (civilibus maximè bellis) eorum offenſam veriti, ſæpe remiſſas ſententias & frigidas dicunt: ne ſi qvid acriùs ſtatuerint, illi ipſi, in qvos dicũt, poſtqvam ut mos eſt, in aulâ reconciliati florebunt, aut factione & armis ſuperiores evadent, in ultionem ſervent animos, ac deniqve ruina immerentum exſatient. Inde Tacitus *(lib 1. hiſt.)* ait, Calerium Trachalem, cujus ingenio Otho in rebus urbanis utebatur, in oratione; qvam Othoni præſcripſit, ſibi metuentem contumeliis in Vitellium abſtinuiſſe. Et tertio Hiſtoriarum idem Tacitus cùm Senatores Romanos de Cæcinæ Vitellianarum partium ducis defectione compoſitâ indignatione conqveſtos dixiſſet, addit: *nulla in oratione cujuſquam, erga Flavianos duces obtrectatio. errorem imprudentiamque exercitum culpantes Veſpaſiani nomen ſuſpenſi & vitabundi circumibant. &c.*

S*i intelligere crederetur, & vim metuens*] v. qvæ ſcripſi ſup. hoc libro ad verb.

verb. *haut cunctatus eſt ultrà Germanicus* &c.

Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico.] Qvod ita neceſſarium erat ob ſuſpectum Tiberio Germanicum. Sed & ceſſante iſto reſpectu parum ſecura res eſt, procurationes, munimenta, exercitus eſſe in manibus plurium perſonarum ſangvine junctarum. Indeqve Veneti in majoribus civitatibus ſuo dominio ſubjectis juſtitiæ curam, & armorum præfecturam, diverſa officia, diverſis tribuunt. Et olim Senis conſtitutum erat, ne duo ex eadem familia eodem tempore in magiſtratu eſſent, (*Orland. Malavolt. lib. 3. hiſt. Sen.*)

Præfecerat Cn. Piſonem ingenio violentum.] Inter cæteras artes, qvibus nimii qvorundam ſpiritus franguntur, notavi alicubi hanc qvoqve addere nimirum illi ſuſpecto collegam velut inſpectorem, qvi ſpes illius coerceat.

Druſus in Illyricum miſſus eſt, ut ſueſ-

ſceret militiæ, ſtudiaque exercitus pararet: &c.] Alibi dixi egregios duces, prudenteſque Senatores eſſe, quibus Principum adoleſcentia regenda committi debeat. Hoc loco quadruplex notanda cauſa eſt, ob quam Tacitus Druſum in Illyricum ad exercitus miſſum dicit. Primò, ut ſveſceret militiæ: deinde, ut ſtudia exercitus pararet: tùm, juvenem urbano luxu laſcivientem meliùs in caſtris haberi: & denique quòd Tiberius tutiorem ſe rebatur utroque filio legiones obtinente. Plura non addo, quod Scipio Amiratus hoc argumentum benè tractet. (*lib.* I. *diſc.* 10.)

Vacui externo metu gentis aſſuetudine, & tùm æmulatione gloriæ, arma in ſe verterant.] Communis opinio eſt, Carthaginem deſtructam cauſam fuiſſe civilium bellorum, quæ poſtmodùm Romanos exagitarunt. Sed alibi aptior erit demonſtrandi locus, non excidium Carthaginis, ſed corruptam Reip. formam tot mala generaſſe.

Ar-

Arminium pro libertate bellantem favor habebat.]Et hic idem tamen abſcedentibus Romanis & pulſo Maroboduo regnum affectans libertatem popularium adverſam habuit. Videbis quæ dicam ab librum 4.

Longâ adverſus nos militiâ inſueverant ſequi ſigna &c.]retuli hũc locũ ſup. lib.1.verb. *Pompejum imagine pacis &c.*

Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruſcorum, illius conſiliis geſta, quæ proſpere ceciderint, teſtabatur.] Sæpe vir unus & una fortuna, ſi rebus adſpirent, res magnas & mirabiles efficere poſſunt. (*Polyb.lib.8.*)Romani cùm ingenti exercitu, terrâ marique Syracuſas obſiderent, ſi quis unum urbi ſenem, Archimedem, adimeret, confeſtim urbe ſe potituros ſperabant: illo verò præſente ne accedere quidem propiùs ad mœnia audebant. (*Polyb.d.l.*) Mortuo Braſidâ, cujus ductu atque auſpicio feliciſſimè cum Athenienſibus pugnarunt Spar-

tani, quod, quæ ille cæperat, à ſe perfici poſſe deſperarent, ad pacis mentionem deſcenderunt. (*Thucyd.* v.) Et ita ferè ſemper accidere ſolet, ut cæſis præſtantiſſimis belli ducibus, amittantur munitiſſima loca, ſolvantur obſidiones, fundantur acies, animi exercitibus minuantur contraqve creſcant hoſtibus. Epaminondæ virtute ex infimis incrementis Thebarum civitas ad ſpem imperii Græciæ erecta eſt: ſed poſtqvam ille deceſſiſſet, vires qvoqve Reip. cum illo conciderunt. Nam ſicuti telo ſi primam aciem perfregeris, reliqvo ferro vim nocendi ſuſtuleris; ſic illo velut mucrone teli ſublato, rei qvoqve publicæ vires hebetatæ ſunt: ut non tam illum amiſiſſe, quàm cum illo interiiſſe omnes viderentur. Nam neqve hunc ante ducem ullum momorabile bellum geſſerunt: nec poſtea virtutibus, ſed cladibus inſignes fuere: ut manifeſtum ſit patriæ gloriam & natam & extinctam cum illo fuiſſe. (*Iuſtin.* 6.) In uno Alcibia-

biade tantum fuit momenti, ut maximi imperii Athenienſium ſubverſi & rurſum recepti auctor eſſet;& unde ſtetiſſet,eo ſe victoria transferret; fieretqve cum eo mira qvædam fortunæ inclinatio.(*Iuſtin.* 5.)In bello,qvod interMeſſenios & Achæo,geſtum eſt,Philopœmenes Achæorum imperator (qvem qvidam ultimum Græcorum ſcitè vocat) captus eſt; non qvia pugnando vitæ pepercerit,ſed dum ſuos in prælium revocat,in tranſitu foſſæ eqvo præcipitatus à multitudine hoſtium oppreſſus eſt. Qvem jacentem Meſſenii ſeu metu virtutis, vel verecundiâ dignitatis interficere auſi non fuerunt. Itaqve velut in illo omne bellum confeciſſent, captivum per univerſam civitatem in modum triumphi circumduxerunt,effuſo obviam populo,ac ſi ſuus non hoſtium imperator adventaret;nec victorem Achæi avidius vidiſſent, qvàm victum hoſtes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci juſſerunt, ut omnes

contuerentur quē potuiſſe capi incredibile ſingulis videbatur. Inde in carcerem ducto verecundiâ magnitudinis ejus venenum dederunt.(*Iuſtin.*32.)Inſuperabilis virtus! Licuit hoſtibus de capite vitaquePhilopœmenis ſtatuere. Virtus Philopœmenis de hoſtibus triumphavit.Hannibali etiam hoſtes tantam ineſſe vim cenſebant,ut etſi omnia alia circà ruerent, eo tamen ſalvo ſalvæ Pœnorum res viderentur. Vivo Alexandro milites ipſius putabant,quantalibet vis omnium gentium conſpiret impleat armis viriſque totum orbem, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat, Alexandrum poſſe illos præſtare invictos. (*Q Curt.*)Mortui tanta adhuc erat veneratio,ut Argyraſpides omnes alios duces faſtidirent; ſordidam militiam ſub aliis poſt tanti Regis memoriam exiſtimantes. Hungari regnante Henrico Aucupe in Saxoniam excurrentes, cunctaque cædibus, incendiis, rapinis miſcentes, Bremâ

mâ quoque exuſtâ ad littus uſque Oceani penetrarant: cùm Henricus nullo milite inſtructus ferociſſimæ genti occurrere non auderet. Verùm capto nobili quodã ex Hungaris viro, ut illũ redimerent, in novẽ annos inducias paciſci nõ dubitarũt(*Vbb. Emm. 6. hiſt. Friſ.*)

Delectus eſt M. Aletus è prætoriis, ne conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur.] Bella duorum ducum auctoritate parium auſpicio geſta raro feliciter exire aliis obſervatum eſt. (v. *N. M.* 3. *diſc.* 15. *Scip. Amirat. hic.*) Verùm num dominatio ſtabiliatur ſerendo alendoque inter ſubjectos diſcordias, nondum adhuc definita quæſtio eſt. Certè in Ægypto conſultò variis ſuperſtitionibus permiſſum olim erat vulgus, ne à ſe invicem diſſidentes in Regem conſpirarent, ut ex Diodoro Siculo refert in eruditiſſima tabulæ Iſiacæ explicatione vir omnis antiquitatis peritiſſimus, noſtri ævi Varro, Laurentius

Pignorius. Julianus Cæſar religionum libertatem permiſit, ut diſſenſionum augeſcente licentiâ non timeret unanimantem poſtea plebem. (*Ammian.* 22.) Catonem deniqve ſemper contentiunculas aliqvas inter ſervos callidè foviſſe ajunt. (*Plutarch.*) Mihi ea de re ita videtur: ut nunqvam niſi ex accidenti civium diſcordiam publicæ rei Principiqve prodeſſe putem primùm, ſi tyrannus ſit, qvi regnat, & odio habitus à populo tunc enim, ut contendentibus civibus ipſe ſecuriùs vacet dividendi ſunt, qvos timet: deinde, ſi qvorundam nimia ſit opibus, factionibusq; potentia: qvæ aptiori ratione infringi neqvit, qvàm ſi inter illos diſſidia, contentioneſqve, qvibus ſe invicem conſumant, aut ſaltem qvibus occupati in Regem conſpirare neqveant, diſſeminentur. Verùm enim verò hæc cautio morbum arguit imperii, Principiſqve debilitatem, qvi cùm virtute, viribuſqve deſtituatur, ad iſtas ignobiles, ne dicam pro-

probri plenas artes confugere cogitur: qvæ tamen, etſi ad tempus juvent, poſtremò fallunt. Nam ſi bellum ingruat, qvæ partium Principem ſibi minùs æqvum putat, hoſti accedens illius vires auget. Ut taceam in una civitate cœpta partium ſtudia, qvarum qvælibet ſibi amicos, ſocioſqve qværit, non unis mœnibus contineri, ſed contagione alias qvoqve regni partes inficere (v. *N. M. 3. diſc. 27. & in Princ. c. 20.*)

Provincias internis certaminibus feſſas refovebat] qvo ipſo clarius evadit, à magnis & ſuâ vi nixis principibus non arte ſtudioqve dividi in factiones provincias ſubjectas.

Per ambages, ut mos oraculis &c.] v. qvæ dixi ad hunc lib. verb. *juvenem improvidum &c.*

Neque tamen mitigatus Piſa.] Beneficia eò uſqve læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe ubi multum antevenêre, pro gratia odium redditur. (*Tacit.*) Qvædam beneficia odimus. (*Q. Curt.*)

De-

Denique & violentum Piſonis ingenium, & accepta à Tiberio mandata inſectandi Germanicum impediebant illum, quò minùs tantum beneficium agnoſceret.

Largitione, ambitu &c.] confer cum hoc loco, quæ de Othone lib. 1. Hiſt. dicuntnr; & obſerva, quibus artibus ab ambitioſis animorum ſinceritas corrumpitur.

Inclinabat in Zenonem, &c.] Quemadmodum de Vonone in hujus libri principio dixit Tacitus, accendiſſe dedignantes Armenios diverſum à majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni eqvorum curâ, ita ex diverſo ejusdem nationis favor inclinabat in Zenonem, quòd is primâ ab infantiâ inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat.

Quadam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium ſperaretur.] Utilis namque novis imperiis eſt

eſt clementiæ fama. Cæterum de tributorum exactionibus alibi dicendi locus erit.

Daturumque honori Germanici ut ripam Euphratis *accederet.*] v. notata ad hunc libr. 5. verb. *flumen Viſurgis &c.*

Nam Auguſtus inter alia dominationis arcana &c.] Hoc arcanum quale fuerit; explicavi hoc eodem libro ad verb. *caterum Tiberio haut ingratum accidit* &c.

Inliciens Germanos ad diſcordiam] explicabo ad librum 4.

Et Maroboduus quidem Ravenna habitus, ſi quando inſoleſcerent Suevi, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur.] Apta ratio tenendi hoſtes in perpetuo metu, de quo dicam ad lib. 6.

In ea diviſione arva & urbes & vicina Græcis Cotyi, quod incultum, ferox, adnexum hoſtibus Rheſcuporidi ceſſit.] Facile, qui prudens erat, conjicere poterat, parùm duraturum ejuſmodi fœdus; vitio primùm humani ingenii, dominationis avidi; unde ſævus regnandi amor

--- &

--- *& ſummo dulcius unum*
Stare loco, ſociiſque comes diſcordia regnis,
Stat. 1. Theb.

Deinde quòd nimis iniqua erat diviſio ; & quæ neceſſitate, temporiſque injuriâ coactus quis promiſit, non niſi eadem neceſſitate cohibente ſervari ſoleant. Nulla recentium beneficiorum memoria inter duos principes, qui hereditaria odia habent, nulla fides, promiſſa denique nulla efficere poſſunt, ut pactionem ſibi damnoſam, hoſti utilem quiſquam ſervet (*Guicciard.* 15.) Non chartæ & ſcripturæ, ſed vis ac neceſſitas Principem ad ſervandam fidem adigit. (*N. M.* 8 *hiſt. Flor.*) Et generaliter memoriæ veteres nos docent, in extremis caſibus icta fœdera poſtquam partes verbis juravere conceptis, repetitione bellorum illicò diſſoluta. (*Ammian. Marcell.* 25.) De Græciæ civitatibus Thucydides (*lib.* 1.) ſcribit; ſi quando juramento ſe invicem, præſenti con-

conſtricti neceſſitate, adegiſſent, tàm diu id ratum fuiſſe, dum nullum aliunde ſubſidium ſperare poterant: ubi alteri parti fortunæ aliqua ſpes affulſiſſet, protinus alios per fidem deceptos magis, quam ex aperto aggredi jucundius fuiſſe; hiſque malis artibus ſuperiorem induſtriæ famam conſecutum. Manuel Comnenus Imp. monenti, ut cum Turcis inita pacta ſervet, parùm ſe ea curare, quæ neceſſitate promiſſa eſſent, reſpondit. (*Nicet. Choniat. 6. Annal.*) Cum olim Hero Eſenſis ex Friſiæ Proceribus armis ab Ezardo Friſiæ orientalis Comite victus ſervaturum ſe pacta ad aram juraret, Ulricus Dornumanus Heronis frater ad aſtantes verſus, atque ego juro vobis, inquit, fratrem meum nihil eorum, quæ promiſit, præſtiturum. (*Vbbo Emm. lib. 57. hiſt. Friſic.*) Franciſcum Galliæ Regem non aliam habuiſſe repetendi belli contra Carolum V. Cæſarem cauſam, quàm quòd ad conditiones, quas captivus iniiſſet,

iiſſet, ſervandas minimè ſe teneri diceret. (P. *Iuſtin. Andr. Maurocen. Io. Bapt. Hadrian.*) Et ipſe Carolus, cum ab ipſo promiſſorum fides repoſceretur, obſecundaſſe tempori reſpondit. (*Thuan.*) Carolus IX. Galliæ Rex, quicquid de religionum libertate antè caviſſet, pro tempore ſtatutum, non, ut pepetuum eſſet, Hugonotis reſpondit. (*And. Mauroc.* 8. *hiſt. Ven.*) Denique Margaretha Parmenſis vi adactam Belgis ſe quædam conceſſiſſe, excuſavit. (*Coneſtag.* 1. *hiſt. de bello Belg. Thuan.* 38.)

Quæ cum ita fieri ſoleant, non tamen ita fieri debere pronunciare auſim: & juris gentium eſſe, etiam ſervare, quæ vi bellicâ coactus promiſeris. Nam quod in N.M. id diſputationibus (*lib.* 3. c. 42.) negat; ego videre nequeo, quibus ejus ſententia argumentis evinci queat. Quod enim ita conſvetudine inter Principes obſervari tradit, ut quæ neceſſitate coacti pepigerunt rata non ſint: eam ego conſuetudinem ra-

ratione carentem & pravam eſſe arbitror; quæ perjuriis & fallaciis viam aperiat: cum ferè ſemper altera pars coacta ad tranſactionem deſcendat, & rarò æquis atque integris utrinque viribus ad pacem perveniatur. Illud autem, quod de Romanis, turpem illam cum Samnitibus ad furculas Caudinas initam pacem aſpernantibus affert, nihil omninò, ad rem facere videtur: cum non quia vis & coactio illi conventioni cauſam dederit, ſed quia Conſul neſcio S.P.Q. penes quem paciſcendi arbitrium erat, pepigerat, retracta illa fuerit: quòd inde apparet, quia ignominioſi pacti authores teneri judicabant Romani, eoſque, hoſtibus dediderunt. Quod ſi retentis captivis, miſſis Romã legatis cum Senatu populoque quodcunq; fœdus feciſſent Samnites, illi ſtare debuiſſe Romanos dubium non eſt.

Sed quia quod jam diximus, ferè à pactis reſilire ſolent Principes; illos qui in publicarum rerum adminiſtratio-

ne

ne verſantur, exactiſſimo ſtudio, & ſcrupulosâ curâ examinare decet, utrum, cum quibus fœdere, pace, induciis junguntur, hoc ſeriò velint, an temporum iniquitati cedentes ſimulata ineant pacta; quò veris amicis ſecurè uti poſſint, fucatos verò recentibus ſubinde neceſſitatum vinculis impeditos teneant. (*Polyb.* 3.) In quem finem idonea cautio eſt, ut à parte ſuſpectâ munitæ urbes aut arces aliquot velut pignora in alterius partis, vel ſi hoc minus tutum videatur, in tertii cujuſdam veluti ſequeſtris, manus conſignentur ad tempus.

Illud autem monendi ſumus, hac curâ opus non eſſe, ubi ſub clypeo, quod ajunt, paciſcuntur partes, ubi integris utrinque viribus, aut parùm acciſis coëunt. Tutiſſima enim reddit fœdera mutuus metus: Quippe qui ea rumpere vult, dum ambigit, an ſuperior eſſe poſſit, abſterretur. Et firmiſſima eſt inter pares amicitiæ qui autem metu magis

gis

gis quàm benevolentia ſubjiciuntur, repertis authoribus animos tollunt, & novis ſemper intenti ſunt occaſionibus. Porrò ſolent quoq; majori benevolentiæ atque amicitiæ vinculo contineri eæ pacis leges quas æquiſſimas fortunâ & cauſâ ſuperior victo tulit. Quod Privernates à Romanis victi ſignificare voluerunt. Cùm enim Conſ. ex illis quæreret, ſi pœnam remitterent Romani, quam cum ipſis pacem habituri eſſent, reſponderunt illi: ſi bonam dederitis, firmam & perpetuam; ſin malam, brevem & incertam. (*Liv.*) Et ſanè Romanis ſemper ea placuerunt cōſilia, quibus eo hoſtis adigeretur, ut aut nocere non poſſet, aut non vellet. Cùm Camillus Latinos viciſſet, his verbis in Senatu oravit: Dii immortales ita vos potentes hujus conſilii fecerunt, ut, ſit Latium, an non ſit, in veſtra manu poſuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, patere in perpetuum vel ſæviendo, vel ignoſcendo poteſtis.

Mirè

Mirè huc facit hiſtoria de Herennio Pontio apud Livium. (*lib.9.*) Is,ubi accepit ad furculas Caudinas inter duos ſaltùs clauſos exercitusRomanos,conſultus ab nuncio filii, cenſuit omnes indè quàm primùm inviolatos mittendos:quæ ubi ſpreta ſententia eſt, iterumque eodem remeante nuncio conſulebatur, cenſuit ad unum omnes interficiendos. Cùmq; hæc inter ſe tàm diſcordia reſponſa læſi animi ſignum viderentur, conſilii ſui cauſas adjecit. Priore ſe ſentiâ dixiſſe,quod optimum duceret,cum potentiſſimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque:altero conſilio in multas ætates, quibus amiſſis duobus exercitibus haut facilè receptura vires Romana res eſſet, bellum differre voluiſſe: tertium nullum conſilium eſſe. Cùm alii Principes percontando exquirerent; quid ſi media viâ conſilium caperetur,ut & dimitterentur incolumes,& leges iis jure belli victis impone-

nerentur? iſta quidem ſententia inqvit, ea eſt, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Huic genuinum eſt, quod Franciſcus I. Galliæ Rex in Hiſpania captivus dixiſſe fertur, trium ſe optionem Carolo Cæſari facere; aut ſe æterno carcero vinctũ ſervaret: aut pro ſua magnanimitate priſtina libertate donaret; aut ſi tanta Burgundiæ potiundæ cupiditas animo ejus inceſſiſſet, pactionibus, quibus placeret, adſtrictũ dimitteret. Carcerem ſe fortiter laturum: pro libertatis dono gratum omni vita memoremq; tanti beneficii futurum: iniquis legibus dimiſſum nunquã bonâ fide amicitiam culturũ; ſed arreptá primâ occaſione omnia hoſtilitatis ſigna editurũ eſſe. (*Andr. Maur. 2. hiſt. Ven.*)

Ex quo ſequitur, ſaltem politicè veram eſſe illius ſententiam, qui dixit, homines magnos aut non fodicandos, aut ſi cœperis occidendos eſſe. Omne medium hîc in vitio ponitur; & omne extremum laudabile eſt. Quã ob rationẽ

Fran-

Franciſcum Momorantium reprehendit apud Thuanum in hiſtoria Princeps Condæus, quod Cardinalem Lotharingum per injuriam ingreſſu Lutetiæ prohibitum non minùs pòſt ſalvum dimiſerit, quippe, ſi joco egerit. nimis acerbè; ſi ſeriò, nimis remiſſe actum. Henricum quoq; Luſitaniæ Regem notant ſcriptores, quòd neſciverit uti vel ſumma clementia, vel ſumma iracundia(*Coneſtag.* 3. *de conjunct. Port. cum Caſt.*) Non itaque ſine ratione Cardinalis Alexandrinus Pontificis juſſu captus, aliorum, ut animum à mœrore allevaret ſolatia & hortamenta reſpuens, & extrema quæque veritus, reſpondit; viros magnos non fieri captivos, ut dimittantur; nec vinculis ſolvi, qui carcerem non meruiſſent. (N.M. v. *hiſt. Flor.*) Læſi dimitti ſemel poſſunt, at ſemper meminiſſe injuriæ. Cyrus Darii Nothi Perſarum Regis filius ex carcere, in quem ab Artaxerxe fratre conjectus erat, intercedente ma-
tre

tre imprudenter dimiſſus periculoſiſſimum fratri bellum fecit. (*Xenophon.* 1. *de exped Cyri min.*)

Illud etiam hinc conſequitur, ſtultiſſimos eſſe, qui minis, & hoſtilem animum oſtendentibus, verbis temperare non poſſunt. Nec enim inde debilior fit hoſtis, & teſtante Seneca, (*in Medea*) *profeſſa perdunt odia vindictæ locum.* Qua in re notatur Galeatius Sforza, quod minitaretur vel potentiſſimis regibus, quorum aliquam in ſe injuriam agnoſceret: eoque conſiliorum ipſius initium & finem ſimul cognita. (*Io. Bapt. Pign.* 8. *hiſt. Ven.*) Et eandem imprudentiam in Alfonſo Calabriæ Duce arguit Guicciardinus in hiſtoria. (*lib.* 1.) Ludibria quoque & contumeliæ ut plurimùm efferatos & obſtinatos reddunt hominum animos. Clotarius II. Francorum Rex contra Saxones bellum movit, quod ſe nondum L. annos natum velut extrema canicie vetulum jumentum appellaſſent. (*P. Æmil.*) Inter

Francos Slavosque atrociſſimum bellum ortum eſt, quod Francorũ legatus fœdus cũ canibus (ita Slavos vocabat) ictum, ſanctum eſſe non debere dixiſſet. (P. Æmil.) Saraceni eadem verbi contumelia laceſſiti, funeſtâ rabie exarſere. Qui Heraclio ex ea gente militabant, veſtem militarem ex uſu poſcebant. Eunuchus corruptiſſimo ſeculo fiſco præfectus: quid, inquit, reliquum eſt Romano militi, quod dari his canibus poſſit? Eam ſemiviri petulantiam tã indignè tulere ipſi viri armatique, ut confeſtim deficientes Arabia ac finitimis gentibus concitatis formidabili Saracenorum potentiæ initium dederit. *(P. Æmil.)* Ludovicus XII. Galliæ Rex Helvetios, quos ruſticos intra mõtes natos contumelioſè vocaverat, in ſe concitavit; maximo rerũ ſuarũ damno. (*Guicc.* 9.) De Narſete notius eſt, quàm ut memorari debeat. Groninga urbs anno Chriſti cIↃ IↃ VI. à Saxonibus obſidebatur: & jam eo anguſtiarum ob com-

commeatuum inopiam pervenerat, ut non multum abeſſe deditio videretur; cùm oppidani ſuorum contumeliis aſperati ad ultima quæque animos obfirmarunt. Vitus Drachſtorpius Saxonicorũ Dux oppidanis, ſi quos deprehenderat, poſt verbera & cæteras injurias aures amputabat, ſtigmata inurebat, vultus turpabat; mulierculis veſtem imã cum induſio ſupra nates præſcindebat, atque ita demittebat in urbem. Aliquãdo accepto homine pauperculo famis cauſa ex urbe oppreſſo, uxore comitante, & vinculis conſtricto, cum ob inopiam ſe redimere non poſſet, tandem Viti juſſu ſtigmatis mulieri genæ ſignatæ, viro præſciſſæ aures, & pro emblemate pileo ejus affixæ: tum haleces duæ, fruſtellumque panis & ſalis modicum ad pectus ſuſpenſa. Ita ornatus, manibus ad tergum revinctis, in ludibrium remiſſus in urbem, Conſulibus hæc munera à Vito ferre juſſus eſt. Quę cùm videret populos, fremere, deteſta-

ri ſævitiam hominum, omnia potius ferenda, & in ferrum ruendum, quàm ſævæ ac barbaræ gentis imperium ſubeundum. Nec multò poſt ſe ſuaque odio Saxonum & neceſſitate coacti Edſardo Comiti dediderunt; qui illato in urbem præſidio atque commeatu ſolvere obſidionem Saxones coëgit. (*Vbbo Emm. 42. hiſt. Friſ.*) Concludamus igitur in omnibus actionibus tam publicis quam privatis; belli paciſque eò annitendum eſſe, ut, cum quibus agimus, nobis nocere aut non poſſint, aut non velint.

Nihil æque Tiberium anxium habebat, quàm ne compoſita turbarentur.] Nam & Auguſtus, auctor utriuſque regni ſi ſperneretur, contumelia Tiberium quoque tangebat: & nova imperia pace, quâ ſtabiliantur, opus habent. Ferdinandus Aragonius, quanquam cauſas habebat juſtiſſimas bello petendi Ludovicum Sforzam: nunquam tamen id voluit; ne quietem Italiæ, quam reb. ſuis neceſſariam videbat, turbaret.

Quem

Quem finem ab illo tempore, quo Florentia ultimum capta eſt, ſemper propoſitum ſibi habuerunt Itali Principes, ideoque exorientia bellorum ſemina omnes in herba opprimere laboraverunt, & Galliæ Regibus ſpes omnis recuperandi in Italia olim poſſeſſa præciſa. Poſſidentis Hiſpani partis pacificè frui intererat. Gallo, amiſſa niſi bello repetere non licet; Ergò quibus tranquillitas & quies curæ, Hiſpanis ſuarum provinciarum poſſeſſionem hactenus ſemper aſſeruerunt. Sed parum aberat, quin nuperrimè inquies & ambitioſum illius nationis ingenium Italos ad alia, & à prioribus diverſa conſilia impelleret.

Molliter reſcriptum] profeſſa perdunt odia vindictæ locum; quod paulò ſuperius dictum eſt. Germani dicunt: *VVer Vogel vvil fangen, muſz nit mit Prugel darunder vverffen.*

Maluit patrati, quàm incœpti facinoris reus eſſe] Ea mens eſt omnibus ſce-

leratis. Similis Othonis (1.*hiſt.*) ſententia *acrioris viri eſſe meritò perire.*

Circumdata hinc regi ſpecie bonoris valida manus.] Modus cuſtodiendi capiendique magnos homines, non ſemper ad tergum religari manus queunt: quem cautiſſimè in effectum deduxit ſceleſtiſſimæ ſævitiæ homo, Cæſar Borgias, cum ſpecie honoris captos Urſinos & Vitellos Senogalliæ trucidavit. Quam tragœdiam ſingulari libello deſcripſit graphicè Nicolaus Machiavellus.

Cum magnitudinẽ & gravitatem &c.] v. notata s. ad verb. accendebat dedignantes &c.

Haut ignavo ad miniſteria belli juvene Piſone, quanquam ſuſcipiendum bellum abnuiſſet.] Idque fidi miniſtri officium eſt, ut, ſi contra ſuum conſilium contraria ſententia prævaluerit, ejus exſecutioni non minùs, quàm ſi ſua probata eſſet, invigilet.

Non pugnaturi militibus ubi Piſonem ab

ab ipſis parentem quondam appellatum vidiſſent.] Labile ſpei fundamentum! ſtultum fidere illis, qui, *unde utilitas oſtenditur, illuc libidinem transferunt.* (*Tacit.* 15. *annal.*)

Tum Sentius occanere cornua.] Inclinata res niſi ſtatim erigatur ſiſti non poteſt: cœperat ſeditio ſi ſpatium cæteris cogitandi dediſſet, forſitan ſequebantur commilitones. Romani ad motus extra urbem propellendos bellum aliquod ſimulabant aut parabant. Et Sylla ſpectante ad ſęditionem milite trepidum nuncium de hoſtis adventu finxit, itaq; diſcuſſit periculum. (*Front. lib.* 1. *c.* 9.)

Non receptæ conditiones] quo firmatur, quod s. diximus eò redigendos hoſtes, ut nocere aut nolint aut non poſſint. Clemens Octavus inter alias tranſactionis cùm Cæſare Ateſtino leges hanc quoque prudenter addidit, ut ille intra ſtatutum tempus quicquid patrimonii (allodialia vocant bona) in di-

tione Ferrarienſi poſſideret, divenderet.

Nec obſtitit falſis Tiberius*, donec tempore & ſpatio vaneſcerent*] ſimili locutione ſuprà hoc eodem libro dixit: *an inanem credulitatem tempore ipſo vaneſcere ſineret.* Ratio hujus ſententiæ eſt, quod, ut alibi Tacitus ait, vera viſu & morâ, falſa feſtinatione invaleſcunt.

Actum & de ſacris Ægyptis Iudaiciſque pellendis.] Locus invitabat tractare hic illam tantoperè de religionum libertate, exagitatam quæſtionem. Sed profectò horreo me immittere tam vaſto gurgiti. Igitur nunc quidem, cùm non omninò liqueat, ampliandum cenſeo.

Binoſque numos ſe additurum.] v. quæ dixi ad lib. 4. verb. *Pacem exuere &c.*

Acerboque increpuit eos, qui divinas occupationes ipſumque dominum dixerant.] Et re verâ oderat pudendam iſtam adulationem Tiberius.

Nunc

Nunc eò ventum eſt ut Optimus Maximus Deus nullo ſingulari titulo appellari pſſit, quem non hominum ſibi ambitio arrogaverit.

Finis Notarum Politicarum in librum ſecundum Annalium

C. CORNELII TACITI.

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ POLITICÆ.

Ad Librum III. Annalium C. CORNELII TACITI.

Violenta luctu, & neſcia tolerandi.] In tota hac exequiarum funebri pompa, Agrippinæ, cæterorumque ex Romano populo imprudens notanda eſt indignatio: qui cùm ſcirent omnes, lætam Tiberio Germanici mortem malè diſſimulari; ipſi velut in contumeliam Principis majori luctu defunctum proſequebantur: *concidiſſe Remp. nihil ſpei reliquum clamitabant; promptius apertiuſque, quàm ut meminiſſe imperitantium crederes.* Ita qui libertatem fugatam videbant nunquam tamen ſub rege & domino ſe eſſe cogita-

gitabant:] cùmque in ſervitute liberis linguis uti, & imperare ſubjecti vellent; Tiberium ſuâ naturâ crudeliſſimum in majorem ſævitiam exaſperaverunt. Prudenter apud Lucanum (*lib.* 3.) Cotta:

Libertas, inquit, populi, quem regna coërcent,
Libertate perit: cujus ſervaveris umbram,
Si, quicquid jubeare velis.

Et quid ipſum magis accendere potuit, quàm intempeſtiva hominum in Agrippinam ſtudia; cùm decus patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, unicum antiquitatis ſpecimen appellarent, verſique ad cœlum ac deos, integram illi ſubolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarentur. Non potuit non Tiberius, ut qui male quæſitum imperium non niſi violentis artibus conſervare valuit, morte Agrippinæ & ſubolis imminens ſibi malum avertere. Tutiſſimum igitur eſt illud Q. Curtii præceptum, *obſequio mitigare imperia.*

Inferius majeſtate ſuâ rati ſi publicè lamentarentur.] Principes, tanquam minimùm fortunæ imperiis ſubjectos oſtentare ſe decet;&,ut quidam ait,non flere niſi hæc quinque: ruinam regni ſui, exiſtimationis famæque jacturam, populorum ſuorum egeſtatem & miſeriam,malorum proſperitatem, & denique ſapientum mortem.

Ne omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus falſi intelligerentur.] Veritas enim viſu & morâ, falſâ abſentiâ & ex longinquo valeſcunt.

Magnitudinem mali perferre viſu non toleravit.] Sæpè luxiſſe quorundam ſcelere peremptos, exitio fuit tam intempeſtivè piis,Dolor,caritas, omnis affectus abſcondendus. (*Tacit.* 13. *Annal.*) Prudentior itaque mater Antonia, quàm uxor Agrippina, *violenta luctu & neſcia tolerandi.*

Facilius crediderim, Tiberio & Auguſta, qui domo non excedebant, cohibitam: ut par mœror & matris exemplo avia

quo-

quoque & patruus attineri viderentur.] Ita ſemper ſocietate culpæ tutiores nos eſſe putamus. Quomodo Alexander cùm barbaram mulierem duxiſſet, & in cæteros quoq; Perſarum mores tranſiſſet, amicos etiam longam veſtem auream purpureamque ſumere juſſit, ut communi facto crimen levaretur. Voluit quoque Perſas & Macedones connubio copulari: hoc modo & pudorem victis & ſuperbiam victoribus detrahi dictitans. (*Iuſtin.* 12. *Q.Curt.* 8.)

Principes mortales, Remp. æternam eſſe] Bona verba! Ita ad ereptæ libertatis damnum etiam ludibrium plerumque adjungitur: jactantur plerumque à libertatis occupatoribus *ſpecioſa verbis, re inania aut ſubdola: quantoque majore libertatis imagine teguntur, tantò eruptura ad infenſius ſervitium* (Tac. 1. *annal.*) Auguſtus uſitata magiſtratuum appellatione contentus, & Tiberius ſuum regnum Rempub. vocare audet. Florentia, & Senæ pactâ libertatis incolumitate

mitate dominos acceperunt. Sed nec verum eſt,mortales eſſe Principes; illis præcipuè in regnis,ubi fortuna regnādi in una ſtirpe collocata eſt.Nā tunc prę- teritorum Regum reverentia adeò vivit in poſteris, ut vel cunæ puerorum in purpuram natorum tacitâ confeſſione ſortis noſtrę nos tangāt;nec iis parere indignemur,quos priuſquā lucē ſubeant,ſcimus naſci ut imperēt.Ut nō falſo quidā dixerit,Frâcię reges nō mori.

Nam vulgatum erat,miſſam à Cn. *Sentio famoſam veneficiis Martinam, ſubitâ morte Brundiſii extinctam &c.*] O quàm multa in aulis aliter geruntur, quàm in vulgi notitiam perveniunt! quot ſunt flagitia, quot ſcelera, quorum deinde probationes ſubvertuntur! Adulteria, veneficia, & infanda quæque parando aut firmando regno uſurpantur. Auguſtus cum Druſilla, Tertulla, Terentilla, Rufilla, Salvia Titiſcenia, & ut quidem ipſi M. Antonius objiciebat, omnibus conſvevit; quod amici ejus excuſabant,

bant, non libidine ſed ratione commiſſum: quò faciliùs conſilia adverſariorum per cujuſqve mulieres exqvireret. (*Tranquill. in Aug.* c. lxix.) Ælius Seianus cum Romano imperio flagitioſa ſpe, cui Druſus Tiberii F. obſtabat, inhiaret, Livillam Druſi uxorem, ut amore incenſus, adulterio pellexit: & poſtqvam primi flagitii potitus eſt, neqve fœmina amiſſâ pudicitiâ alia abnuerit, ad conjugii ſpem, conſortium regni & necem mariti impulit. Atqve illa venenum ei dedit, qvo paulatim irrepente, ut fortuitus morbus aſſimularetur, poſt aliqvot dies periit. (*Tac. 4. annal.*) Sabina Poppæa famæ nunqvam pepercit, maritos & adulteros non diſtingvens; neqve affectui ſuo aut alieno obnoxia unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinẽ transferebat. (*Tac. 13.*) Agrippina, quò Neroni filio imperiũ cõciliaret, Pallantem libertum flagrãtiſſimâ apud Claudium Imperatorem gratiâ ſtupro ſuo illigavit; decus, pudorem

cor-

corpus, cuncta regno viliora habens. (*Tac.* 12. *Annal.*) Claudium ipſum veneno ſuſtulit, audaciſſimo ſcelere. Delegerat venenorum artificem Locuſtam quandam, ***diu inter inſtrumenta regni habitam.*** Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus miniſter è ſpadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare guſtu ſolitus. Infuſum igitur delectabili boletorum cibo venenum. Sed cùm ſoluta alvus ſubveniſſe videretur, exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur, ſpreta præſentium invidia proviſam jam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet; qui tanquam niſus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus dimiſiſſe creditur: haut ignarus, ***ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.*** Vocabatur interim Senatus, votaque pro incolumitate Principis conſules, & ſacerdotes nuncupabant; cum jam exanimis veſtibus & fomentis obtegeretur, dum res firmando

Ne-

Neronis imperio componuntur. Jam primùm Agrippina velut dolore victa & ſolatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque & Octaviam ſorores ejus attinuit, & cunctos aditus cuſtodiis clauſerat, crebroque vulgabat, ire in melius valetudinem Principis: donec eadem fama & mortuum Claudium & Imperatorem Neronem tulit. O illuſtre ſcelus! Cui geminum, quo Britannicus ſublatus eſt. Venenum parari juſſerat Nero, miniſtro Pollione Julio prætoriæ cohortis tribuno, cujus curâ attinebatur damnata veneficii nomine Locuſta, quam diximus, multâ ſcelerũ famâ. Primum venenum Britannicus ab ipſis educatoribus (nam ut proximus quiſque neque fas neque fidem penſi haberet, olim proviſum erat) accepit; transmiſitque exſolutâ alvo parùm validum. Sed Nero lenti ſceleris

im-

impatiens, minitari tribuno, jubere ſupplicium veneficæ: qvod dum rumores reſpiciunt, dum parant defenſiones ſecuritatem morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem qvã ſi ferro urgeretur, cubiculum Cæſaris juxta decoqvitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Epulante igitur in Neronis conſpectu Britannico, qvia cibos potuſqve ejus delectus ex miniſtris guſtu explorabat, ne omitteretur inſtitutum, aut utriuſq; morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxio adhuc ac præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico. Dein, poſtqvam fervore aſpernabatur, frigidâ in aqvâ affunditur venenum; qvod ita cunctos ejus artus pervaſit, ut vox pariter ac vita ipſum linqveret. (*Tacit.* 13. *Annal.*) Deniq; Coſmus qvoqve Magnus Hetruriæ Dux Biagii venefici opera Julium Alexandri Ducis filium occidere voluiſſe à Cardinali Cibo inſimulatus eſt; qvanqvam Coſmus id crimen

men qvæſtione de Biagio habitâ, eoqve poſt ea dimiſſo purgaſſe viſus eſt. (*Io. Bapt.*Cin.2.*de vita* Coſm.) *Adeò maxima quæque ambigua ſunt; dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt & gliſcit utrũq; poſteritate.*

Piſo præmiſſo in urbem filio, datisque mandatis per quæ Principem molliret.] Contumaciæ ſpecies, non innocentiæ fiducia habetur, cum qvis irati Principis conſpectui nimis audacter ſe oggerit. Plerumq; etiam innocentes recenti invidiæ impares ſunt. Relinqvendum eſt rumoribus tempus, qvo ſeneſcant. (*Tac.*2.*Annal.*)

Ad Druſum pergit, quem haut fratris interitu trucem quam remoto æmulo æquiorem ſperabat] en qvomodo ſcelera ſoleat comitari ignorantia atq; imprudentia. Piſo ſcelere ſuo, ex qvo ſolus imperii hæres reſtabat Druſus, meruiſſe illius favorem ſibi videbatur; nec cogitabat miſer, graviorum facinorũ miniſtros

niſtros quaſi exprobantes adſpici: & Druſum, ſi maximè iſto ſcelere gauderet (quanquam fatres, dum uterque vixerat, egregiè concordes erant) debuiſſe omninò ulciſci tantam improbitatem: ſi non honore vel amore Germanici, ſaltem tradito Principibus more, *munimentum ad præſens, in poſterum ultionem* (*Tac.1.hiſt.*)

Exceptum comiter juvenem ſuetâ erga filios familiarum nobiles liberalitate auget] Conſtantiæ eſt, delatos apud ſe, ſed inter reos nondum adhuc receptos, non terribili vultu, aut verbis iracundis velut præjudicio damnare; ſed integrum ubique judicium oſtentare, & præ ſe ferre, malle falſa & inania, quorum quis inſimulatur.

Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminẽs, feſto ornatu, conviviumque & epulæ &c.] O quam verum eſt, quod Ammianus Marcellinus (*lib.* 14.) inquit, manum injectantibus fatis ſolere hebetari & obtundi ſenſus hominum.

Piſo

Piſo in Druſo, quem necis fraternæ vindicem metuere debebat, ſpem ſalutis ponit. Ecce unum cœci judicii ſpecimen. Idem delatus apud Principem, quod vulgus militum per licentiam corrupiſſet, in itinere crebrò ſe militibus qui ex Pannonia in urbem ibant, oſtentavit. En alterum. Mox Tiberi devectus navem tumulo Cæſarum, cui paulo ante Germanici reliquiæ illatæ erant, appulit. Ecce tertium! Denique die & ripâ frequenti, magno clientium agmine ipſe, fœminarum comitatu Plancina, & vultu alacres inceſſere. Erat quoque domus foro imminens, feſto ornatu conviviumque & epulæ, & celebritate loci nihil occultum. En quartum. Debebat Piſo, ut abſolveret Tiberium, ſaltem falſo metum fingere, vitataque hominum frequentiâ ſilentem mœſtamque ingredi domum. Nunc iſtâ pompâ, iſtâ alacritate, epularumque hilaritate, non criminis invidiam in Tiberium transferebat? non demonſtra-

bat,

bat, eſſe ſibi Auguſtæ conſcientiam, eſſe Cæſaris favorem, ſed in occulto ? & periiſſe Germanicum nullos jactantius mœrere, qvàm qvi maximè lætabantur ? Antonius Perezius, de qvo pòſt plura dicemus, nullâ magis re invidiam & Regis & judicum in ſe movit, qvàm qvòd qvanqvam reus, & inceſſu & veſte omniqve munditie confidentiam, adeoqve Regis in perpetrato facinore conſcientiam argueret.

Integramque cauſam ad Senatum remittit.] Prudenter! Non enim ut præmia, ſic pœnæ ab ipſo Principe irrogari debent. Magiſtratibus id invidioſum munus relinqvendum eſt. Ergo, ſi damnandus erat Piſo, à Senatu hoc fieri melius erat: ſi abſolvendus, itidem à Senatu: ne ſi à Principe; gratiæ id datum, & conſcientiæ ſceleris innexum homines putarent.

Populus plus ſibi in Principem occultæ vocis, aut ſuſpicacis ſilentii permiſit.] Unde apparet, non infimos tantum aut me-

mediocris conditionis homines, ſed Principes quoque, omneſque eorum actiones perpetuæ etiam viliſſimæ plebis cenſuræ, & ut nunc loquuntur, Syndicatui, ſubjectos eſſe. *Groſze Herren muſſen vil von ſich reden laſſen.* Sed benè habet, quòd, qui malè loquuntur, ſaltem malè facere nequeunt.

Patris ſui legatum atque amicum.] Notabile eſt hujus orationis artificium, quo Tiberius ſine miſeratione, ſine irâ æquabili temperamento cavebat, ne quo affectu perrumperetur.

Ipſa, donec mediæ Piſoni ſpes, ſociam ſe cujuſcunque fortunæ, & ſi ita ferret, comitem exitii promittebat. Vt ſecretis Auguſtæ precibus veniam obtinuit, paulatim ſegregari à marito, dividere defenſionem cœpit.] Quos idem metus, eademque jungit neceſſitas, in eoſdem fortunæ caſus conjurant: ſed ubi ſeparari cauſæ cœperunt, & uni mitioris fortunæ ſpes ſit; vix unquã tanta fides eſt, ut neglecta ſalute alieni exitii comes eſſe malit,

lit. Non defuere, qui credebant, Paullinam Senecæ uxorem, donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ cum marito mortis optaviſſe; deinde oblata benigniori ſpe blandimentis vitæ evictam (*Tacit. 15. annal.*) *Spes vitæ plerumque magnos animos infringit.* (*Tacit. 5. hiſt.*) *Das Leben iſt heylig.*

Audire me memini ex ſenioribus, viſum ſæpius inter manus Piſonis libellum, quem ipſe non vulgaverit; ſed amicos ejus dictitaſſe, literas Tiberii, & mandata in Germanicum continere: ac deſtinatum promere apud patres, Principemque arguere, ni eluſus à Sejano per vana promiſſa foret.] Vix credibile eſt. Tiberium poſt tantam rerum experientiam ſceleris mandata ſcripto Piſoni tradidiſſe; ſcilicet, quo olim coargueretur. Et tamen interdum vulpes quoque capiuntur. Certè Philippus II. Hiſpaniæ Rex codicillos ad Antonium Perezium ſcriptos non niſi multâ arte extorſit. Hiſtoriam quòd huic Piſoniano miniſterio ſimillima

lima eſt. Ex Thuano & ipſius Perezii *Relationibus* adſcribam. Annæ Mendozæ Cerdæ Roderici Gomezii Sylvæ viduæ, fœminæ pulcherrimæ, impotenti Rex amore flagrabat, & conſcium ejus Perezium fecerat: qui heri ſui indulgentia non benè uſus, dum Regis nomine ultrò citroque commeat; & ipſe eam deperire cœpit. Nec illa novum amatorem abnuere dicebatur. Incidit illud in tempus, quo Ioannes Eſcovedus Joannis Auſtrii conſilia in Belgio moderabatur. Is Eſcovedus in Conſalvi, Antonii patris, Perezii domo olim educatus, dein Roderici Gomezii Sylvæ commendatione ad opimiorem fortunam evectus cùm in Hiſpaniam ſub id veniſſet, & Antonium Perezium Joannis Auſtrii conſiliis ſummè adverſari ſciret, ut ei omnem gratiæ locum præcideret, ab injuriâ benè meriti de ſe viri occaſionem ſumpſit & de ejus & Annæ amoribus non bello ſermones ubique ſpargi ad Regem de-

 tulit.

tulit. Quod maximè Philippi animum pupugit, qui cùm Perezium rivalem ferre non poſſet, & alioqui Eſcovedi ſuſpectam fidem habens, quod Joannis auſtrii animum ad majora, quàm vellet, audenda inflammaret: alterum alterius ope de medio tollere apud ſe ſtatuit. Itaque cùm de Eſcovedo in arcano conſultaretur, facile ſibi à Perezio, qui conſilio intererat, perſuaderi paſſus eſt, ut Eſcovedus potius immiſſo percuſſore interficeretur, quàm ad Auſtrium in Belgium remitteretur. Verùm ut rei invidiam à ſe amoliretur, cædem exequendam ipſi Perezio commiſit. Qui, quod ſibi mandatum erat, tàm prompto animo perfecit, ut potiùs Annæ, ultione ardentis ob detectos Regi ſuos amores, deſiderio ſatisfeciſſe, quam, Regis voluntati obtemperaſſe videretur. Eſcovedo per ſicarium ſublato rivalis reſtabat; quem à vidua liberiſque Eſcovedi, nec non Annam in jus vocari, & utrumque cuſtodiæ injuriosè

rioſè mandari eò libentius Rex tulit, quòd omnem illius cædis invidiam in Perezium, qui impotenti feminæ ea in re morem geſſiſſet, derivari videret. Verùm cùm Philippum Perezius ſæpe per literas moneret, ut auctoritatem ſuam interponeret, neque ejus ratione, quod ipſius juſſu feciſſet, ſe vexari pateretur: ille codicillis crebrò miſſis bono animo eſſe juſſit, & negotium brevi ex animi ejus ſententia confectum iri pollicitus eſt. Quos omnes codicillos Regis ipſius manu exaratos diligenter ſervavit Perezius, & lõgo poſt tẽpore publicavit. Cùm igitur cuperet Rex rem tegi, auctor ei fuit, ut cum vidua liberiſq; Eſcovedi ageret, ut ab accuſatione deſiſterent, quod interventu Didaci Chavis, qui Regi à ſacris confeſſionibus erat, facile obtentum eſt. Poſt reconciliationem prima accuſatio aliquandiu quievit: & Perezius Mantuæ Carpetanorum domi ſuæ manere juſſus ablatis ſtipendiis & honorariis negotia

R 2 publi-

publica per amanuenſes ſuos, ut antea', toto ſexennio adminiſtravit, quo tempore elapſo omiſſâ priore accuſatione, cenſuræ dica Perezio intentatur: quòd ab Hetruriæ Magno Duce munus x cIↃ.aureorum accepiſſet: quòd cum Anna Mendoſa parùm honeſtè verſatus eſſet: quòd Joanni Auſtrio multa, quæ premi par erat ſcripſiſſet: quòd denique in epiſtolis, quæ ad Regem ignotis literis mittebantur, cùm eas interpretabatur, multa addere, multa detrahere ſolitus eſſet. Dum judicium peragitur, crebro ad eum Didacus Chaves ventitabat, & de ejus exitu ſecurum eſſe jubebat, tantum diligenter caveret, ne codicillos à Rege ſcriptos, quod facere poterat, ad exonerandum ſe proferret. Quod cùm ſedulo feciſſet Perezius, tandem ſententia in eum perſcribitur, qua tanquam criminum objectorum peracto reo lis æſtimabatur xxx cIↃ.aureorum: utque ab officio remotus biennium in carcere, eoque exacto,

acto, octennium procul aula ageret. Sed in arcano promiſſum eſt, ſi Regis codicillos redderet, ſententiam in irritum caſuram. Perezio autem recuſante reddere codicillos, lictores ad eum mittuntur, ut ſententiam executioni mandarent: à quibus ex templo, in quod confugerat, vi abſtractus & in Turneganam arcem truſus eſt: ubi totos tres menſes ferreis catenis vinctus admodum ſeverè à Turriano Aviła habitus eſt; donec literis ſanguine ſuo ſcriptis uxori mandavit, ut arculas & ſcripta ſecreta Barajæ Comiti ad id miſſo traderet. Sed priùs convenerat, ut codicilli, qui ad cauſam Perezii magis faciebant, ſeponerentur. Tamen quaſi Regi illa reſtitutione ſatisfactum eſſet, Perezius carcere ad tempus liberatus eſt. Sed cum denuò Eſcovedi vidua & liberi accuſationem omiſſam reſumpſiſſent; rurſus cauſa decimo, poſtquā cœperat, anno agitata eſt: cui & rurſus Chaves intervenit, reoque ſuaſit, ut cæ-

dem Eſcovedi fateretur; cæterùm cædis patrandæ cauſas non ediceret Perezius id regi invidioſum, cujus ratione cædis cauſas non aperiri cuncti procul dubio interpretarentur, ſibi verò periculoſum futurum reſpondit: ac potiùs videri, ut cum uxore ac heredibus defuncti pecuniâ data trãſigeretur. Quod & Regi placuit; ſive quòd revera tunc ita expedire cenſeret, ſive ut grandi pecuniâ exſolutâ tantundem homini ſibi inviſo incommodaret. nam xx.cIↄ.ducatorum in id depenſa ſunt. Tamen poſtea mutavit, & à Vaſco Præſide perſuaſus, ut judicium tranſactione finitum inſtauraretur, mandavit. Nam ad exiſtimationem ſuam pertinere, famâ cædis Eſcovedi, quaſi juſſu ſuo patratæ jam ubique ſparsâ, ut judicio publico invidiam ejus amoliretur. Sed cùm nihil fateretur Perezius, neque adduci poſſet, ut quicquam ad exonerandum ſe in Regem diceret, à Vaſco quæſtioni ſubjectus conſtantiam primò ſervavit,

vit, ſed cruciatibus ad extremū victus, rem,ut erat,confeſſus eſt,codicillorum exempla protulit, quibus confeſſiones ſuas firmabat. Cùm igitur Perezius ſe ad exitium peti videret, contrà quàm illi initio àRege miniſtriſque ejus promiſſum fuerat; de cuſtodibus fallendis cogitare cœpit: & ope uxoris ac Ægidii Meſæ Aragonii per diſpoſitos equos in Aragoniam transfugit: xxx. leucas, ut erat adhuc à tormentis debilis, uno die emenſus. Inde in Franciam, ubi non ante multos annos mortuus eſt, tranſiit, Hæc ita ex Thuani hiſtoria & ipſius Antonii Perezii Relationibus narravit. Sed, ut, quod ſentio, dicam; mihi in iſta narratione quædam parùm veriſimilia videntur; quæ nunc non excutio.

Et cùm accuſatores ac teſtes certatim perorarent, reſpondente nullo, miſeratio quàm invidia augebatur.] Ut felicitas & proſpera fortuna invidiam, ſic miſeria condolentiam generat. Et hinc

interdum plùs inimicorum perſecutione, quam amicorum auxilio juvamur. *Nihil*, ait alicubi Tacitus, *æquè reo profuit quàm potentia accuſatoris.* & hoc libro; *Quirinus poſt dictum repudium adhuc infenſus, quamvis infami ac nocenti miſerationem addiderat.* Livia Auguſta, cum florentes privignos per occultum ſubvertiſſet, miſericordiam erga afflictos palam oſtentabat. (*Tac. 4. annal.*)

Pudore abſoluta Plancina placabilior.] nunquam faciliores homines ſunt, placabilioreſque, quàm poſt gravem aliquem errorem commiſſum; quem invidiæ molliendæ cauſa aliis honeſtè factis, aut emendare aut tegere laborant.

Mihi quantò plura recentium ſeu veterum revolvo, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obverſantur.] Mihi quoque ſæpè animum ſubit mirari caſus humanos & prudentię noſtræ incertitudinem, cum rerum geſtarum monumenta volventi, & quotidiana rerum mortalium ludibria conſideranti

ranti haut rarò occurrunt conſilia, quæ cùm imminenti malo averruncando facere deberent, noxia maximè, & accelerandæ ruinæ fuerunt; non ſecus ac in humano corpore medicamentum uni parti adhibitum pernicioſiores ſæpe majoriſque periculi morbos in aliis partibus efficit. Ex diverſo videmus, alios intempeſtiva temeritate vel inſcitiâ ſubdente calcaria periculis ſe immiſiſſe, auſos, aggreſſos, viciſſe, triumphaſſe: & fortunam temeritatemque feliciùs judicaſſe, quàm inter momenta prudentiæ incertam laborantemque ſolertiam Alexandri Magni bellica facinora pleraque quid aliud fuerunt, quàm felix temeritas, & fortunæ indulgentia? In quo ego à magno Philoſopho (*Plutarch. in lib de fort. Alex & lib. de virt. & fort. Alex.*) diſſentio. Jam in Romana Repub. terminorum pugna quid aliud fuit, quàm alea imperii quâ omnia dabant in unum jactum, & paucis viris poteſtatem faciebant perdendi omnia,

quæ majores ſui pepererant? Sed fortuna pro Romanis pugnavit. Polybius hos tales homines, quibus inter perpetua fortunæ obſequia omnia ſuccedũt: aliquid homine majus eſſe dicit; divinos, admirandos, & Deorum amicos. (*Polyb.* 10.) Quomodo Cerialis à Tacito (5. *hiſt.*) *ſubitus conſilio, ſed eventu clarus* dicitur; *cui adfuerit fortuna, etiam ubi artes defuiſſent.* Joannes quoque Bentivolus præcipuum immeritæ felicitatis exemplum eſt. Is quadraginta annos, quibus Bononiam tenuit, nunquam cujuſquam ex ſuis obitum luxit: Semper cum ipſe tùm filii militiæ honoratæ ſtipendiis & maximis honoribus ab omnibus Italiæ Principibus affecti: omnibus rebus, ex quibus ſibi periculum imminere videbatur, feliciſſimè ſe expedivit. Et hanc tamen felicitatem in ſolidum fortunæ debebat; cũ communi omnium judicio nec ingenii, nec prudentiæ, nec fortitudinis aliqua laude inſignis eſſe. (*Guicciard.* 7.) Ex con-

contrario, exempla etiam ſunt infauſtæ prudentiæ, & quam ſæpius ſuperior aliqua vis infeſtiſſima pertinacia urſit, aut evertit. Sunt homines, qui tanquam *fugitivi Dei* & terram & aërem, & mare, omniaque elementa adverſa ſibi experiuntur. *(Niceph. Gregor. 7. hiſt. ubi omninò vide)* Hannibalem vide, illum, cui ego juſtius, quàm Ulyſſi Homerus Palladem conciliatricem & individuam comitem addidero. Is poſt Cannenſem pugnam dominabatur, in Italia nec quicquam ferè niſi Roma reſtabat. Percuſſerat fœdus cum Philippo Macedonum Rege. Aſdrubal frater cū valido exercitu jam ſuperaverat Alpes, in Italia erat. Quis non actum eſſe diceret de Romanis toties victis? Sed infra Deum prudentia fuit, qui omnia cogitata, conſulta, facta contra Carthaginem torſit. (*Liv. Flor. Polyb.*) Quin & interdum unum factum, idemque conſilium huic ſalutem, honorem, opes, alii exitium peperit: planè,

 ut

ut qui magnorum hominum cenſores ſe faciunt, plerumq; ex ſolo eventu famam & infamiam, temeritatis & fortitudinis nomina dividant. Tiberius & Cajus Gracchi fratres, quod inconſultâ temeritate populi gratiam conſectabantur, merito optimatum conjuratione ſublati dicuntur. Cajus Cæſar quod popularitate & largitionibus vulgo acceptus ad ſummam potentiam pervenit, fortis ſapientiæ vir prædicatur. Alexander Magnus in milites ſeditioſos ſive conſilio, ſive iracundiâ ferox proſiliit, & qui loquenti pervicaciſſimè obſtrepuerant, ad ſupplicium ipſe rapuit; eadem majeſtate in plectendis tutus, quâ in mulcendis non fuerat. Ex conſternatione militum minas ponentium hoc conſilium in virtutis famam ivit. Galba autem Imperator, dum compeſcere milites ſtudet, in medio foro confectus eſt: temerarius igitur audit, quòd ſe furentium multitudini immiſerit.

Igitur quò intentiùs, quæ dixi, reco-

lo;

lo; eò firmior ſe animo meo inſinuat ſententia: eſſe fatum,& numen,& ſanctam Immortalis Dei curam: quâ per cauſas medias,variè nexas, omnia temperantur, ſuaviter,ſapienter,utiliter. Vt non immunis ab impietatis crimine illorum mihi videatur opinio,qui exploſâ omni fatorum & fortunæ poteſtate, ingenio, prudentiæ, humaniſque artibus nihil non tribuunt. Quomodo Carolus Audax Burgundiæ Dux omnem ſuam felicitatem prudentiæ & virtuti ſuæ adſcribebat; quâ arrogantiâ illum Numinis iram concitaſſe,ſapientiſſimè judicat in Hiſtoriâ Cominæus. Et Ludovicus Sfortia tantum ſapientiæ ſuæ tribuebat, ut alios celebrari indigniſſimè ferret: ſuis artibus hominum mentes,quocunque vellet,impelli poſſe,ſibi perſvadens. Sed in carcere anguſto, & cogitationum ſuarum vaſtitatem,& ipſam denique vitam claudere coactus eſt. Impiè igitur N. M. fatum flumini receptis imbribus ſuperbè decurrenti &ob-

&obvia quæque ſternenti comparat: cujus vis ut vallis aggeribuſque coerceri poteſt, ita hominum conſilia fortunæ fatoque, hoc eſt, ipſius Dei decretis obſiſtere poſſe Fluminum impetum apertis campis valere, & fata virtute cōſilioque deſtitutos tantùm populos urgere. Impia ſententia! Fatum eſt, quod de quoque noſtrûm fatus eſt Deus. Ergo, quod juſſit Deus, quod conſtituit, quod ratum eſſe voluit, noſtris conſiliis impediri poteſt? mutari poteſt? verti poteſt? Minimè quidem: aut ſi impediri, mutari, verti poteſt, non erat fatum, non decretum Dei, nec enim jubet Deus aut decernit, ut fiat, quod non fit. Ergò conſilia, actioneſqve noſtræ divinâ inferiores ſapientiâ certis limitibus velut alveis includuntur, intra qvos fluant. Non fata noſtris conſiliis, ſed noſtra conſilia fato reguntur. Qvis enim qvæſo, ita hominum conſilia ludit? qvis in contrarium torquet? unde mirabiles rerum, & plerumqve con-

contra conſulta eventus? Unde inopinata illa, qvæ actionibus hominum aut rarò inexſpectatiſſima interveniunt? quæ ſtupemus, quæ occulto qvodam & religioſo horrore nos perfundunt. Unde deniqve è contrario felix multorum temeritas (ſi tamen temeritas eſt, iſta cui ſuperi ita favent fortunata audacia) & beata imprudentia & perpetuus fortunæ famulatus? Deus eſt ille Optimus, ille Maximus, qvi non poſtqvam terras & ſydera fecit, creatorum curam omiſit; ſed arbiter eſt ac rector omnium: qvæ gaudet & amat interdum præter opinionem (non enim præter rationem) accidentibus regere & vel ſic oſtendere vim illam omnia gubernantem ac moventem. Aurea Cambyſis apud Xenophontem ſententia eſt: *humana ſapientia nihilo certius, quod optimum eſt, deligit, quam qui hoc agit, quod incerta ſors obtulerit. Verùm Dii immortales omnia norunt, & præterita & præſentia, & quis ſingulo-*

rum

rum ſit exitus. Et illa Nicephori Gregoræ, (qui mihi vel ob id ſolum cariſſimus & gratiſſimus auctor eſt, quòd pleroſque eventus ad primam illam cauſam refert. (4. *hiſt.*) *Abſtruſus quidam error eſt humanæ prudentiæ inſultans, ſurſum & deorſum trahens omne conſiliorum ſtudium, & veluti teſſeras evertens firmis decretis nixas deliberatione.* Neque verò iſta noſtra opinio Stoicam in Naturalibus hominis actionib. neceſſitatem adſtruit, aut liberum in profanis negotiis arbitrium infringit. Conſultat enim homo, agitque ex naturæ ſuæ viribus; ſed conſiliis & actionibus hominis ſupernè imminet inſpector Deus, qui per illas ſecundas cauſas (nec ſanè ſine illis; quippe non ignavis, ſed agentibus, omniaque tentantibus, annuente Deo, cuncta proſperè ſuccedunt (ipſe prima rerum omnium Cauſa omnia flectit, torquet, dirigit ad eventum ſibi placitum. *Cœptorum eventus ſuperæ ſibi vindicant poteſtates.* (*Ammian.* 25.) *Divina Ne-*

Nemeſis ex abdita quadam æternitate omnia deſpectat terrena. Hæc ut regina cauſarum & arbitra rerum, hæc diſceptatrix urnam ſortium temperat, accedentium vices alternans: voluntatumque noſtrarum exorſa interdum alio, quàm quo contendebant, exitu terminans multiplices actus permutando convolvit. (*Ammian. 14.*) Et quòd ipſe M. fatetur, conſilia, niſi in occaſiones & felicia tempora inciderint, exitu deſtitui, quid aliud eſt, quàm conſilia à Deo & fortuna regi? Unde enim occaſiones, unde tempora expediendis conſiliis apta, niſi à fortuna. Fortunâ autem non eam intelligo, quâ appellatur, quicquid incertum eſt; quam ideò cœcam deam, quâm levem fingunt; ſed ſummam illam Mentem; quæ omnia ſuo arbitrio conſtituit, quæ naturam condidit, quæ rebus cauſas dedit, easque perpetuò abditiſſimâ ratione propagat, & eventibus donat ſtatis certisque, etſi humanis mentibus incognitis. Neque enim ſi ignorant in me-

media tempeſtate nautæ, qvis finis fluctibus, qvis exitus vēto, ideò Deo certum non eſt, ſolvenda ratis ſit an ſervanda. Denique quòd bonis conſiliis & fortibus viris ſtare dicuntur & florere regna, negari quidem non poteſt; ſed hæc ipſa bona non aliis contingunt, quàm quos fortuna magnis rebus & fatalibus incrementis deſtinavit. Cæteris quorum vult vertere aut evertere ſtatū, eadem ſubtrahit. *Manum injectantibus fatis ſolent hebetari ſenſus hominum & obtundi.* (*Amm. Marcell* 14.) Plura poſſē exempla proferre. Sed unum erit pro omnibus. Cum urgentibus fatis Roma à Gallis capienda eſſet, primam bello cauſam tres Fabii dederunt: qui cum de pace inter Cluſinos & Gallos acturi à Senatu miſſi eſſent, contra jus gentium pro Cluſinis contra Gallos prœlio decertarunt. Porrò, quò minus impedimenti Gallis objiceretur, jam ante Furium Camillum, tantum imperatorem populus Romanus fatali furore in exilium

lium Ardeam depulerat. Advenietibus Gallis civitas, qvæ ſæpius adverſus Fidenatem & Vejentem, minores hoſtes, Dictatorem creaverat, extremis urgentibus periculis id neglexit. Fabii, quorum temeritate bellum contractũ erat, ſummæ rerum præerant: qvi tumultuario exercitu raptim ductu ad undecimum lapidem hoſti occurrentes; non loco caſtris capto, non præmunito vallo, non Deorum ſaltem memores, auſpicato inſtruunt aciem: &, ut ſum̃atim dicam, nec milites nec imperatores faciebant, qvæ ex diſciplina Romana eſſent. Cùm pugnandum eſſet, penè prius fugerunt, qvam vidiſſent, hoſtem integri, intactiqve. Maxima pars ex fuga Vejos pervenere: unde ne nũciũ qvidõ cladis Romam miſêre. Qvi Romam elapſi ſunt, ne quidem clauſis urbis portis in arcem refugerunt. Qvis non miretur nunc, populum Romanum optimis legibus, & acerrima militari diſciplina inſtitutũ tàm turpiter ſui ob-

oblitum? Ut ſi quis animo comprehendat, res ab ipſo antè præclarè geſtas; non ab eodem populo, ſed alio hæc adverſus Gallos facta credere poſſit. Repeto Ammiani effatum: eoque conſigno hunc locum; *manum injectantibus fatis ſolent hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Nemo igitur ſuæ nimium fidat prudéntiæ.

Famâ, ſpe, veneratione potiùs omnes deſtinabantur imperio, quàm quem futurum P*rincipem fortuna in occulto tenebat.*] Simile modo quodam eſt, quod veluti miraculum in Philippi II. Hiſpaniarum Regis in Luſitaniæ regnum ſucceſſione ſtupemus. Emanuel Rex tres uxores duxerat, & ex omnibus liberos ſuſtulerat. Ex prima Michaëlem, qui ſi vixiſſet, certus hæres omnium iſtorum regnorum erat, quæ nunc Hiſpaniarum Rex tenet: ſed is obiit puer. Ex ſecunda ſex maſculos, duas filias genuit. E tertiis nuptiis filium filiamque ſuſtulit. An non fundata videbatur hæc do-

domus in tot regni fulcris? Jam ad liberos iſtorum ſi venias, quanta ſeries? Viginti duo erant, qui Philippum antebant, & ſucceſſione legitimè arcebant. Sed omnes illi præmortui ſunt, ut facerent unum totius Hiſpaniæ caput. (*I. Lipſius in monit. & ex. pol.*)

Decumum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſte negat.) de illo decumandi more Tacitus quoque meminit, libro quarto & decimo annalium. Ratio ſeveri illius juris eſt, *quod habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* (*Tacit. lib. 4. annal.*) Sed iſtam politicam, credo non agnoſcet mitis magiſter ac dominus noſter Jesus Christus.

Quæſitumque per Chaldæos in domum Cæſaris.] v. notas ad lib. ſuperiorem, verb. *juvenem improvidum &c.*

Neque enim ceſſurum niſi damnandi officio.] Alicubi notavimns: ut à Principum manu præmia, ſic à magiſtratibus

bus pœnas diſtribuendas eſſe. Non igitur malè fecerat Tiberius, qvi nolebat filium judicio, qvo certa videbatur rei condemnatio, primũ ſententiã dicere.

Eximit etiam Druſum conſulem deſignatum dicenda primo loco ſententia.] v. notas ad lib. I. verb. *quo loco cenſebis, Cæſar?*

Sibi tamen adverſus eum integras parentis ſui offenſiones: neq; reditu Silani diſſoluta, quæ Auguſtus voluiſſet.] Ex qvo apparet, rarò Principes, etſi pœnam remittant, culpæ etiam obliviſci.

Pœna poteſt demi; culpa perennis erit. Ov.

Qvod vel maximè in delictis qvæ in Principis majeſtatem peccant verum eſt. Qvippe nec pœnitentiâ culpa diluitur, nec pœna unqvam remittitur; & cùm ſemper difficilè ſit, antiqvarum inimicitiarum fidam ſtabilire reconciliationem; (ſiqvidem eam impediri neceſſe eſt aut ſuſpicione, aut vindictæ cupidine) ita ſtolidiſſimus eſt, & parum ſalutis ſuæ amans; qvi cùm in Prin-

Principem ſuum nefaria eſt molitus, in gratiam poſt receptus ſinceram credit reconciliationem, qvæ plerumqve ſimulata eſſe ſolet. Inde Leo X. Pontifex Hiſpaniæ Regis oratori pro Alfonſo Petrucio Cardinali, qvi inſidias vitæ Pontificis ſtruxerat, ſed pòſt acceptâ ſecuritatis fide Romam venerat, datam fidem imploranti reſpondit; nullam fidem qvantumvis ampliſſimam, & *munitam clauſulis fortibus & ſpecialibus* porrigi ad ſecuritatem delicti contra vitam Pontificis maximi commiſſi. Igitur Alfonſus noctu in carcere ſtrangulatus fuit. Hadriano & Franciſco Soderino Cardinalibus conſciis illius ſceleris qvamvis ignovorat Pontifex tamen uterq; diffiſus reconciliationi Româ abierunt. Et Soderinus qvidem Fũdis uſq; ad Leonis exceſſum occultus delituit. Hadrianus clam urbe excedens poſt illũ diem neq; viſus cuiqvã mortalium, neq; qvid illo factum fuerit, cognitum eſt. (*Guicc.* 13.) Nimirum

cum

cum nihil turpius, ſit, &magis deteſtandum, quàm patriæ ſolum teri ſceleſtis veſtigiis illius, qui ſcelus anhelans peſtem ejus meditatus eſt; minore utiqve flagitio putant ſe Principes negligere promiſſorum fidem, quàm juſtitiam depoſcentem invictimam tale devotum caput. Sed hæc ratio ſatisne firma ſit, ob quam fidem ſuam & jurisjurandi religionem poſthabeant Principes, alii viderint. Mihi certè potiùs juris quadam ſubtilitate, quàm bono & æquo niti videtur. Verùm, ut dixi, ea Principes opinio tenet, ut non putent teneri ſe ullo fidei vinculo. Et inde Trajanus Boccalinus. (*Cent.2.c.*11.) ait non inveniri Principem tàm inſigni clementia, quæ rebellionum nefas oblivifci poſſit. Majeſtatis crimen eſſe peccatum, cujus pœnitentia recipiatur nulla, cujus pœna remittatur nunquam, cujus infamia durat æternum. Nec dedecus æſtimari, vindicare rebellionem, cui ſemel ignoverint Reges, ſed ſummum honorem,

ſed

ſed obligationem ſtrictiſſimam, quam dignitati ſuæ debent. Et alibi; quæ offenſarum oblivio inſignem reddit Principem perenni clementiæ & benignitatis laude, eam demum veram fidamque eſſe; fictam contrà, quæ Principi ignaviam & injuſtitiam quotidiè exprobrare videtur.

Relatum deinde de moderandâ Papiâ Poppaâ, quam ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis & augendo ærario ſanxerat]Papiæ legis capita Juſtus Lipſius in commentariis ad Tacitum, hoc loco, & Jacobus Cujacius in paratitlis Codicis Juſtinianei ad titulum, de caducis tollendis, referunt. Etiam Franciſcus Balduinus ad legem Papiam ſingularem tractationem edidit. Nobis quibus intra politices ſepta manendum, ſola legis ratio notanda eſt: quæ duplex, Prima, ut bellis civilibus amiſſo incredibili civium numero, qui ſupererãt, liberis procreandis & ampliando civibus imperio operam da-

 rent;

rent; lege Papiâ propoſitæ ſunt pœnæ his qui cœlibes eſſent, ne hereditates aut legata caperent, niſi intra dies C. à morte teſtatoris nuptias facerent. Tanta enim erat civium penuria, ut Conſules ipſi Pappius, & Poppæus cœlibes & orbi eſſent, non inventis maritis aut patribus idoneis, qui eis anteponerentur. (*Dio Caſſ.* 56.) Nam in honoribus adipiſcendis, ut, Dio Caſſius tradit (*lib.* 53.) patres orbos, mariti cœlibes excludebant. Altera legis ratio, propoſitarumque cœlibib. & orbis pœnarum eſt, ut ærarium, quod tot bellis exhauſtum erat, repleretur. Lata igitur lex eſt, ut & imperium hominibus & ærarium pecunia abundaret. Valuit autem ad Severi Imperatoris ævum, qui non abrogavit quidem, ſed imminuit: ſicut ex Tertulliano demonſtrat Lipſius. Conſtantinus deinde cœlibatus pœnas omnino ſuſtulit: cujus tamen conſtitutio in Juſtiniani Codice non extat. Sed ejus meminerunt Euſebius in

vita

vita Conſtantini Magni & Sozomenus lib. 1. & ex recentioribus Franciſcus Balduinus libro ſecundo commentariorum de legibus Conſtantini Magni.

Multitudo periclitantium gliſcebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus ſubverteretur] ſic paulò inferiùs: *ſed altiùs penetrabant*: (delatores) *urbemque & Italiam quod uſquam civium corripuerant multorumque exciſi ſtatus, & terror omnibus intentabatur.* Et Plinius in Panegyrico ad Trajanum: vidimus delatorum indiciũ quaſi graſſatorum, quaſi latronum. Non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant: nulla jam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia &c. Quæ addenda ſunt illis, quibus graphicè, opinor, & vivis coloribus, delatorum improbitatem, & Principum ſive avaritiam ſive ſocordiam depinximus ſuprà ad librum primum.

Nulla adhuc mala libidine] ita Ovidius(1. *Metam.*)

Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.
Nullus erat juſtis reddere jura labor.

Provenere dominationes.] Quibus in ſcholis otium eſt, inquirunt, quæ prima omnium cauſa fuerit, quæ diſperſos vagoſque mortales in unum coëgerit. Ignem alius, alius neceſſitatem metumque aut ſapientum eloquentiam, vel denique naturam ſocietatis appetentem collegiſſe homines ajunt. Et qui imperiorum originem à vi & injuriis potentiorum deduxit, à pleriſque vapulat. Injuriâ quidem, ut ego opinor. Neque enim ille homines vi coactos in unum conveniſſe ait; ſed cùm illi ita collecti æquali jure agerent, ambitione potentiorum dominationem ſubiiſſe. Quæ ſententia Taciti quoque eſt hoc loco affirmantis: poſtquam exui æqualitas & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat proveniſſe dominationes.

tiones. Et certè, ubi per ſpecies iverimus, regnorumque præcipuorum ortus & incrementa viderimus; fraudem & vim & multis latrocinia potentiæ initia fuiſſe apparebit. Primus in orbe dominantium Nembrotus, *fortis coram domino venator*, vi ignotam ante illa tempora mortalibus dominationem introduxit, ut minimè infacetè ipſum Politicorum patrem vocet Laurentius Pignorius V. Cl. in commentario de ſervorum miniſteriis. Secuti Ninus & Semiramis armis imperium propagaverunt. Ab Aſſyriis ad Perſas Cyrus avo ereptum imperium haut ſanè juſto titulo tranſtulit. Et Alexander Magnus petiti bello orbis terrarum quam cauſam habuit, niſi immenſam dominandi libidinem? Quid de cæteris interim hinc inde, quorum aliquod in hiſtoria nomen eſt, regnis aut Rebuſpub. dicā? De Athenienſibus Thucydides ſcribit, (*lib.* I.) libere profeſſos, non ſe alias actorum ſuorum defenſiones quærere,

quàm quòd ſciant, ſemper moris fuiſſe, inferiorem à ſuperiore premi: & neminem unquam tanti æquitatem feciſſe, ut ejus cauſa occaſionem extendendi imperii, è manib. dimiſerit. Iterum affirmarunt, Deos ſe ſecundum leges colere: in cæteris vivere omnium mortalium ingenio; ut quibus prævalent, imperio premant: eam legē neque ſe primos tuliſſe, neque latâ primos uſos eſſe: ſed jam ante omnium populorum uſu comprobatam accepiſſe. (*Thucyd.* 5.) Lyſandrum dicere ſolitum referunt, veritatem quidem mendacio meliorem eſſe, ſed utriuſque tamen pretium uſu definiri; ideoque pueros quidem talis, viros autem jurejurando ludere. Et Ageſilaus dixiſſe fertur, juſtum eſſe, quodcunque Spartæ prodeſſet, hinc illud Euripidis in Androm.

ἔνοικοι Σπάρτης δόλια βουλευτήρια
Habitatores Spartæ doloſus Senatus.

Menno Theſſalus ad ea quæ vellet effi-

efficienda viam maximè compendiariam arbitrabatur, pejerare, mentiri, fallere. Simplicitatem & candorem pro ſtupore habebat. Perjuros, injuſtos, ſui ſimiles ut iiſdem artibus munitos verebatur: juſtos bonoſque contemnebat. (*Xenoph. 2. de exped. Cyr.*) Theſſalorum perfidia proverbio notata eſt; ut ex Suida obſervat libro ſecundo, de juramento. cap. 14. Thomas Dempſterus. Jam ſi de Romanis ferenda ſententia eſt, nihil apertius eſt, quàm, ſi juſtitiam illi curaſſent, etiam, ubi illa utilitate carebat, lupercal manſuram illam, quæ tantoperè celebrata eſt, æternam urbem. C. Cæſar apud Dionem Caſſium (*lib. 38. hiſt.*) teſtatur, Romanos in eam magnitudinem, qua illa tempeſtate erat, ædificaſſe urbem ſuam fortunas ſuas tanquam alienam periculis objectando, alienas tanquam ſuas uſurpando. Et M. Tullius (3. *de Rep.*) gloriatur, populum Romanum ſociis defendendis ad ſummum potentiæ cacumen

 eniſum;

eniſum; quibus interdum commodi ſui cauſa, quàm fœderis, auxilia ferebant, eaque lentè & tardè, ut aut ſe ſuaque dederent (quod campani bello Samnitico coacti fecerunt) aut, ſi potẽtes eſſent, cladibus attererentur. Socios promptè recipiebant eos, quorum ſitus ad res novas, & motus opportunus erat; & quoſdam non tam ob ſupplicum preces, quàm quòd occaſio offerebatur laceſſendi & invadendi alios, in quos cauſæ belli quærebantur, quorumque nullæ aliàs in ſe injuriæ extarent. Poſtquam armis ſociorum ſuam auxere potentiam, tandem ipſos ſocios, qui tùm demum ſerò nimis ſervitutem, in quam lapſi erant, animadverterunt, non ut fœdere junctos, ſed ut dedititios tractare cœperunt. Quod autem Camillorum, Fabriciorum, Scipionum aliorumque nomina ob tantopere fidem celebrata legimus; dicendum eſt, ex ſuo, non urbis ingenio bella geſſiſſe, & Remp. adminiſtraſſe. Nec in ipſorum,

rum, ſed totius populi manu rei Romanæ ſumma ſita erat; quod ex eo conſtat, qvod apud Livium libro tertio refertur. Aricini atqve Ardeates de ambiguo agro cum ſæpe bello certaſſent, multis invicem cladibus feſſi, judicem populum Romanum cepêre. Cum ad cauſam orandam veniſſent, concilio populi à magiſtratibus dato, magnâ contentione actum. Jamqve editis teſtibus, cùm tribus vocari, & populum inire ſuffragium oporteret, conſurgit P. Scaptius de plebe, magno natu: & ſi licet, inquit, Conſules, de rep. dicere, errare ego populum in hac cauſa non patiar. Cùm ut vanum eum negarent conſules audiendum eſſe, tribunos appellat; qvi dedêre cupidæ audiendi plebi, ut qvæ vellet Scaptius diceret. Ibi infit, annum ſe tertium & octogeſimum agere, & in eo agro, de qvo agitur, militaſſe, cum ad Coriolos ſit bellatum, agrum de qvo agitur finium Coriolanorum fuiſſe, captiſqve Coriolis

S 5 jure

jure belli publicum populi Romani factum. Conſules cùm Scaptium non ſilentio modò ſed cum aſſenſu etiam audiri animadvertiſſent; deos homineſq; teſtantes flagitium ingens fieri patres accerſunt : cum his, circumire tribunos, ne peſſimum facinus priore exemplo admitterent, judices in ſuam rem litem vertendo, ſed plus cupiditas & author cupiditatis Scaptius valuit. Vocatæ tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani eſſe. Cyprum Ægypti Regibus P. Clodius Romanus juvenis ademit, non genere, quàm audaciâ & expulſi Ciceronis invidiâ nobilior. Is captus à piratis pretium ad ſe redimendum à Ptolomæo petiit, quod illiberaliter miſſū prædones ipſi aſpernati, Clodium gratuitò dimiſerunt; iratum regi, à quo tàm parvo æſtimatum ſe querebatur. Creatus Romæ tribunus plebis legem pertulit, quâ Cyprus Romani populi provincia eſſe jubebatur. Et continuo miſſus eſt in inſulā M. Cato,

to,qui eam ordinaret, atque Romam aſportaret regios theſauros: qui tantæ opulentiæ fuiſſe dicuntur,ut eorum fama domini rerum populi cupiditatem ſolicitare potuerit. Rex accepto injurię nuncio,indignatus tantum uni in ſe civi licuiſſe, mortem ſibi conſcivit. (v. *Plut.inCat,min.*) Placet Ammiani Marcellini de hac Cypri occupatione verba adſcribere: *nec pigebit avidè magis hanc inſulam populum Romanum invaſiſſe,quam juſtè. Ptolomæo enim rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias juſſo ſine ulla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta eſt, & velut hoſtiles ejus exuviæ claſſi impoſitæ, in urbem advectæ ſunt per* Catonem, (*Ammian.*) Ex quo apparet fruſtrà & falſò foris juſtum imperium, & domi æquitatem in ſuis Romanis laudare Saluſtium:inſcios deniqve eſſe veterum monimentorum,qui tanquam ſumma ubique antiquis fidei, juſtique & æqui religio fue-

 rit,

rit,dolos omnes & fraudes & perfidiam hujus aut ſuperioris ſeculi inventum imperitè arbitrantur. Tam enim non ſunt nova, quæ impius N. M. dominandi arcana ſceleſtaſque artes notavit,quam non eſt, eſſe homines bonos &malos.Non dicam uſurpata duntaxat veteribus,quæ nos inventa N.M. vocamus(id enim ex ſuperioribus manifeſtum eſt)ſed probata etiam, & à maximis viris defenſa. C. Marius Capſam validum Numidiæ oppidum deditione ceperat, cæterùm oppidum incenſum,Numidæ puberes interfecti, alii omnes venum dati, præda militibus diviſa. Id facinus contra jus belli admiſſum Saluſtius (*in Iugurth.*) fatetur, ſed idem defendit;quia locus Iugurthæ opportunus,Romanis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum,antè neque beneficio neque metu coërcendum fuerit. Quid autem hoc aliud eſt,quàm dicere,turpe factum,ſed utile? Saxonum, quo tempore cum Romanis

manis bella gerebant, legati, pactis tandem cum Valentiniano & Valente Impp. induciis, domum abeuntes ex inſidiis ad unum omnes cæſi ſunt. Funeſtum ſcelus! ſed quod tamen defenſorem invenit egregium & ſapientiſſimum ſcriptorem Ammianum Marcellum, cujus hæc libro octavo & viceſimo leguntur verba: *ac licet juſtus quidem arbiter factum incuſabit perfidum ac deforme: penſatô tamen negotiô non feret indignè manum latronum exitialem tandem copiâ datâ comptam.* Et libro triceſimo malè fidum quidem ſed utile commentum vocat hoc factum, idem libro ultimo, facimus illud, quo Gothi antea ſuſcepti diſperſique per varias civitates & caſtra, univerſi tanquam vexillo erecto, uno eodemque die expectatione promiſſi ſtipendii ſecuri ad ſuburbana producti occiſi ſunt, prudens conſilium & ſalutarem efficaciam appellat. Cornelii Taciti noſtri annales & hiſtorias quis non æſtimat? illum omnes ha-

habent pro doctore Principum, pro aulicorum pædagogo, hiſtoricorum anteſignano, prudentiæ parte, oraculo civilis diſciplinæ, coriphæo politicorum. Et tamen quâ aliâ re inſignior eſt ejus hiſtoria, quàm ſimulationibus & diſſimulationibus, fraudibus, veteratoriis artibus, quibus olim & nunc inſtrumentis regnandi Principes utuntur? quid freqventius in eadem hiſtoria, qvàm libertorum potentia atque impotentia, adulatorum flagitium, ſimiliaqve portenta, qvibus atria principum aulæqve non ſecus ac ridicula Ægyptiorum ſacra (*v. V. Cl. Laurent. Pignorium, in admiranda tabula Iſiaca explicatione*) crocodilis, ibibus, & cercopithecis refertæ ſunt? Conſpirationes præterea, proditiones, univerſumqve flagitiorum ac ſcelerum genus ita tradit, ut vivis coloribus depinxiſſe videatur. Conſtat igitur hinc, vano labore defungi, qvi Græcorum Romanorumq; bella cæteraqve geſta ad æqvi ju-

juſtiqve regulas exigere ſolent. Tantū autem abeſt, ut noſtrum ſeculum, noſtrosqve mores excuſare velim, ut, ſi licet, liberè profitear, callidos dolos, & reliqva perfidioſæ politicæ capita, qvantumvis publicè damnata ſint, re tamen vera eſſe argumentum, & caput & caudam totius ſcenæ aulicæ. Qvalia enim, obſecro, ſunt qvædam multis Principibus uſurpata imperiorum ſophiſmata? Tacito dominationis flagitia, noſtris politicis ſtatus rationes dicta. Nefandi doctores, execrandi conſultores, qvi hæc talia Principibus ſuggerunt! Qvaſi Deus noſter Sanctiſſimus, qvam Regibus impoſuit mortalium regendorum provinciam ſine ſubſidiariâ ſcelerum cohorte adminiſtrari poſſe noluerit. Infinita ſunt à Theologis ſcripta volumina, qvæ de *conſcientiæ caſibus* notiſſimo vocabulo inſcribuntur: in qvibus etiam minutiſſimæ actionum humanarum, contractuum, & delictorum rationes non qvales mortalium

ju-

judicia ſubeunt, vel effugiunt, ſed qvales coram tremendo immortalis Judicis tribunali judicantur, tantâ tamqve exactâ diligentiâ examinantur, ut ſæpiùs vel teruncii causâ Numinis iram pœnasqve poſt hanc vitam animas manere juſtiſſima ſeveritate pronuncient. Res profectò ſanctiſſima! ſed quæ hoc habet imperfectionis, qvòd privatorum ferè conſcientiam attinet, Regum tranſmittit. Operæ pretium eſſet, docere magnos homines, divinas leges etiam ipſis latas, & inferorum ſedes non plebeja tantùm ſcelera, ſed Regum etiam ambitionem & avaritiam expectare. Diſqvirendum eſſet, an jure gladius regius hypothecam uſurpet in omnes illorum Principum ditiones, qvi potentiâ minùs valent? an ſalvâ pietate ſuam ſecuritatem Principes collocent in inopia & miſeria civium ſuorum, per mille tributorum & exactionum rapinas comparatâ? an juſtitiæ, ſine qvâ magna regna magna latrocinia ſunt,

ſunt, conveniat inter immeritas gentes odiorum ſemina jacere? principum ſociorum amicos largitionibus ad proditi domini ſcelus ſolicitare? multare interdum in cautionem innoxios? vulgi negligere injurias, ſi bello utiles viri eas intulerint? an denique Deo uti benigno poſſint qui ambitione vel avaritia ducti, bellis & occiſarum gentium glorioſo delectantur ſcelere: qui vel ob læſam authoritatem & ut hodiè loquuntur *reputationem* ſuam, vel oppiduli alicujus commoditatem, imò qui nullam ob cauſam hominem rem ſacram & Dei imaginem viliſſimi purgamenti inſtar ad cædem exponunt, & homicidiis atque rapinis divina humanaque omnia miſcent. Nimirum pro ciconia pietatis, & hippopotamo juſtitiæ typo, quæ duo Ægyptiorum Regum ſceptra inſigniebant, vulpes & leo, fraus & vis ſceptra ferè regere ſolent. Ut non inſubtiliter quidam Satyricus leges olim ſanctiſſimè habitas, *honeſtè*

vi-

vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, non minus qvàm legem Æliam Sentiam & Juniam Norbanam prorſus hominum moribus ſublatas eſſe dicat, mireturqve eas non inſertas eſſe legum abrogatarum libris. Nec minùs argutè alius, qvi ſapientum de honeſto & turpi, de virtutibus & vitiis ſententias ſimiles eſſe dicit, vetuſti operis numiſmatis, qvæ qvamvis magni æſtimentur, & tanqvam rarum aliqvid magnificentiam poſſeſſoris oſtendant, non tamen contractuum humanorum inſtrumento funguntur. Deniqve Ludovicus Gonzaga Nivernenſis apud Thuanum liberè profitetur, ſi rogentur Principes, qvo titulo tot provincias teneant, non aliud, qvod reſpondeant habituros, qvàm eas ita à majoribus accepiſſe: & ſi lex ſit, ut Princeps à majoribus poſſeſſa, qvorũ aliam poſſeſſionis cauſam ediſſere neqveunt, reſtituere teneantur, ad ſummas anguſtias pleroſqve qvi nunc latè regnant, adductum iri. *Nobis*

Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat &c.) Pomponius I.C. (*in l.11.ff. de orig. jur.*) tradit, initio civitatis populum ſine lege certâ primûm egiſſe: omniaqve manu à Regibus gubernata. Ipſum tamen Romulum leges qvasdam curiatas ad populum tuliſſe: qvarum etiam Dionyſius Halicarnaſſæus & Plutarchus & Feſtus meminerunt. Collegit illas, & commentario illuſtravit diligentiſſimus pariter ac eruditiſſimus Franciſcus Balduinus: cujus ad illum commentarium præfatio ita ſcripta videtur, ut hunc Taciti de principiis juris locum explicare voluiſſe videatur.

Numa religionibus & divino jure populum devinxit] v. qvæ dixi ad lib.1. verb. *ut ſunt mobiles &c.*

Queis etiam Reges obtemperarent.] Nunqvã mihi placuit philoſophia, qvæ paucis ſyllogiſmis omnium Regũ ſceptra laceſſere & periculosâ curioſitate diſputare audet: an legibus ſolutus ſit Princeps? qvatenus præceptis ejus paren-

rendum? quæ conditiones tyrannum faciant? an malus Princeps è medio jure tolli poſſit? & quæ conſimilis audaciæ quæſtiones ſunt.

Corruptiſſimâ Repub. plurimæ leges.] Iniquus & ingratus mihi Juſtus Lipſius videtur, qui neque Juſtiniano ob compoſitos juris, quo utimur, libros, nec Lothario Imperatori ob reductos eoſdem in lucem uſumqve hominum multam deberi gratiam arbitratur. Nec enim verum eſt quod ipſe ait, ex multis legibus ortas eſſe tot litigia, tot patronorum fraudes, juriſque cavillationes. Hominum ea improbitas eſt: haut minor, imò major futura, ſi paucioribus uteremur legibus. Quippe leges pleræque ex occaſione latæ ſunt, ut darent formam finemque controverſiis, quæ ex juris ſcripti defectu emergebant. Nunc quod introductum eſt ad finiendas lites, ad ſtatuendum jus certum, ad præcidendas juriſperitorum diſputationes, quomodo dici poteſt

diſpu-

diſputationi litibuſque cauſam dare? aut quomodo dici non debet, majores ſemper patronorum advocatorumque fore fraudes, ſi pauciores forent leges, quam quæ negotiis ſufficerent? ſi omne jus in incerto eſſet, ideoque patronorum diſputationem exigeret. Quæ enim certo jure nituntur, certamque ſemper habuerunt interpretationem, nullâ hominum fraude, niſi etiam judex corruptionibus pateat, eludi poſſunt. Fraus, & cavillatio in incertis valent. Porrò, quod ajunt, ut multi medici peſtilentis aëris, ſic multas leges ægræ civitatis eſſe argumentum: verum id quidem eſt. Sed non ægra civitas aut corrupta eſt, quia multas habet leges: ſed multæ ſunt leges, quia ægra Civitas eſt. Felix vitæ facilitas, quâ *vetuſtiſſimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitationibus, agebant.* Sed morbis tamen graſſantibus remedia prudenter eſſe quæſita, & ex malis moribus bonas eſſe natas

leges

leges aliqvod eſt in malis ſolatium: & habenda Romanis boniſqve Imperatoribus gratia, qvi ád hujus vitæ turbas componendas tantum nobis reliqverunt & conſilii, & judicii & æqviſſimæ rationis. JESUS CHRISTUS Dominus ac Legislator ſummus, ipſa Patris Sapientia duas nobis ex cœlo leges attulit: *diligito proximum ut te ipſum.*&: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; qvibus univerſa Chriſtiana jurisprudentia cõtinetur. Verùm cum in tanta hominum improbitate, humanæqve naturæ imbecillitate rari ſint qvi ita affectibus expurgatum habeant animum, ut eâdem caritate alios ac ſe proſeqvi velint; oportuit, ubi mali radix extirpari non potuit, ſaltem caveri, ut quàm minimè ſerperet, noceretqve. Itaqve leges latæ ſunt, non qvæ bonos perfectosqve homines efficiant, ſed qvæ ne mali eſſent, providerent. Nec pertinet huc qvod Tacitus corruptiſſimâ Rep. plurimas leges fuiſſe aſſerit. Non enim is horum

rum verborum ſenſus eſt, qvaſi multæ leges corruptam Remp. faciant ſed in corruptâ Rep. Romana plures latas eſſe leges non tuendæ libertati & firmandæ concordiæ. *ſed diſſenſione ordinum, & adipiſcendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliaq́, ob prava* Nam in repub. factionibus ſciſſâ leges non ad publicam utilitatem, ſed pro ambitione illorum qvi plus poſſunt ferri uſitatum eſt. Ergo, ut verum eſt, corruptiſſimâ Repub. plurimas leges fuiſſe: ita non licet converſione propoſitionis dicere, plurimas leges facere corruptiſſimam Remp.

Gravior remediis, quàm delicta erant] qvomodo etiam de Sulla Lucanus ait. (*lib.2.*)

---dumque nimis jam putrida membra recidit;
Exceſſit medicina modum; nimiumque ſecuta eſt.
Quà morbi duxere, manus perire nocentes
Sed cùm jam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.

Sua-

Suarumque legum auctor idem ac everſor.] ab omnibus annotatum eſt, quod Cleon apud Thucydidem ait, (*lib.* 3.) ſatius eſſe malas ſed immotas habere leges, quàm bonas, & inſtabiles. Nam & ſua legibus reverentia perit: *& ſuper omnibus negotiis meliùs atque rectiùs olim proviſum: & quæ convertuntur in deterius mutantur.* (*Tacit.* 14. *annal.*) Vide tamen quæ ſcripſi ad lib. 6. verb. *reputante Tiberio &c.*

Et in continua per viginti annos diſcordia, non mos, non jus, deterrima quæque impunè, ac multa honeſta exitio fuere.] Hi corrupti ſtatus popularis fructus ſunt, in quo ſæpe ad imperitos aut ignavos populi levitas defert faſces: ubi factionibus, invidiâ, impetu rapiuntur vulgi ſtudia: ubi ad ſeditiones, ad furorem, ad captandi populi atque fallendi conſilia aptare ſe ſolent improbæ ac factioſæ mentes: adulatione, obſequio, ſuavitate orandi: ubi plerumque ingens virtutis ſpecimen eſt, ab imperita multitu-

titudine malè mulctari; ubi denique *deterrima quæque impunè ac multa hone-ſta exitio ſunt.*

Atque ille quanquam prompto ad ca-peſſendos honores aditu Mæcenatem æmu-latus ſine dignitate Senatoria multos tri-umphalium conſulariumque potentia an-teiit.] Procerum in aulis duplex condi-tio eſt, alii Crateres, alii Hephæſtiones ſunt. Quidam, qui nullis magiſtratuum, dignitatumve appellationibus inſignes, ſummâ tamen & intimâ Principum a-nimis inhærent; alii, per quos Prin-ceps præcipua reipublicæ momenta procurat, quibus externas res atque ci-viles credens, in arcanis conſiliis potiſ-ſimum fidem habet. Hi verò quamvis ſic ad ſe trahant ac propemodum ſuas faciant altas illas & ſalutis omnium cu-ras, ut non tàm Rep. egeant, quàm ſuis officiis deinde Reſpublica; tamen pri-mi illi, apud eos maximè Principes, qui à negotiis abhorrent, ferè plus poſſunt. Interdum voluptatem conſectari, jocis

ludiſque incumbere illis ſolis licet. Etiam ſupercilio in dominos uti, & penè regnare (modica tamen nec longa contumacia) Princeps haud rarò accendit; quàm amare volentes, tam amari. In tam altum producti, & tam amati à Principe, quod non obtineant? quas non opes cumulent? ut ſi à tanto deinde apice excidant, ſaltem felix priſtinæ potentiæ monimentum ad reliquæ vitæ ſecuritatem duret. (v. 10. *Barcl. in Icon. anim*)

Copiaque & affluentia luxu propior. Superat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par; eò acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat.] Et hi habentur homines ad regiæ mores facti, qui verſatilem animum omnibus negotiis, ſeriis juxta ac ludicris applicare valent. *Die in alle Sattel gerecht ſein.* Contra ineptos æſtimant, qui in lupanari caſtitatem, & inter temulentos bacchantium cœtus ſobrietatem profiteri volunt. Et ſanè Hetruſcus Politicus (quam-

(quamquam impiè) neceſſarium eſſe ſcripſit, poſſe, ſi occaſio tulerit, eſſe crudelem, infidum. Quomodo Sejanum Tacitus deſcripſit. (*4. Annal.*) *Corpus illi*, inquit, *laborem tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator: juxta adulatio & ſuperbia, palam compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido: ejuſque cauſâ modò largitio & luxus, ſæpiùs induſtria ac vigilantia &c.* Et de Sapore Rege Perſarum Ammianus Marcellinus: (*lib. 28.*) *cùm ſibi conduceret humilis aut elatus.* Tacitus de Licinio Muciano: *luxuriâ, induſtriâ, comitate, arrogantiâ, malis bonisque artibus mixtus, nimiæ voluptates, cùm vacaret: quotiens expedierat, magnæ virtutes, palam laudares, ſecreta malè audiebant, ſed apud ſubjectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens &c. lib.* 1. *hiſtor.*) Idem de T. Vinio: *pravus aut induſtrius eâdem vi, prout animum intendiſſet.* (1. *hiſt.*) Et de Veſpaſiano, Titoque ejus filio: *tribuni centuri-*

oneſque & vulgus militum induſtriâ, licentiâ, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adſumebantur. (1. hiſtor,) Ego; ut induſtriam, ſolertiam, vilgilantem ſemper & intentum rebus animum probo, ita, iſtam virtutum & vitiorum callidam mixturam tanquam Chriſtianæ pietati & honeſtati civili adverſam non laudem, ſed vituperium, imò pœnam mereri arbitror. Certè Deus, cui *ſimplices & ſinceri corde* placent, non impunitam ſinet.

Somnum & inertiam magis oſtentabat.] Quod ſub tyranni, cui omnis magna virtus formidabilis eſt, imperio omninò neceſſarium eſt. Tunc enim *inertia pro ſapientia* habetur. L. Brutus affectæ mentis vitium ſimulavit (*Liv.*) Domitianus ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine ſtudium literarum & amorem carminum ſimulavit, quò Titi fratris æmulationi ſubtraheretur. (*Tac.* 4 *hiſt.*) Mahumetes Tertius Turcarum Imperator, cùm privatus adhuc degeret oi

arro-

arrogantiam & ferocitatem, patris animum tanta ſuſpicione pupugit, ut is filium è medio quavis ratione tollere conſtitueret. Cujus rei cùm à matre Mahumetes certior factus eſſet, adeò vitæ inſtitutum ſeu mutavit, ſeu mutaſſe ſimulavit, ut venereis immerſus voluptatibus nullius magnæ cogitationis capax amplius videretur. Ita à patre ſuſpicionem, à ſe periculum abegit. (*Laz. Superant. in Othom.*)

Fato potentia rarò ſempiterna: an ſatias capit aut illos cum omnia tribuerunt, aut hos cùm jam nihil reliquum eſt, quod capiant.] Ut rutilans fulguris nictus, quamuis cum fragore tonitruum uno eodemque momento nubes perrumpat, priùs tamen oculos ferit, quàm tonitru audiatur: & ut antè ſanguis quàm hiatus vulneris cernitur: ita apud Reges delati plerumque ante ruunt, quàm ſe ruere ſentiant. *Ignis amoris regii plurimos in cineres redegit.* Cauſas & remedia adeò præcipitis mali indagare operæ

pretium eſt. Prima eſt inſtabilis Fortunæ genus, nunquam conſtanti beneficio quenquam dignatus: *fato potentia raro ſempiterna.* II. Altera eſt levis Principum, & vel nullo vel levi fundamento nixa, atque temerè plerumque in hos aut illos propendens inclinatio: quæ cùm fervet maximè, neſcio quo fato nunquam tepida plerumque in frigidiſſima priſtinæ gratiæ oblivione deſinit. Nam Reges ſi verum loqui licet, apud quos ſemper aliqui nimiũ poſſunt, ferè mutabili amandi dulcedine feruntur in diverſa. Caſu amicitias auſpicantur, tædio deponunt: & novâ familiaritate reficiunt animum in veteris conſuetudinis nauſeâ faſtidientem. Quidã ex iis, ut in morbis ex calore in contrarium frigus rapti finem amoris odium faciunt, intẽpeſtivis affectibus ſẽper captivi aut crudeles. Modeſtiores ſũt, qui contenti ſuperducere neglectis ſed nõ violatis prioribus, novos amores; tamẽ indignatione, ambitu, rixis regiam ſuam

am implent. Diutiùs quidem ſed non tutiùs aut fidelius amant, qui ad negotia & ſublimitatem curarum caligare ſe conſcii, admovent oneri quem potiſſimum putant, nec res magis quàm ſeipſos ei tradunt; triſtiſſimo ſæpè fato: quia vix ſapientiùs eligere, qui ſe regat, quàm ſcipſos regere norunt. Cæterùm non amare modò hunc ſolent, ſed vereri, ſuſpicere, timere objurgãtem: donec iſte oblitus ſe precariò regnare tyrannidem nimis intẽderit; aut ipſe Rex eodem errore ingenii neſcientis libertatem, alium mirari inceperit (10. *Barcl.* 1. *Arg.*) Inde ſi Princeps ita facilis ſit, & quocunque ſe applicet, ut brevi ita cœcâ & vehementi amicitiâ incumbat, qui ab eo amantur, memores inundari ſe altiſſimo æſtu, ſed in ſuum Oceanum ſtatim redituro, quàm avidiſſimis pectoribus de illa felicitate bibere ſolent. Neq; enim laſſaro hunc amorẽ flagitatis muneribus timẽt qui etiã niſi tẽpeſtiva celeritate excipitur, ut vina ætatẽ nõ feren-

rentia,inutili veterno conſeneſcit (10. *Barcl.in Icon.anim.*) Sanè opulentiſſimæ venationis genus eſt explorare intimos Regum motus, eoſque vel vera vel ficta imitatione exprimere. Ita enim naturâ comparatum eſt, ut quibus quisque ſtudiis capitur, ea in illis amet.Infinita dulcedine ligata eſt ab omni parte gratia inde nata.Sed non durabilior illa eſt,primi veris floribus,qui quanquam varia & diſcolori amœnitate intuentium oculos & animos rapiant,tamen mox decidunt, & hominum cæterorumque animantium pedibus calcantur. Nam ut haut facile duos invenias homines, qui per omnia eadem velint,ſentiantque: ita ſtudia, moresque hominum tempore, conſuetudine,fortuna mutantur,atque adeo ſæpè in contrarium tranſeunt. Porrò ubi ex eo aliquis amatur,quòd aulicis flagitiis & inclinationibus Principis miniſtrum ſe præbet; accidit plerumque, ut levi poſt admiſſum ſcelus gratia, dein gra-

vio-

viore odio ſit. *Nam graviorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes adſpici ſolent.*(*Tacit.* 14. *Annal.*) Ipſi qvoqve Principes, quamvis id ſemper velint, qvò eos licentia, qvò cupiditas vocat, poſtremò tamen ad honeſtum vel inviti reſpectant, & publicâ civium famâ pudefacti ſuum peccatum ſua flagitia in eo puniunt, qui turpibus miniſteriis mollivit viam, quam ad vitia ducentem obſitamqve infamiâ pudor prohibebat experiri. Qvanqvam autem Principum inclinationes, tanqvam nullis cohibitæ pœnis, variè ſint, præcipuæ tamen & communiores ſunt, Amor, Crudelitas, Avaritia. Amor, ut affectuum vehementiſſimus, ita leviſſimus eſt & qvàm maximè inconſtans. Ut inde qui ſe ſocios, teſteſqve & miniſtros iſtis obſcœnitatibus præbent de gratiæ diuturnitate malè ſecuri eſſe poſſint. Crudelitatis miniſtri ut exprobrantes à Principibus adſpiciuntur, adeoq; haud raro omnis ſævitiæ infamia in hos exonera-

tur; quod Remiri Orci, Antonii Perezii, Cn. Piſonis exemplo alibi demonſtravimus. Avaritia, quamvis cum annis creſcat; tamen magiſtros iſtos excoriandi populos non tam amare, quàm quod ſibi utiles ſciunt, illis utuntur Principes; quos oblatis in eam operam recentibus, affligere poſtmodum ſolent. Quemadmodum Veſpaſianus Procuratorũ rapaciſſimũ quemq; ad ampliora officia ex induſtria ſolitus eſt promovere; quò locupletiores mox condemnaret; quibus quidem vulgò pro ſpongiis dicebatur uti, quod quaſi ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. (*Sueton. in Veſp.*) Et cum frequentiſſimæ ſint populorum ob tributorum acerbitatem avaritiamque Principum rebelliones, non eſt accommodatior ratio ſedandi illas, quàm ſi ſævienti populo iſti exactionum tributorumque novorum inventores objiciantur.

III. Præterea apud inſenſum virtuti & gloriæ ſuorum Principem certiſſima

exitii cauſa eſt ipſa virtus. Nihil enim ille magis metuit quam quâ deſtituitur, virtutem. Hęc illi vultus Gorgonei torvitas eſt. Hinc illa Neronis, apud Senec (*in Octavo*) vox; quicquid excelſum eſt, cadat. Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine ſunt (*Vac.* 1.*hiſt.*) ſiniſtra erga eminentes interpretatio; nec minus periculum ex magna fama quàm ex mala: (*Tac.in agr.*) & ex nulla re major ſecuritas, quàm inertia. (*Tac. in Agr.*) Apud unum Tacitum innumera ſunt illorum exempla, quibus non crimen ullũ, aut querela læſi cujuſquã, ſed virtus, gloria, familiæ claritudo, & multa militaris fama exitio fuerunt. Julianum quoque Cæſarem inviſum Conſtantio reddiderunt quaſi per benevolentiam ab invidis ac malevolis jactatæ voces; JULIANUS ALEMANNIAM DOMUIT; JULIANUS URBES GALLIÆ INCITAVIT, &c. (*Mamer. in Paneg.*) Et aliud ſimile exemplum de Alexio Protoſtratore

extat apud Nicetam Choniaten qvarto annalium. Aſſyriorum Rex ille, cum qvo Cyrus major bellum geſſit, & qvem apud Danielem Vatem Baldaſſarem vocari opinor, Gobriæ Satrapæ filium haſta transfixit, non aliam ob cauſam, qvàm qvòd in venatione urſum & leonem certo ictu percuſſerat, çum regis jaculum aberraſſet, (*Xenophon.* 4. *Cyrop.*) Idem alterius cujuſdam purpurati filio teſticulos eximi juſſit: qvòd regia pellex illum inter egregia pulchritudinis exempla cenſuerat, felicemqve fore dixerat, qvam ille conjugem habiturus eſſet. (*Xenophon.* 5. *Cyrop.*) Et ſanè hoc omnibus Principibus ingenium, hæc natura, ut ſe potiorem haut æqvo animo ferant. Hadrianus Imperator, qvamvis eſſet oratione & verſu promptiſſimus omniumqve artium peritiſſimus: tamen illarum profeſſores ſemper ut doctior riſit; contemſit, obtrivit. (*Spartian. in Hadrian.*) Valentinianus eruditos omnes odio perſeqve-

ſeqvebatur, & divites & nobiles, & fortibus detrahebat: ut ſolus videretur egregiis artibus eminere. (*Ammian. Marcell.* 30.) Ludovicus de Sylva vir erat prudentiſſimus, & Emanueli Luſitaniæ Regi in paucis charus. Illum Rex, cùm à Pontifice veniſſent, literæ latinè qvàm elegantiſſimè ſcriptæ, reſponſum componere juſſit; ſe qvoqve (affectabat gloriam benè ſcribendi) idem tentaturum. Ludovicus, qvanqvam invitiſſimus cum Rege ſuo de ſcientiæ principatu contenderet; neceſſitati tamen paruit, & ſcriptum à ſe reſponſum poſtero mane Regi, qvi & ipſe idem conatus erat, tradidit. Rex ut vidit illud legitqve, convictus ſuo elegantius eſſe, reſponſi loco ad Pontificem mitti mandavit, ſuppreſſo nec oſtenſo cuiqvam ſui ingenii conatu. Ludovici tamen vehementiſſimis precibus dedit, ut inſpicere liceret; qvi exiens aula, nunqvam eò reverſurus, domum feſtinus perrexit: &, qvanqvam meridies eſſet,

ſet pro ſe, duobuſque filiis tres equos inſtrui juſſit: deductoſque ne quidem priùs ſumpto prandio filios in apertam quandam planiciem his verbis allocutus eſt: cariſſima pignora, alibi nobis noſtra fortuna conſectanda eſt. Hic enim, uti Rex me illo plura ſcire cognovit, non eſt, ut benè nobis fore ſperemus. *Anton.* Perez. *in Epiſt. quadam Hiſpanica ſcripta ad Lermæ Ducem*) Rodericus Gomezius Sylva, qui in Philippi aulâ omnia poterat, à prudentiſſimo quodam ſene accepiſſe ſe dixit ex ſacris literis acceptum præceptum: *coram rege noli videri ſapiens.* Et Albæ Dux ajebat, Sylvam illum, non quòd aliis conſilio & gerendæ reipublicæ ſcientiâ præſtaret, tantum apud Philippum valuiſſe, ſed quòd illo præcepto ſapientiſſimè utebatur. In conſiliis, quibus Regem ſuum inſtruebat, in colloquiis, quę cum illo habebat, caviſſe, ne ſciret ſuũ Regis prudentiam ſuperare videretur. Primum & principale inſtrumentum, quo

quo Principis animus ad audiēdi patiētiam diſponitur & præparatur, eſſe adulationis, quæ ſapidiſſimus ingenii humani paſtus eſt, particulam; quâ Principes ſolos ſe ſapientes haberi, ſolos rerum & conſilii potentes perſuadeantur. Indeque Sylvam, quanquam procuraret, ut boni eventus conſiliorum ſuorum fructus haberentur: talem nihilominùs negotiis ſpeciem circumdediſſe, ut illa cœptorum felicitas non tàm à ſua prudentia, quàm fortunæ indulgentia quadam, comitante ſedulitatem fideq; ſuam proveniſſe videretur. Hac arte Regis erga ſe amorem in majus provexiſſe; non aliter ac in ludo, qui fortunæ victoriam debet, ſive indignatione victi lucrum reportat; qui ſuis artibus vicit, inimicitias plerumque ſortitur. (*Anton.* P*erez. d. ep.*)

Sed nec ſemper injuria Principum gratiam mutat. Sæpè etiam illi ipſi gratioſi ſua culpa ſibi fortunæ fugā admovent,

vent,ſeriùs,ſi ſaperent,receſſuram. IV. Quidam ex iis non æſtimato domini ingenio, cauſam, qua amantur, negligunt colere. Alii adhuc cruda & recentia domini ſtudia, tanqvam nondum præparati ventriculi robur importuno uſu obruunt. Quoſdam ignoratio ſatietatis decepit: qui quanquam circumfluentes omnis fortunæ muneribus tamen dominum in novæ alicujus amicitiæ illecebras declinantem, tanquam injectis manibus retinent, proclamantque ad promiſſi amoris vindicias. Ita qui de gratiæ ſtatione recedere ad magnificum otium poterant, rapi malunt, quàm abire. Quid veſaniam dicam, cùm in levia ingenia hæc felicitas cadit; quæ adverſus minores humanitatem, adverſus majores reverentiam exuere ſolent. Novimus, quàm benè Solis curru Phaëthon uſus ſit, aut Icarus pennis. Quidam nullo tot munerum, totque beneficiorum, quibus ornati ſunt, reſpectu in ipſum Principem ſcelera-

lerata conſilia inire auſi ſunt. Cujus rei exemplum, ut infinita alia prætercam, eſt in Sejano; de quo libro ſequenti plura notabimus. Sunt, qui dum ab externis Principibus penè ut pares ambiuntur, non intelligentes ſollicitari ſe ad proditi domini ſcelus, conſilia, quæ tegi oportebat, aliis enunciant. Alii ſuperbia, faſtu, avaritia odium Optimatum, aut populi in ſe concitant. Omnis enim error. Omne in adminiſtranda repub. delictum, omnis vectigalium, tributorum, aliorumque onerum impoſitio gratioſis in aula viris, &, ut Amm. loquitur. (*lib.* 38.) *formatoribus imperii* adſcribitur. Quibuſdam capitale fuit, objeciſſe & exprobraſſe merita. Nam eò uſque læta ſunt merita, dum videntur exſolvi poſſe, neque exprobrantur; ubi multum antevenêre & ambitiosè jactantur, pro gratia odium redditur. Nihil citius ſeneſcit gratia, & memoriâ beneficiorum; quæ quò majora ſunt, eò ſæpiùs ingratitudine penſan-

ſcantur. Quippe qui ea remunerando perſolvere aut non vult aut non poteſt; vel oblivione vel animo ſuo imperando, ut credat non tanta fuiſſe, qualia æſtimantur, illorum memoriam abjicit. Poſtremò, quos eò reductos ut alieno beneficio indigerent, pudet, accepiſſe ſe illud indignantur; adeò, ut plus apud illos poſſit odium ob eam, in quam inciderant neceſſitatis memoriam, quam beneficii accepti recordatio. Non igitur benè rebus ſuis conſulunt, qui meritorum diuturnique ſervitii ſuperbiâ fidentes verbis etiam & querelarum acerbitate Principum ſuorum ingratitudinem arguere audent. Horum enim ea natura eſt, ut cogi nolint. Etiam quæ debent, cùm ſolvunt, liberalitati adſcribi volunt; & qui repoſcit inciviliter quod expectare debebat, pro gratia odium & exitium invenit. C. Silius, cùm immodicè jactaſſet, ſuum militem in obſeqvio duraſſe, cùm alii ad ſeditiones prolaberentur, nec manſurum Tiberio impe-

imperium, ſi ſuis quoque legionibus cupido novandi fuiſſet, ad mortem adactus eſt. Deſtrui enim per hæc fortunam ſuam Cæſar, ſeque imparem tanto merito rebatur. (*Tac.4.an.*) Quo accedit & illa ratio, quòd benègeſta etiã à ſuis ducibus ſibi adſcribi Principes volunt. Apud Romanos bellorum duces trophæis non ſuum ſed Principis nomẽ inſcribebant. (*Tacit.2 an.ubi de Germanico,*) Et in operibus publicis, qui nomen ſuum ſine Principis mentione ſcripſiſſent, majeſtatis tenebatur obnoxius (l.x.C.*de oper.publ.* Et Germanis ſua fortia facta gloriæ Principis tribuere præcipuum ſacramentum erat. (*Tacit. in German.*) Apud Mauritium Imperatorem Georgius quidam ad Perſarum Regem pro pace legatus magnum adiit periculum, quòd imprudenter gloriatus eſſet, Regem Perſarum non Imperatori, ſed ſuæ prudentiæ pacem indulſiſſe. (*Theophilact. Simocatt.* 8 *hiſt.*) In Belgio cùm Ferdinandus Albæ Dux ſtatuã ſibi

cum

cum ſuperba inſcriptione poſuiſſet, dejici illam Philippus Rex juſſit (*Coneſtag. 4. hiſt. de bell. Belg.*) Et Conſalvus Magnus cum liberalitatis terminus incautè transgreſſus Neapolitani à ſe ſubjugati regni proceres donis, beneficiis, denique comitate à genio Hiſpanorum tantoperè aliena, ſibi devinxiſſet, & quę Regem decebant, ipſe geſſiſſet, abductus ex regno in Hiſpania inglorius obiit (*5. Bocçal. Cent. 38.*) Ut non ſine ratione Cyaxares Medus apud Xenophontem (*5. Cyrop.*) dicat, injurias populo ſuo illatas tolerare ſe poſſe, magna beneficia non poſſe. Quemadmodum enim, inquit ille ſi quis canes tuos tales paſcendo curandoque reddat, ut illum magis quàm te norint, aut ſi quis miniſtros tuos beneficiis tales efficiat, ut ipſius eſſe malint, quàm tui, aut ſi quis uxorem tuam obſequiis ſic demereatur, ut tandem efficiat eam ſui magis, quàm tui amantem, ingrata tibi futura eſt & inviſa beneficentia: ita injuriam Prin-

cipes exiſtimant illa, quibus populorum ſtudia in alium derivantur, beneficia. Apud Auguſtum duo erant ferventiſſima gratia, M. Agrippa, & Cornelius Gallus. Et hic quidem inſolenter elatus, ſtatuas ſibi per univerſam Ægyptum ponere, ſua acta pyramidibus inſcribere, denique eò vecordiæ labi, ut in ipſum Auguſtum vaniſſimis verbis detonaret. Igitur exulare juſſus damnationem morte voluntariâ prævenit. At M. Agrippa, etſi Cæſari gloriosarum actionum auctor & præcipuus adjutor eſſet, nihil tamen ejus gloriæ ſibi arrogabat: honoresque in ſe collatos non in ſuum commodum, ſed in Auguſti & reipublicæ gloriam convertebat: operibusque publicis à ſe extructis non ſuos, ſed Auguſti titulos inſcribebat. (*Dio Caſſ 53.*) Commiſſa pugna navali cum Sexto Pompejo, ſatis habuit fugaſſe hoſtes, nec eos ultra inſecutus eſt. Dicebat enim, hunc eſſe pleriſque Principibus morem, ut nolint

lint qvenqvam ſeipſis præſtantiorem haberi: ideoqve eos pleraſqve res, ubi haud magno labore ſit ſtatura victoria, ſuo ductu atqve auſpicio gerere, contrà difficilia & impedita aliis committere: ex qvibus ſi ſe illi feliciter expediverint, titulum rei benè geſtæ tamen ſibi ſolis adſciſcere. Proinde duo hæc eũ, qvi incolumitatis ſuæ curã gerit, obſervare debere: ut negotio difficili præfectus id, ſi fieri poteſt, à ſe amoliatur: qvod ſi neqveat, benè geſtæ rei nomen Principi conſervet. (*Dio.49.*) Agrippæ mores Cn. Agricola expreſſiſſe videtur, qvi nunqvam in ſuam famam geſtis exultavit; ad authorem & ducem, ut miniſter fortunam retulit. Ita virtute in obſeqvendo, verecundiâ in prædicando extra invidiam, nec extra gloriam erat. (*Tacit. in Agric.*) Ex Britannia maximis rebus geſtis reverſus Romam, ne notabilis celebritate & frequẽtiâ occurrentium introitus eſſet, vitato amicorum officio noctu in urbem, no-

ctu

ctu in palatium venit:exceptuſqve brevi oſculo & nullo ſermone turbæ ſervientium immixtus eſt. Et ut militare nomen, grave inter otioſos aliis virtutibus temperaret; tranqvillitatem atq; otium penitus auxit; cultu modicus, ſermone facilis, uno aut altero amicorũ, comitatus: adeò, ut pleriq;, qvibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectoqve Agricola quærerent famam, pauci interpretarentur. (*Tac. in Agric.*) Eſt igitur omninò neceſſarium, gloriam egregii cujuſqve facinoris non noſtræ prudentiæ aut virtuti, ſed Principi adſcribere; tantum abeſt, ut ei ſervitia noſtra exprobrare liceat. Qvemadmodum enim, qvi catenis alligati ſunt remigio, cùm, ut loqvitur Comicus, mortui boves incurſant terga ipſorum, non reverberando, non minis, non qverelis, qvicqvam proficiunt: ſed mœſtâ oculorum humilitate, & miſerabili, omnibuſqve precibus efficaciori intutu, atqve interdum piſcis aut

aut cancrorum maritimorum à ſe captorum dono navarchum ad pietatem commovent; ita qui ad immitia aularum tranſtra condemnati ſunt, dominorum injurias, contemptum; oblivionem non murmure & apertâ indignatione excipere debent: ſed acceptis conſtantis fidelitatis remis everberare fluctuum adverſantium pertinaciam; iſtaque conſtantiâ Principis oculos ad officiorum ſuorum memoriam advertere; qui tam diu fuiſſe immemorem fidiſſimæ ſervitutis, erubeſcet tandem, & uſuras ob moram maximas præſtabit.

V. Inclinatum ad lapſum ſuâ vel alienâ culpa impellit omnino æmulatio & invidia, perpetuus excellentis virtutis comes, omnis magnitudinis tortor & carnifex. Accedunt populorum murmura & querelæ, quibus tanquam teſtibus utitur invidia: quæque animum Principis quantumvis vehementi amori obnoxium mutare, quæ judicium ejus

ejus non minus, quàm furioſa ventorum rabies maris tranquillitatem commovere poſſunt. Nec effugium eſt hîc niſi per innocentiam & modeſtiam. Innocentiam volo, ut aulicus omnia domini negotia procuret cum fide, & ex commodo ipſius domini. Modeſtiam omninò requiro, quòd invidia ut ſuperbiâ & arrogantiâ accenditur, ita minuitur aut extinguitur humanitate, affabilitate, comitate, familiâ domi ut non ſordida, ita nec ſplendida nimis. Cardinalem Spinoſam, cui nihil non tribuebat Philippus Hiſpaniarum Rex, æmuli everterunt, incitando Regios miniſtros, clientes, univerſos denique, ut ſolum colerent, ſolius ædes frequentarent, ſolius juſſa ſpectarent, adeò ut nec Regi, niſi Cardinalis adnuiſſet, parerent. Igitur ab Rege aulâ dimiſſus eſt. Antonius Perezius à cœleſti nuncio, veri Regis miniſtro in hoc malum accepiſſe ſe remedium ait: quod extat in S. Ioannis Apocalypſeos capite decimo

nono. Cùm Joannes Apoſtolus ad pedes Angeli cujuſdam illum adoraturus ſe abjicere vellet, Angelus interceſſit his verbis: *cave feceris, conſervus tuus ſuum.* Inde aulicus quoque quod ſibi utile, ſumat, & quanto demiſſiori cultu adorari ſe à gentibus videt, tantò magis illos ſibi nocituros honores repellat; & non magis alios, quàm ſe Principis miniſtrum eſſe cogitet. Sic enim, (ita argumentatur Perezius) Optimus Maximus Deus, cujus infinita gloria eſt, qui unico nutu necavit omne animal orbe aquis ſubmerſo, & cùm tempus adveniet ignibus vaſtis torrebit incendetq; mortalia, cunctaque in antiquum chaos vertet; ſi, inquam, omnia potens Deus ſocium adorationis, quâ ſolus colendus eſt, non admittit: quantò minus Reges & Domini mortales, quorum eſt ita limitata poteſtas, ut in comparatione divinæ potentiæ nulla ſit, quenquam ſibi æqualem ferrent animo? Adſit ergo aulicus negotiis quieta

cum

cum induſtria:nec pediſſequorum, cæteriq; domeſtici inſtrumenti ſuperbiã affectet, aut clientũ longũ ſemper poſt ſe agmen trahat, imò, ſi ſapiet, invidiæ minuendæ causâ, nõ admittet vana iſta.

VI. Poſtremò, ſi tàm gratioſus virtute & fortuna meruerit, ut Principi, cujus favorem nullis intermixtum ſimultatibus ſemper habebat, ſuperſtes ſit: accidit tamen plerumque, ut illa gratiæ hereditas in ſucceſſorem non tranſeat. Nam & ea negotiorum interdum ratio eſt, ut hi tales imperiorum formatores, ſive imprudentià, ſeu conſultò, & haut raròPrincipis cui plerumq; ſuſpectus eſt, quicunq; proximus regno deſtinatur, voluntate ſucceſſorẽ offendãt: quarum offenſarum acris deinde in vindictam memoria ſervatur. Et ſi maximè hoc nõ fuerit, qui novus Princeps eſt, ſuis, qui privatum coluerant, vicem reddere, ſibique notiores & propiùs hærentes honoribus, dignitatibus, muneribus conciliare ſtudebit. Opes de-

niqve cumulatæ, & invidioſa defuncti Principis liberalitas vel æmulos vel ſucceſſorem ad repetendum, unde inopiæ cauſa eſt, accendere poſſunt. Et ſanè à me nemo remedia huic malo diſcet. Nam qui adhuc privatum offendit, quibus officiis regnantem ſibi reconciliare poteſt? cùm plerumque acceptæ olim injuriæ memoria adverſus recentia beneficia prævaleat. Exigi aulâ, procul negotiis haberi ad magnificum, aut ſaltem non inops otium dimitti non pœna æſtimari, ſed præmium debet. Denique contra invidiam, quæ ex immenſis opibus oritur, niſi illæ occultari aut elevari poterunt, *una defenſio occurrit, quòd muneribus Principis obniti non debuimus.* (*Tacit.* 14. *Annal.*) Aut, qvanqvam id durum ſit, traditis, qvorum fulgore præſtringimur qvies redimi debet. Ea voluntariæ ceſſionis gratia erit, ut relictis neceſſariis vitæ inſtrumentis ſaltem non egenum ævum (nam & avaritiæ crudelitatiſqve famam metuet Princeps) tranſigi neceſſe ſit. Exem-

Exempla & hiſtorias illorum, qui ſive ſuâ, ſive aliena culpâ ex ſummo aulæ loco in imum præcipitati ſunt, ſi referre omnia, aut pleraque vellem, juſti voluminis opus foret. Notæ ſunt Parmenionis, Clyti, Philotæ indignæ neces apud Q. Curtium. Sejani hiſtoriam Tacitus & Dio Caſſius recenſent. Memorantur Plutianus apud eundem Dionem, Vetronius Thurinus apud Lampridium; Apelles apud Polybium, Beliſarius apud P. Crinitum (ſi tamen vera ſunt, quæ ille de eo jam ſene oſtiatim ſtipem colligente ſcribit in libris de honeſta diſciplina) Stippiota Theodorus apud Nicetam Choniaten; apud recentiores Petrus de Vineis, Alvarus de Luna, Thomas Vuolſæus, David Rizius, Antonius Perezius, Paulus Scalichius, alii. Denique ludorum ejusmodi frequentia ſtuporem mitigavit. Pauci adhinc anni plura nobis, quàm lubrica aulæ via ſit, documenta ob oculos poſuerunt. Meminimus, in Gallia Bironi-

um & Concinum AncræMarchionem; in Hiſpania Lermæ Ducem; in Anglia Sommerſetum;in Belgio OldenBarneveltum; in GermaniaMelchioremCleſelium ; omnes de ſumma dignitatis arce deturbatos : & hic tamen nunc ſummo cum honore Viennam rediturus ſperatur : quod olim quoq; Ulrico Ciliæ Comiti accidit.Is cùm diu Ladiſlaum dominum ſuum rexiſſet, tandem jubente Rege, nitente Auſtriâ nobilitate,& præcipuè Eizingero; comitante illum, ne à plebe violaretur, Alberto Brandeburgenſi; probroſis dictis oneratus, aula exceſſit. Idem tamen Regi poſtea reconciliatus, qui paulò antè cũ ſumma ignominia in exilium abierat, triumphantis more Viennam ingreſſus eſt,etiam extra urbem ipſo Rege obviam eunte:contrà Eizingerus,qui Principem regiæ gratiæ locum conſecutus eum dejecerat,urbe egreſſus in voluntarium abiit exilium. Et fertur Comes cognito Eizingeri diſceſſu laudaſſe hominem,

minem, quòd in tẽpore iratis aulæ nubibus tergum ſubduxiſſet. (*Gerard. de Roo. 4. Ann. Auſt. Æn. Sylv. Hiſt. Boem. c. 61. & 63.*) Alia exempla lubens omitto. Unum tamen, cùm quòd varios fortunæ ludos habeat; tum etiã quod Scipionis Amirati libellus de vita Joannæ in paucorum manibus verſetur, prætermittere non debui. Joañа II. Neapolis Regina Gvilielmo Auſtriæ Principi (Pandulfus Gollenucius in Hiſtoria Neapolitana (*lib. 5,*) Vocat Ducem de Sterliche) nupta marito defuncto, cùm Neapolin rediiſſet, aliquot poſt annos Ladislao fratri ſine prole defuncto, in illo regno ſucceſſit. Poterat eſſe feliciſſima, niſi inhoneſtus amor, quo erga Pandolfum (Pandufellum appellat Io. Bapt. Pigna) quendam ardebat, miſerã eſſe voluiſſet. Erat ille eximia pulchritudine, cui induſtriã cæterosq; laudabiles mores jũxerat: quibus adeò ſibi Reginam devinxit, ut ſui & curarũ regiarum oblita, omnia prædam fecerit amatoris. Sanè va-

lidus erat illorum temporum rumor, etiam vivente fratre & marito cum illo conſueviſſe. Tandem cùm Regina populi & procerum ſeditionibus agitata, motuum ſedandorum, & invidiæ, quæ Pandolfo ex nimia potentia & ſuſpecta cum Regina familiaritate oriebatur, extinguendæ cauſa Jacobo ex familia Ducum Borboniorum nupſiſſet: illi primum novi regni facinus fuit, invisum æmulum è medio tollere. Reginam quoque & lecto & menſa excluſam penè in cuſtodia habuit. Verùm imprudentia atque ignavia Regis, & fides quorundam Optimatum eam hac moleſtia exemerunt. Etenim Julius Cæſar Capuanus præcipuus occidendi Pandolfi Regi auctor, nullam meritis ſuis haberi gatiam indignatus, Reginæ in occulto promiſit ſua ſe manu, ſuo gladio regis inviſi hauſturum latus. Sed plus poterat in femina priſtinæ injuriæ recordatio, & cariſſimum ſibi caput neci datum, quàm propriæ cura ſalutis.
Preſ-

Preſſis igitur conſiliis, & lacrymis faciem rigans prehendere Cæſaris manum, gratias agere, ad pulcherrimum liberatæ reginæ facinus hortari, denique rogare, ut elapſo triduo redeat: velle ſe de ratione exequendæ rei cum illo conferre. Abit ille, & Regina ad maritum, eique Cæſaris conſilia aperit facturam ſe, ut ſuis auribus ordinem cogitati ſceleris ex ipſo Cæſare percipiat. Motus periculo Rex præſtituta die in Reginæ cubiculo poſt lecti ſtragula occultatus omnia ex Cæſare audit, ad quæ dolor, & ultio, & loci, ut putabat, ſolitudo incitabant. Itaque per ſatellites comprehendi juſſus Cæſar mox ſecuri percuſſus eſt. Quo facinore deterriti alii abjectis de liberanda Regina conſiliis, tuta quàm gloriam cum periculo malebant. Nam quem tàm eſſe dementem, ut miſerias ſuas amantem, & fideliſſimos ſibi infeſto marito prodentem juvare velit? Sed duo erant, Ottinus Caracciolus, & Annichinus Mormiles, (Mormellus

Collenucio dicitur) homines in quibus antiquam nobilitatem ingentes virtutes æquabant, qui altiùs in reginæ conſilia penetrantes, quare Cæſaris cogitata aperuiſſet, conjecêre. Initâ igitur in Regem conſpiratione reſtituere Reginam priori libertati inſtituerunt. Cæterùm in tanto facinore feminæ conſcientiam, deterriti recenti Cæſaris exemplo, & innatam cum omni ſequiori ſexui, tùm ipſi Reginæ, levitatem, verebantur. Commodum Magiſter equitum cum regni viribus admotus quosdam compeſcendos aberat, & quidam ex aulicis, in paucis Regi carus, adornabat nuptiarum feſtivitatem; cui ut Reginæ quoque intereſſe liceret, orarunt conjurati, nec id Rex abnuit. Ergò ſolemni pompa ſero diei finita, reverſuram in palatium Reginam Caracciolus & Mormiles in condita multitudine plebis ſtipati, circumdedere; monentes, nolle nobilitatem populũq; Neapolitanum, ut ipſa ad Regem, aut veri-

veriùs in carcerem moleſtiſſimum redeat. Iret, & viris ſe permitteret aſſerturis illam in priſtinum decus, & pro reddendo regii capitis inſigni nihil non auſuris. Improviſa hæc Reginæ erat, ſed gratiſſima violentia. Verſa igitur fortuna illa ſui nunc juris Regem ea conditione habebat, qua ipſe Reginã antè. Sed nõ poterat ad bonam mentem reverti; quæ ſemel pudicitiam voluptatibus immolaverat. Otium enim, & ex felicitate licentia fecêre, ut oculos primùm, mox animum adverteret ad Ioannem Caracciolum, avita nobilitate, corporis decore, denique militari laude inſignem virum. Sed multa hominis virtus, & qualeſcunque expirantis pudoris reliquiæ ruentem libidinem cohibeant: quæ tamen poſtremò deſiderii ſui explicandi atque explendi hanc viam invenit. Noverat Regina, (quod idem de Ferdinando Gonzaga tradit Julianus Goſelinus) Caracciolum naturali quodam horrore mures averſari.

Igitur quadam die cùm latrunculorum ludo in conclavi, regio cubiculo proximo ſe oblectaret, ex compoſito ancillarum una murem veſtium plicis inſinuavit: quem cum ille primo excutere, dein fugere tentaret; omnes ſibi præter eam, quæ ad Reginæ cubiculum aditum faciebat, portas clauſas vidit. Turbatus cubiculum regium irrumpit, & petita præda in caſſes incidit. Regina pavorem viri jocosè exagitans, & ne ſcilicet vexationi ſe ſubducere poſſet, in illum invadens arctiſſimis ligat amplexibus. Quid verbis opus eſt? Intelligebat Reginæ vota Gracciolus: placuit amantibus ſequens nox amoris furto. Ea ſcena dum luditur, regina novis optimatum & populi ſeditionibus agitatur. Sforzias maximè, vetus militiæ, & Ottinus Caracciolus, liberatæ reginæ titulo ſuperbus prræreptum ſibi principem gratiæ locum dolebant. Nã Regina Joannem Magnum regni Seneſcalcum, quæ proxima à Regibus digni-

dignitas eſt, fecerat. Sed & hos motus immerita Reginæ felicitas compoſuit. Interim fama de illius impudicitia apud Italiæ Principes, omnia, ut ſolet, in majus provexerat. Qvidam perditos feminæ mores miſerabantur: aliis inde contemptus; Pontifici juſta indignatio. Qvi pacis artes, qvàm vim & arma valitura arbitratus convenit cum Regina, ut maritum cuſtodiâ eductum reciperet. Joannes per ſpeciem honoris Romam vocatus. Sforzias contra Braccium Pontificis hoſtem Eccleſiæ Romanæ Vexillifer dictus eſt. Ita diſſociatis æmulis, & adultero procul relegato honori reginæ & regni ſaluti conſultum videbatur. Verùm Sforzias cùm animadverteret, reginam parum æqvo adverſum ſe animo eſſe, ut qvem abſentiæ Carraccioli cauſam putabat; omni ope adniſus eſt, ut is reduceretur; ſatius ratus aliquo eſſe apud Reginam loco, qvàm nullo, Qvod & facilè perfecit. Cæterùm qvam ex amatoris reditu

hau-

hauriebat Regina voluptatem, eadem Regis mariti tædium & averſationem & poſtremò odium animo ipſius inſinuavit. Unde ille ignominiæ & ludibriorum, quibus ſæviebat quotidiè infenſa uxor, impatiens in Galliam abiit, ibique monaſticam vitam profeſſus eſt. Jamqve læta viduitas Joannæ contigiſſe videbatur: cùm ecce denuò Pontifex illi ſuccenſens, quòd Braccium Eccleſiæ hoſtem ad ſua ſtipendia acciviſſet, Ludovicum Andegavenſem ad ſuſcipiendum regnum vocavit. Unde Regina conſiliorum egens in ultimum ſubſidium Alfonſum Aragoniæ & Siciliæ Regem filii loco adoptavit. Sed mox ſimultate inter illos ortâ, & irritâ factâ prætextu ingratitudinis adoptione, in locum ejus evocavit Ludovicum, quem diximus. Opinio eſt, non magis ut haberet quem Alfonſo opponeret, quàm ut Caraccioli nimios ſpiritus cõpeſceret, animum ad Ludovicum paulò antè hoſtem vertiſſe. Quippe is ex familiari-
tate

tate ſumpta arrogantia& mox contemptu reginæ parum ejus dignitatis reverens videbatur. Et aderant callidi in aula homines, qui adhuc dubitantē iraſci propellebant. Nondū odio erat ille, ſed amari deſierat: cùm tandem ſupervenit, quod exitium maturavit. Vetus illi cupido erat, filium ſuum evehendi ad Salernitani principatus dignitatem; qua de re cùm appellaſſet Reginam; certus, ut opinabatur, haut refragaturam: illa, cujus animū, ut diximus, Caraccioli ſuperbia, & invidorum ſermones mutaverant, repulit nimia petentem. At ille non aſperitate modò verborum, & intemperantia linguæ; verùm etiam, ut ferebatur, alapâ repulſam ultus eſt. Quare Regina ingentem animo iram coquens cum fidiſſimis conſilium iniit capiendi hominis. Committitur negotium quibuſdam ex præcipua nobilitate: qui, ne regina inſita levitate animum mutaret; & Seneſcalli, ſi priſtinum gratiæ locum reciperet; vin-

vindictam veriti, tutius eſſe ſtatuerunt occidere. Præmittitur quidam Germanus Reginam ex Auſtria ſecutus: qui ædium foribus immaniter pultatis reginam ex catharro in vicinia mortis agere nunciat: Reſeratâ portâ irrũpunt conjurati; & proſtratum humi Caracciolum aliquot vulneribus conficiunt. Hic fuit exitus hominis, qui dum per flagitium partâ potentiâ ſuperbè, & in illius, cujus eam beneficio habebat, contumeliam utitur, non magis alieno ſcelere, quàm ſuâ ſtultitiâ periit.

Domitius Corbulo Prætura functus de L. Sulla nobili juvene queſtus eſt apud ſenatum, quòd ſibi inter ſpectacula gladiatorum loco non deceſſiſſet.] Otioſa quæſtio eſt, virtus nobilitati, an hæc illi præſtet? Nec enim vera nobilitas alia quàm virtutis notâ à plebe diſcriminari debet. Et antiquitus honor & cultus & nobilitas in virtute præcellentes delatus ab iis, qui ad tam ſanctum ſplendorem obſtupeſcebant. Hoc priſcis tempori-

bus

bus unum erat remedium emergendi è latebris vulgi, cùm omnes initio pares eſſe natura juſſiſſet. Idem deinde honos nobilium filiis habitus; primùm à paternis clientibus, deinde ab omnibus, qui ineſſe in iis ſemina paternæ virtutis arbitrabantur. Ita virtus erat, quæ nobiles faciebat. Nunc qui propriâ deſtituti virtute nihil aliud ad ſui commendationem habent quàm inanem majorum memoriam, quem honorem, quem cultum merentur? Venerabilis iſta majorum virtus ex qua præter memoriam nihil in poſteris ſupereſt, ſimilis eſt magnificentiſſimis ædibus, ex quibus præter latrinam nihil ruina aut incendium reliquum fecit.

Illud etiam hîc notandum venit, ægrè ſeniores juvenibus cedere; adeoque imprudenter juvenes admoveri muneribus, & dignitatibus, quibus etiam ſenes ſubjecti ſunt. Novimus quàm benè Sebaſtiano Venerio cum Joanne Auſtriaco convenerit: cùm ille hunc

pue-

puerum, hic illum importunum ſenem appellarent. Pro Venerio ætas, pro Auſtrio impoſita dignitas erat. (*v. M. Ant. Gratian. 4. de bell. Cypr.*) Fit etiam interdum, ut ſenes parere indignentur; & juvenes jubere erubeſcant &c.

Haud perinde publicè uſui habitum, quam exitioſum multis.] dixi ad lib. 1. verb. *Granium Marcellum &c.*

Ne quem magiſtratum ſua uxor comitaretur &c.] de hoc conſilio aliisq;, quibus corruptionibus ſordibusque jus dicentium obviam iri poſſit, plenè dixi ad lib. 11. verb. *Inter quæ L. Piſo ambitum fori &c.*

Bellum formidine morentur] Ridiculum eſt, quòd cum in exercitibus bellisque omnia in horrorem terroriſque imaginem compoſita ſint; videanturq; & audiantur ubique arma, viri, equi, turbæ, tympana; ultima in vilia ſcorta deſinant. In caſtris Romanis capitale erat eſſe feminam: ſicut demonſtrat in Antiquitatum libris Thomas Dempſterus:

ſterus:cujus viri nuperrimæ morti non poſſum,quin hîc ingemiſcam.

Sævum,ambitioſum poteſtatis avidũ.] Egregia encomia mulierum, à viro profecta,cui concors conjugium,& ſex ex una liberi. Quid Socrati ſimilis de Xantippe aliqua diceret?

Caſtigatis obliquè patribus, quod cuncta curarum ad Principem rejicerent.] Erat hoc dominationis arcanum;Senatum privatarum cauſarum judicatu obtinere ; quò Principes dominatu liberiùs fruerentur. Tac.infr.hoc libro. *Sed Tiberius vim Principatus ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat, poſtulata provinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo.*

Avunculum eſſe Sejani Blæſum, atque eò prævalidum.] Digna Manio Lepido, quem Auguſtus capacem imperii (*Tacit.* I. *Annal.*) haud vanè dixerat, prudentia,*cedere majori*, & donare, quod bonis conditionibus vendi nequit.Stolidæ præſumptionis eſt,cõpetere cũ iis, qui potentiorũ favore nituntur. *Ne;*

Neque quemquam in Capitolium, aliave urbis templa perfugere, ut eo ſubſidio ad flagitia utatur.] Scimus tamen hodieque quibuſdam in locis vetuſtatem aſylorum magis tutam improbitatem præſtare, quàm juſtis ſolatiis explicare humanitatem. Ita ipſa Dei templa ſcelerum cuſtodiam agunt, ad audaciam novorum facinorum, & infamiam religionis. Statuebantur primitus aſyla, & in illis ſecuritas erat, qui non tàm ſcelere noxii, quàm humana imbecillitate lapſi veniam & miſerationem, quàm pœnam merebantur. Nunc flagitia hominũ, ut Optimi Maximi Dei cæremoniæ proteguntur. (*Tacit. infr. hoc. lib.*) Modus igitur præſcribendus; & hominum non item ſcelerum ſecuritati providendum eſt.

Neque luxus in juvene adeò diſpliçebat, huc potius intenderet diem ædificationibus, noctem conviviis traheret, quam ſolus & nullis voluptatibus avocatus mœſtam vigilantiam, & malas curas exerceret.]

ret.]Ita hominum judicia ſunt, in juvenibus lætam voluptatibus adoleſcentiam excuſare; contrà querulam ſemper ſenum naturam, & faſtidientem omnia cenſuram damnare. Ut enim arbores, quæ multo ſucco in inutiles ramos exuberant, tandem matureſcente illa luxuriè feliciſſimos proventus alere poſſunt; ita juvenes nimio æſtu exultantèm liberumque animum nactos, tandem juſta & ad ſapientiam ſufficiente moderatione reſiſtere. Senes, dum preterita tempora ſola beata predicant, dum juventutis exerrantem, ſed in orbitam olim redituram licentiam damnant, validioribus plerumq; vitiis obnoxios eſſe: tunc mala conſilia, *iram, & ſimulationem, & ſecretas libidines* (*Tac.* 1. *annal.*) agitare, tunc improbas cupiditates ordinare, &c.

Ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: & poſt: *per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerebant*: & poſt: *egregium reſumendæ libertati tempus &c.*]

Duæ

Duæ ſunt præcipuæ regnorum peſtes, Ambitio, & Deſperatio. Sed hæc illâ pejor, quippe ambitio occaſionibus intenta lentioribus procedit conſiliis, quibus oviam iri poteſt; deſperatio ultimis conſiliorum præcipitiis, quibus *aut petit aut perdit*, animum aperit. Sed abrupta illa conſilia vel ex imminentium metu procedunt; vel ex æris alieni magnitudine. Ex flagitiis ac pœnæ metu ſanè maxima peccandi neceſſitudo eſt. Tunc igitur *periculis per pericula quærere remedia* & manifeſtis flagitiis *ab audacia ſubſidium petere* optimum dicitur. Quibus *ambigua domi res,* (*Tacit.* 1. *hiſt.*) *& afflicta fides in pace eſt, turbatis rebus alacres, & per incerta tutiſſimos ſe putant* (*Tacit.* 1. *hiſt.*) *domeſticis malis excidium patriæ opponere.* (*Tacit.* 5. *hiſt.*) *& privata vulnera, Reip. malis operire* ſolent (*Tacit.* 1. *hiſt.*) Publica quiſque ruinâ mavult occidere, quàm ſuâ proteri. Qui in Domitiani necem conſpiravit, interceptarum pecuniarum

reus fuit, (*Sueton. in Domit. c.* 17. In Gallia Sylvanus deſperatione ad rebellionẽ compulſus. (*Ammian. Marcell.* 15.) Catilinam Saluſtius, & C. Cæſarem Plutarchus & Suetonius, ære alieno coactos tyrannidem affectaſſe teſtantur. Sed hujus farinæ hominibus ea conſuetudo eſt, privatis neceſſitatibus aut ambitioni libertatem & tyrannidis depulſionem obtendere. Nec quiſquam alienũ ſervitium & dominium ſibi concupivit, ut non iſtud gratioſum in vulgus libertatis vocabulum uſurparet. Ut imperium evertant, libertatem præferunt: ſi perverterint, libertatẽ ipſam aggredientur. Sed quacunq; ſpecie ſcelus tueri & ornare moliuntur; diu eſt, quod eandem alii rebelles maculaverũt. Sandrocottus poſt mortem Alexandri Magni velut cervicibus jugo ſervitutis excuſſo, præfectos ejus occidit. Author libertatis fuerat: ſed titulũ libertatis poſt victoriam in ſervitutem vertit, ſiquidem occupato regno populum, quẽ ab

ex-

externa dominatione vendicaverat, ipſe ſervitio preſſit. (*Iuſtin. lib.* 15.) Arminium pro libertate pugnantem favor habebat: ſed idem pulſo Moroboduo & adſcedentibus Romanis regnum affectans libertatem popularium adverſam habuit. (*Tac.* 11. *annal.*) Vice comites, patritii Mediolanenſes immanibus illis partium ſtudiis, quæ totam Italiam in Guelforum & Gibellinorum nomina dividebant, pulſis Guelfis, civitatis dominationem occupaverunt (*Guicciard* 1. *hiſt.*) Olim in Friſiis, quod animo quiſque ſuo minus honeſtum conceperat, id penitus abditum honeſtiſſima ſpecie ſtudii defendendæ libertatis popularis obtegebat. Omnes bonum publicum jactabant; plerique ſub hac larva ſuos affectus, ſuamque cupidinem in aciem producebant. (*Vbbo Emm.* 21. *&* 22 *hiſt. Friſ.*) Gallici regni proceres nefandam contra Regem ſuum conſpirationem *boni puclici bellum* appellabant. (*P. Æmil.* 10.) Solent hi tales gen-

gentium turbatores *per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerere*. Ad præcipua oppida non uno prætextu divertentes, magiſtratus in ſecreto, aut exhibito convivio hilariores monent, ne publicam libertatem prodant. Peſſimis conſiliis infeſtari patriam, meminiſſent ſe in regno, non ſub tyrannide eſſe. Nec in principem quicquam addunt, niſi ita perplexè, ut vel ipſi id poſſint excuſare. Cùm his verbis incitatos vident, quaſi familiarius agentes imperfectum aliquid inter ſuſpiria, vel publicè, vel præcipuis in aurem loquuntur; ut piâ ſolicitudine plura timere videantur, quàm quæ audeant evulgare. Inde plurimi in hos, ut patriæ columina aſpicere, curâque ſubtriſti Principem faſtidire occipiunt: cùm præſertim jactetur plerumque in populis, nunc contemptis popularibus ad publica negotia acciri peregrinos; qui nobilitatem & avitas opes jactantes domi æterna majorum vilitate, vel furnariis purgandis (*Rauch-*

fangkehrer, Caminfeger) vel aliâ miniſterioꝛum ſorde ſuſtentaverint jejunæ vitæ ſupplicium: nunc tributa & portoria augeri: cædes denique imminere ab infeſto Principe. His artibus in civile bellum impulſi miſeri non ſentiunt ab initio, graviora ſe ſub rebellibus pati, quàm antè ſub regibus toleraverant. Tandem errore diſcuſſo, quid rebelles ſint, & quid Rex fuerit, triſtiſſima æſtimatione penſant; cum non agnoſcit utilitatem promiſſam patria multâ ſtrage deformis. Pellitur pietas, jura negliguntur. Infidæ ſunt euntibus viæ: domus vicique paſſim rapinis furore, incendio affliguntur, ſola denique caſtra in ſqualentibus campis fulgentia. Ac ut membra, quæ violentia de naturali ſede demovit, non niſi per violentiam in articulos ſuos redeunt: ita provinciæ quæ hoc modo ab obſequio divertebant, priùs errorem multis cladibus expiare neceſſe habent, quàm antiquæ & à ſe projectæ rectitudini reddantur.

De

De continuatione tributorum.] Hæc frequentiſſima omnium ab omni ævo rebellionum cauſa:de qua dicam ad lib.4.

Tulere auxilium,quò diſſimularent defectionem.] Ea civilium armorum conditio eſt,ut rebellium duces nō omnes ſuos ad aperta facinora educant.Aliqui remanent circa Principem ; lævis animis & illinc quidem militant,iſthinc favent.Sic infeſta omnia Principibus,infidæ procerum ſententiæ ; conſilia ad hoſtem delata , neque domi quàm in campis minus periculum.

Aſpernatus eſt indicium aluitque dubitatione bellum.] nihil tutò in hoſte deſpicitur : quem ſpreveris, valentiorem negligentia efficiet. (*Q. Curt.*6.) Viri fortis eſt,ut nihil timere , ita nihil contemnere.(*Liv* 6.)

Nobiliſſimam Galliarum ſubolem, liberalibus ſtudiis ibi operatam (occupaverat) *ut eo pignore parentes, propinquoſq; eorum adjungeret.*] Egregia firmandi

principatus, tenendique in officio populos ratio. Simile Alexandri conſilium eſt, qui Indiam & inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo, quod deſtinata impedire poſſet, moveretur, ex omnibus provinciis xxxcIↄ. juniorum legi juſſit; oſides ſimul habiturus & milites. (*Q.Curt.*8.) Hannibal parto Hiſpaniæ Regno, quò res ſuas Carthaginenſiumque firmaret, ex interioribus civitatibus delectæ juventutis aliquot millia Carthaginem, non tàm præſidium, quanquam id prætendebat, quàm obſides fidei Hiſpanorum miſit, (*Polyb.*3.) C. Cæſar occupatâ aliquâ urbe arma, equos, obſides exigebat; obſides legens omnes, qui aut manu prompti, aut boni conſilio videbantur. In Britannos expeditionem movens robur Gallorum ſecum abduxit. Xenophon Seuthæ Thracum Regi ſvavit, à Thinis, populo nuper à ſe victo, obſidum loco acciperet, quibus ad lædendum plurimum eſſet virium (*Xenoph.*7.*de exped.*

ped.Cyr.min.) Auguſtus Cæſar à quiquſdam novum genus obſidum, fœminas exegit; quod negligi marium pignora ſentiebat. (*Sueton.in Aug.* 21.) Commodo Imp. mos erat retinere apud ſe liberos illorum, qui in provincias abibant. Et Philippus I. Franciæ Rex Procerum Vaſconum liberos per ſpeciem honorum aulicæque gratiæ pro obſidibus abduxit. (P. *Æmil.* 3.) Et in Æthiopum Regis aula, regum ſtipendiariorum filii, prætextu militiæ & miniſtrorum palatinorum, re autem vera obſides educantur. Heraclius Imperator, quatuor millia delectæ juventutis ex Saracenorum nobilitate excitos militi ſuo junxit, per ſpeciem militarium munerum; re ipſa habiturus obſidum loco. (P. *Æmil.in Dagob.* Carolus Magnus Friſiorum à ſe devictorum militare robur in expeditionem contra Saxones aſſumpſit. (*Vbbo Emm.* 4. *hiſt. Friſ.*) Polybius (*lib.* 1.) Carthaginenſium imprudentiam arguit, quòd mercena-
 rio-

riorum, quibus cum poſtea bellum ipſis fuit, uxores liberosque dimiſerant: quibus obſidum loco uti potuiſſent. Denique Guicciardinus (1.*hiſt.*) Piſanorum rebellionem, quæ cùm Carolus VIII. Galliæ Rex cum exercitu in Italiam venit cœpit, præcaveri potuiſſe à Florentinis ait, ſi illi, quod alias in leviſſimis moribus ſoliti erant, Piſanorum præcipuos Florentiam evocaſſent.

Non multum huic arti diſſimile eſt illud Sophiſma, quo Hiſpaniarum Rex Genuenſes tendet; quoque primum Carolus V. Imp. uſus eſt. Cùm enim ille Andreâ Auriâ intercedente arcem urbi imponere, hoc eſt jugum civibus nō poſſet; (*Carol. Sigō. 2. de vita Andr. Aur.*) Genuenſium pecuniam, quâ ferè illorum opes conſtant, mutuò ſumpſit, eamque gravi fœnore pavit: ſicque hominum quæſtus dulcedine illectorum opes ſenſim ad ſe contraxit; & urbem in ære ſuo, hoc eſt civium ſtudia in poteſtate habuit. (*Thuan.* 61.) Et hoc

re-

reſpectu hodieque liberiùs Genuenſibus quam Mediolano imperare Hiſpaniarum Regem aſſerit Thomas Campanella (14.*de Monarch. Hiſpan.*) cùm Genuæ nihil decernitur, niſi volente aut ſciente Rege: verentibus civibus, ne, ſi ſecus faciant, poſſeſſionibus & reditibus quos in Hiſpania habent amplisſimos, ſpolientur. Simili ratione Raguſiis hodieque Turcarum Imperatorem, & olim Florentinis Galliæ Regem imperaſſe idem Camp. teſtatur. Et eadem arte olim Leuconem uſum, Polyænus (*6. ſtratag.*) Eumenem Plutarchus (*in Emm.*) ſcribunt. Verùm, quod de Hiſpanis, dixi; ſanè ita erant ſuperiori ſeculo decantati Hiſpaniarum theſauri, ut ſtuperent timerentque tantam opum vim ceteri etiam armati Principes. Sed multa ſunt, quæ ſolâ famâ ſtare priſtinas divitias evincunt. Quid enim? cur tanto ſuo cum diſpendio à Genuenſibus mutuas accipi pecunias Rex? Scilicet, ajunt, ut ita velut pignori nexã

habeat illius Reip. fidem. Sed quærere libet, cur, ut pignori teneat Rex Genuenſium animos, pignori mancipet regnorum ſuorum reditus, tres aut quatuor annis antè, quam ipſe eos perceperit? quæ politica, quæ œconomica ratio hoc præcipit? cur uſuras ſtipulantibus Genuenſibus promittit tam magnas, tam enormes? cur tot ab Hiſpanicis exercitibus ob non repræſentata ſtipendia audiuntur querelæ? tot ſeditiones? tot defectiones? Ego ſanè aliorum relationibus didici, ex Indiis annuatim vix, ut nos numeramus, tres milliones ad Regem, reliqua ad privatos ſpectare: ipſam Hiſpaniam ſterilem & deſolatam: Eccleſiaſticos decimis ac ſubſidiis nimis gravari: regni Proceres magnam partem decoxiſſe; denique Hiſpanos mercatores petenti Regi vix quingenta millia aureorum contribuere poſſe; ut ære alieno, quo Carolus V. & Philippus II. ſpontè obſtricti Genuenſes tenebant, hodiè Rex Hiſpaniæ Ge-

Genuenſibus inevitabili neceſſitate teneatur.

Odio præſentium & cupidine mutationis ſuis quoque periculis lætabantur.] Extremum malorum, deploratæ reip. argumentum, ubi tædio odioque præſentium & mutationis cupidine ſuis quoque periculis lætantur afflictæ gentes, miſeram pacem vel bello benè mutari arbitrantes.

Intolerantior ſervitus iterùm victis.] Quippe durioribus conditionibus jugum iteratò ſubeunt. Et inde Principes, qui reſtrictâ poteſtate certiſque legibus imperant, callidâ arte rebellionum initia non ſtatim reprimere, ſed *alere dubitatione* ſolent: quò deinde victis & deprehenſis in ſcelere, quaſi jure belli adimi immunitates, & quibus ſuperbiebant, privilegia auferri poſſint.

Quantò pecunia dites & voluptatibus opulentos, tantò magis imbelles.] Mercaturæ exercitium, cum ſolo lucro fines ſuos metiatur, abjectos facit animos, o-

dio habet bellorum diſpendia, & vitioſum pacis deſiderium ingenerat. Ex quo conſequitur, urbes populoſas artium manuarium & mercimoniorum exercitio facile in officio contineri. Harum enim maximè intereſt, eſſe pacem, cujus beneficio negotia florent, vigētque, nec ullis carminibus aut incantamentis feliciùs populorum benevolentia conciliari poteſt, quàm pace & diteſcendi ſubminiſtratis occaſionibus. Itaque parùm illi Reip. ſuæ converſiones animadvertunt, modò mercaturæ ſuæ utilitate & lucri dulcedine non priventur. Alterum quod hic noto, eſt, bella, quæ cum Rebuſp. à Regibus geruntur, trahendo & cunctando plerumque felicia Principibus exire. Quantumcunque enim illa cupidè decernantur: tamen ſuſcepta ob ſumptus (quos naturaliter civitates horrent) moleſtias & commerciorũ impedimẽta mox gravia eſſe incipiunt. Indeq; vel ob ſtipédia parcè præbita, vel commeatuum inopiam,

piam, vel parùm amicam de ducibus opinionem, quos plerumq; aut conſpirare cum hoſte, aut ſui commodi cauſa trahere bellum ſuſpicantur, quãtumvis magnos exercitus diſſolvi neceſſe eſt. Tertium, quod hîc obſervo, eſt; longè aliam veteribus, Imperatorumq; conſtitutionibus cauſam fuiſſe, cur Nobilibus mercimoniis interdiceretur, quàm hodiernis Gallorum, Germanorum, Sarmatarum, Hiſpanorũ moribus, negotiationibus Nobilitatem excludentibus. Majores noſtri mercaturæ exercitium dignioribus ideò nõ concedebãt, quia *pernicioſum urbibus*, & potentiam nobiliorum obſtituram commerciorũ libertati cenſebant. (l. 3. C. *de commerc.*) Noſtris autẽ perſvaſũ eſt, vile, atq; nobili generoſitate indignũ iſtud eſſe exercitium. Quæ opinio, non tam quòd omninò vera ſit, quã quod ea principũ arte primùm ſeminata, nunc etiam alatur, invaluit. Cùm enim illi magnitudinem ſuam atqve ſecuritatem in armis

conſiſtere ſciant; nec ignorent, Nobilitatem ſemel deguſtatâ lucri ex mercimoniis provenientis dulcedine abjectis armis negotia mercatilia ſectaturam: neceſſarium fuit, eam illis ſententiam paradoxo proximam infundere, quâ acquirere ſibi emendo vendendoque vile & abjectum, aliis latrocinari glorioſum eſſe crederent. (v. *Bocc. cent.* 2. *cap.* 39.)

Neque decorum Principibus ſi una alterave civitas turbet, omiſſa urbe &c.] v. not. ad librum 1. verb. *non omittere caput.*

Auctorem C. Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat] v. quæ dixi ad lib. 2. verb. *inviſus Tiberio, quod cum Rhodi agentem &c.*

Sed cæteris haut læta memoria Quirinii erat.] Falluntur Principes, qui quâ indigni quidam apud illos gratia florent, eandem apud omnes eſſe arbitrantur.

Vana à ſceleſtis, dicta à maleficiis differunt.]

runt.]Ita ſ.lib.1.*facta arguebantur, dicta impunè erant* v.quæ dixi ad lib. 1. verb. *immotum adverſus eos ſermones &c.*

Neque carcer, neque laqueus &c.] Egregia ratio monendi potentiores; nõ intempeſtivis contradictionibus,& contumaci libertate illos irritare, ſed quo ab inſanis audiamur pacatiores, primum eoſdem ſimulare affectus.Nec enim ita ſub primum impetũ ullâ prudentia conſiliove tractabilis eſt. Hoc modo Otho Marium Celſum ad ſupplicium à militibus expoſtulatum, ſimulatione iræ vinciri juſſum& majores pœnas daturum affirmans præſenti exitio ſubtraxit.(*Tacit.*1.*hiſt.*)

Factum Senatuſconſultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque ſpacium vitæ damnatis prorogaretur.] Theodoſius Imperator triginta dies à die latæ ſententię conſtituit,intra quos ſententia capitalis executioni non mandaretur. (l. 20. C. *de pœn.*) Imperium nihil eſt, niſi cura ſalutis

tis alienæ:bonique moderatoris eſt reſtringere poteſtatem, reſiſtere cupiditati,& implacabili iracundiæ;noſſeque, ut Cæſar Dictator ajebat,miſerum eſſe inſtrumentum ſenectutis recordationem crudelitatis:ideoque de vita & ſpiritu hominis, qui divinitatis pars eſt laturum ſententiam diu multumque cunctari debere , nec præcipiti ſtudio, ubi irrevocabile factum eſt,agitari. Apud Proconſulem Aſiæ Dolobellam Smyrnea materfam.filium proprium& maritum necaſſe confeſſa eſt, quòd filium ſuum ex priore matrimonio ſuſceptum ab eis occiſum comperiſſet: & comperendinata, cùm conſilium, ad quod ex more delata eſt, anceps quid inter ultionem & ſcelus ſtatui debeat, hæſitaret, ad Areopagitas miſſa eſt. Hi causâ cognitâ centeſimo pòſt anno cùm accuſatore mulierem adeſſe juſſerunt: ne aut abſolverent veneficam, aut filii ultricẽ punirent. Ita nunquam tardum exiſtimarunt, quod eſt omnium ultimum

(*Am-*

(*Ammian. Marcell. 29. Valer. Max. 8. c. 1. A. Gell. lib. 12. c. 7.*) Cunctator eſſe debet, qui judicat de ſalute hominis. Alia ſententia poteſt corrigi; de vita tranſactum non patitur immutari. (*Caſſiododor. 7. var. 1.*) Laudandus igitur Mauritius Imp. tardiſſimus ad irrogandã capitis pœnam; quod delicta pœnitentiâ quàm ſupplicio ſanari melius putaret (*Theophilact. Simocatt. 1. hiſt.*) In quam ſententiam etiam apud Thucydidem (*lib. 3.*) eſt elegantiſſia Diodati Athenienſis oratio, lectuque digniſſima.

Adverſum luxum, qui immenſum proruperat, ad cuncta queis pecunia prodigitur.] Quod idem ſanè de noſtris tẽporibus verè dici poteſt. Galli, Germani, Itali, Hiſpani, Sarmatæ præcipuè luxus infamia laborant. Sed in his populis alibi procerum tantùm & nobilitatis id malum eſt, alibi etiã ad oppidanos homines pervenit. *Creverunt eluvies, & gurgites prærupti conviviorum, & epulares triumphi, uſuſque abundantis ſerici;*

ci;& textiles aucta ſunt artes, & culinarum ſolicitior cura; & ambitioſa ornatarum domorum ſunt ſpatia. (*Ammian. Marcell.*22.) A ſerico perventum eſt ad aureas & argenteas veſtes; ab his ad texta ſerica, quæ margaritæ & varii generis lapilli implent per ſuos colores diſtributi. Quid catenas dicam, & gemmea cingula, & adamantinas fibulas, & bina ternaque patrimonia mulierum auribus pendentia? & ferventia ſaltantibus equis ſtabula, & miniſtrantium exercitus? & quid non? Digna principibus imò neceſſaria cura foret, providere, ne dites familiæ, aut claritudine inſignes ſtudio magnificentiæ prolabantur. Sed opinor, ex aliorum inopia ſecuritatem ſibi conciliari nunc perſuaſum eſt Principibus.

Omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adſequi, ut palàm fieret, quibus flagitiis impares eſſemus.] Nocet ſæpè antiquus rigor, & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus. (*Tac.* 1. *hiſt.*)

Ele-

Eleganter de dictatore Sulla Lucanus: (*lib,2.*)

--dumque nimis jam putrida membra
recidit.
Exceſſit medicina modum: nimiumque
ſecuta eſt,
Qua morbi duxere, manus, perire no-
centes,
Sed cùm jam ſoli poſſent ſupereſſe nocen-
tes.

In omni vitæ genere ſunt, quæ à priſtina ſanctitate & majorum innocentia ita degenerarunt, ut coërcitio fortaſſis plus damni in Remp. latura ſit; prævalidis ita & adultis vitiis, ut qui ulcus hoc tangat, non aliud effecturus ſit, quam ut palàm fiat, quibus vitiis impares ſimus. Non poſſum hoc efficaciùs dicere; quam expreſſit hac ſua ad Senatum oratione Tiberius: quæ tamen de ſolo luxu eſt, & ſumptuariæ legis contemptu. Sed alterum quoque exemplum eſt in militia noſtra, quæ in tantam degeneravit licentiam, ut nullis modis ad

vete-

veterem diſciplinam revocari poſſe videatur. Quippe connivendo intenduntur flagitia, & ſeveritatem non fert inveterata licentia. Marchio Marignanus, præſtantiſſimus ducum, qui ſuperiori ſeculo floruerunt, quòd duos ex tribunis, meritos ſanè, in quibus exempla faceret ſupplicio capitali affeciſſet, adeò cæteros offendit, ut multi duriciem ejus, & perpetuos labores cauſati miſſionem flagitaverint. (*Io. Bapt. Cin. v. de vita Coſmi.*) Pius V. Pontifex maximus, cùm mulieres, quæ corpore quæſtum Romæ faciunt, certæ urbis regioni incluſas degere juſſiſſet; ex eo ſæpiùs monitus eſt, adulteria, inceſtus, & cætera quæque infanda frequentiùs patrari.

Divites ſatias in meliùs mutet.] Quanquam ea inveterati hujus mali vis eſt, ut mediocribus remediis ſiſti non poſſit: attamen Principis exemplum fortaſſis validius eſſet, quàm pœnæ ex legibus & metus. En morbum Tiberii judicio præ-

validum & omni medicina fortiorem Veſpaſianus ſuſtulit; non pœnis, non legibus, ſed ſuo exemplo: antiquo ipſe cultu, victuque Obſequium inde in Principem & æmulandi amor. Alterum conſilium eſt, pœnas luxui ſtatuere, & omnibus rebus quibus ille inſtruitur, vectigalia tributaque imponere: utique multò majora, quàm frumento, cæteriſque rebus, quibus neceſſariò etiam pauperes utuntur. Quidam odio habebunt inſaniam tanti emendam: aut ſi nec tunc reſipuerint, ſaltem ex prodigalitate ſua jactantium etiam ad Principem pars perveniet.

Magnitudo famæ exitio erat] v. quæ dixi ad lib. 2. verb. *cæterum Tiberio haut &c.* & ad hunc lib. 5. verb. *fato potentiæ &c.*

Obſequium inde in principem & æmulandi amor &c.] De principis exemplo ejuſque vi in animis civium nemo eſt, qui non aliquid adnotaverit. Ego igitur, in quibus ab aliis præventus ſum, non tango. *Ne-*

Ne Regis aut dictatoris nomen aſſumeret] v. quæ dixi ad lib. I. verb. *eadem magiſtratuum vocabula.*

Ne ſucceſſor in incerto foret] v. quæ notavi ad lib. I. verb. *ſubſidia dominationi.*

Nec omnia apud priores meliora.] quod eleganter, ut omnia, demonſtrat in principio libri ſecundi Balthaſar Comes Caſtilionæus, & ſingulari opere Secundus Lancellotus Peruſinus. (*in libro quem Hoggidi inſcripſit.*)

Ad diſquiſitionem patrum mittendo] v. ſ. lib. I. verb. *Eadem magiſtratuum vocabula.*

Impunitas aſyla ſtatuendi] dixi s. hoc eodem lib.

Non ex rumore ſtatuendum.] Cùm Delphidius orator, documentorum inopiâ apud Julianum exclamaſſet: Ecquis Cæſar, nocens eſſe poterit uſquá, ſi negare ſuffecerit? Julianus reſpondit: Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet? (*Amm. Maarc. adde l. ult. C. de accuſat.*

Ex-

Excitari quoſdam ad meliora &c.] dicam ad lib. 6.

Et Pontificis maximi arbitrio plus quã binoctium abeſſet: dum ne diebus publici ſacrificii, neu ſæpius quàm bis eundem in annum.] Tanta cura ſacrorum fuit, etiam qui nulla ſacra habebant. Nunc *beneficiati* interdum Eccleſiis ſuis penè tàm rari ignotique ſunt, quàm Hiſpaniarum Rex populis, quos in Indiis imperio ſuo tenet. Paulus IV. Pontifex vitam religioſam profeſſis in cœnobia, unde qualibet ex cauſa exierant, præſtitutâ die nulla mora aut excuſatione adhibita, redire præcepit: ni id facerent, à ſacrorum communione excluderentur; quæ ſacerdotia obtinerent, Apoſtolicæ ſedi cederent; obtemperare detrectantibus, ut ab aliis internoſcerentur, pileo aut galero lineum album filum imponere juſſit. Adeòque ſeverè in eo edicto exequendo enitebatur, ut complures in Pontificis ditione ſatellitum manu in vincula truderentur; alii

in triremes conjicerentur. Sed tanta ex ea lege hominum turbatio ac tumultus Venetiis maximè, quam urbem, qui edicto parere nolebant aut non poterant, ad triginta millia, ut tutiſſimum perfugium elegerãt, exortus eſt, ut plerique deſperatione adacti in Turcarũ oras proficiſci, vel in Germaniam migrare ſtatuerent; quidam in ædibus deliteſcentes rei exitum, ac Pontificis propinquum lethum expectarent. (*Andr. Maurocen.* 8. *Hiſt Venet.*

Pompeji theatrum igne fortuito hauſtum (Cæſar extructurum pollicitus eſt.) Auguſtus inveniſſe Romam lateritiam, & relinquere marmoream gloriatus eſt. (*Suet. in Aug.*) Et ſanè ædificandi ſtudium non ſolùm ingenuam quandam habet voluptatem, ſed & magnificentiam principum auget, cives ad architecturam, ſculpturam, picturam aliaſque egregias artes excolendas invitat, pauperes denique inde quotidiano labore victum ſibi procurant. Vias publi-

publicas lapidibus ſternere, flumina pontibus jungere, muros civitatum reficere, adque eam redigere ſecuritatem, quam diabolicæ oppugnandi artes atque inſtrumenta hodiè requirunt; munimenta locis opportunis, templa item & Noſodochia, Gerontocomia, orphanotrophia conſtituere, porticus & Bibliothecas aperire: denique ſiſtere ruinas, ſolitudinem pellere ingentia opera eodem, quo extructa ſunt, animo, ab interitu vendicare &c. Hæ ſunt ſtructuræ principis curas exercere dignæ. Inſania Neronis fuit, domum ædificare, in qua haut perinde gemmæ, & aurum miraculo eſſent ſolita pridem & luxu vulgata: quàm arva, & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſylvæ, inde aperta ſpacia & proſpectus.

Cæteros quidem ad ſpem alliceret, arma ſine noxa ponendi, ipſius Ducis quoquo modo potiretur.] Optima ratio ſimilia extinguendi incendia. Princeps

ceps furoris præteriti omnibus gratiam faciat, ſi qui defectionis pœnitentes ad ipſum tranſiverint. Quicquid hactenus eſt delictum, nullum forum, nullam legem vendicaturam. Hanc veniam ſuâ fide publicè ſanciat. Excutiet pleriſque iſta benignitas & in contrarium, ſi perſtiterint, metus, inſaniam. Multi per circuitus dilabentur. Hi commilitones ſequentur, illi trahent. Ducis ita deſtituti potiendi facilis erit aliqua ratio.

Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur.] dixi ad Principium hujus libri.

Præfulgebant Caſſius atque Brutus eo ipſo quòd effigies eorum non viſebantur.] Fruſtra laborat invidia conſpicuâs & laude dignas actiònes ſua malignitate obſcurare: & egregiis facinoribus *negatus honor gloriam intendit.* (*Tacit.4. annal.*) Labeoni quod præturam intra ſtotit, commendatio ex injuria, Capitoni, quod conſulatum adeptus eſt, odium ex invidia oriebatur. (*Tac. hic*)

Ælio

Ælio Lamiæ non permiſſa provincia dignationem addidit. (*Tacit. 4. Annal.*)

Finis Notarum politicarum in librum tertium Annalium.

C. CORNELII TACITI.

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ

POLITICÆ.

Ad Librum IV. Annalium

C. CORNELII TACITI.

C*Vm repentè turbare fortuna cœpit.*] Neſcio quo fato fit, ut nunquam fortuna eandem uni faciem uſque ad extremum vitę oſtendat. Nihil de Crœſo dicam aut Polycrate: quorum uterq; cùm felicitatem ſuam ipſi mirarentur, alter ſuſpendio periit, alter à vivicom-

burio parum abfuit. Carolus Magnus à Saracenis magna clade in deſcenſu montis Pyrenæi affectus: diſcere potuit, deficere ſuam fortunam. Nec Quinti Caroli ad extremum fida conſtansque fuit felicitas. Nam & per duces ſuos detrimenta accepit, & à Germanis fugatus, & Mediomatricum urbem fruſtrà tentavit. Suleimano denique ut valida in Rempub. Turcicam fortuna, ita domi improſpera fuit, ob æmulationes aut ambitionem filiorum, quos morte quoque punire neceſſe habuit. Sed nec in Perſas expeditio priori gloriæ reſpondit. Ita quæ in vegeta ætate viget floretque, in ſenibus marceſcit, felicitas.

Sævire ipſe, aut ſævientibus vires præbere.] Dicam ad librum ſextum, quî fiat, quod ſenes, in quibus langueſcere cholera debebat, ad crudelitatem inclinatiores ſunt.

Mox Tiberium variis artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſum alios ſibi uni

ni incautum inteℓumque efficeret.] Meritò miratur Tacitus, Tiberium tantâ experientiâ adeò à Sejano falli potuiſſe; hujusque rei cauſam non Sejani ſolertiæ, ſed Deûm iræ in rem Romanam adſcribit. Et ſanè indigna res eſt, Principes, qui ſæpenumerò non extraneorum modò, ſed filiorum quoque & proximorum ambitionem ſuſpectam habent, nec dominationis ſocium ullo modo ferre queunt; vel ſua ſtupiditate, vel aliena fraude eò adduci, ut ſe infamia faciant ſervorũ mancipia. Res miraculo proxima, illos, qui ante ſuſceptum principatum ſpriritus, ambitione inflatos, animum extremè dominationis ſitientem prætulerant, poſt, abdicato quaſi à ſe omni imperio, pudendâ metamorphoſi, omnem potentiam aliis tranſcribere Miraculũ, cujus non magis, quàm quòd magnes ferrum trahit, cauſam reddi poſſe Boccalinus ait. Ettamen exemplorum frequentia, cùm demere ſtuporẽ deberet,

auget. Ecce Galba trium nequiſſimorum arbitrio regebatur. (*Suet. in Galb.* 14.) Claudius ab uxore & liberis, ut à parvo Æthiopo Elephas circumagebatur.) *Sueton. in Claud.* 28.) Joanna I. Neapolitana regina ad Philippæ Catanenſis (fuerat hæc olim fullonis uxor, cujus hiſtoriam ſingulari libello ſcripſit Petrus Matthæus Galliæ Regis Hiſtoriographus) & Joanna II. ad illorum nutum imperabat, quibus corporis ſui inhoneſtam permittebat uſuram (*Guicciard. 1. hiſt. Scip. Amirat. in lib. de vita Ioannæ. II*) Conſtantius Imperator apud Euſebium cubiculi ſui præfectum plurimum valebat. (*Ammian. Marcell.* 18.) Franciſcus II. Franciæ Rex Guiſiis omnia tribuebat (*Thuan.* 24. 25) Apud Carolum V. Gonzaga, Meudoza, & Epiſcopus Atrebatenſis (cujus pater ferrario fabro apud Veſontionem in Sequanis natus erat. (*M. Anton. Gratian. lib. 1. de bell. Cypr.*) omnia poterant. (*Thuan. lib.* 8.) Carolus VIII. Franciæ Rex

Rex ad Guilielmi Briſſoneti & Stephani de Vers arbitrium vivebat. (*Guicciard. 1. hiſt.*) Suleimanus à Ruſtane Baſſa pendebat. (*Thuan.*) Clemens VII. Pontifex à Nicolao Scombergio Germano, & Ioanne Matthæo Gyberto, quò vellent, ducebatur. (*Guicciard.* 16) Philippus II. Hiſpaniarum Rex Antonio Perezio. (*Thuan. T. C. 9. de Monarch. Hiſpan.*) & Epiſcopo Atrebatenſi, (*Conneſtagg. 1. de Belg.*) nimium credebat. Philippus III. Lermæ Duci à ſervitiis erat. (*Euphorm. in Satyr.*) &c.

Sed quàm lubrico loco ſtent hi tales, quàmque ſint faciles cadere, ad ſuperiorem librum dixi. Nunc videamus, quid ex hac effuſè amandi caligine redundet, in ipſos Principes. Primum non opus eſt dicere, hos tales, de quibus nobis ſermo eſt, ferè majores ſpiritus ſumere, quàm quos deinde facilè coerceant ipſi rerum domini. De hoc enim ſatis abundè dictum eſt ad librum ſecundum. Tùm æmulos, aut pri-

oris aulæ veteres miniſtros variis cauſis,& alios per ſpeciem honoris removere laborant:ſuiſq; clientibus regiam implent. Qvomodo Sejanus inrepebat paulatim militares animos, adeundo, appellando:ſimul centuriones ac tribunos ipſe deligebat:neq; ſenatorio ambitu abſtinebat, clientes ſuos honoribus aut provinciis ornãdo. Ipſum qvoqve Principem ab intimâ publicarũ rerum cognitione,qvàm maximè poſſũt, excludunt. Nam tunc omnia tutiſſimè poſſunt,cum domini rerum ignoratione&credulitate in ipſos laborant. Sumâ induſtriâ adnituntur, ne qvis Principẽ propiùs adire, & erroris ipſum admonere poſſit. Præterea paulatim negotia, populi adcurſus, multitudinem adfluentium increpare, extollere laudibus qvietem & ſolitudinem artis eſt. Ita enimPrincipes plerumq;ad vitam amœnis locis degendam,ad hortorum villarumq; delicias ad venationis intemperantiam impelluntur. Tùm hi tales lite-

rarum

rarum ab exteris, à legatis miſſorum arbitri ſunt:hi peregrinorum Principũ oratores primi audiunt:hi deniq; nihil, quàm quòd placet, ad Principem referunt.In hac verò libertate, quas cũ exteris amicitias,ſi velint, nõ obruant aut injurias atq; fraudes præcorrupti non mulceant?Quippe tantę potentiæ vires clàm viciniPrincipes ſolent vel muneribus aggredi,vel;quòd valentiſſimũ ambiendi genus eſt, penè tanquã æquales ſic colere,ut vix intelligant ſe ſollicitari ad turpiſſimã ſervitutem. Favores,præmia,&honores,quibus aliorumPrincipum amicos quidã afficere ſolent,tentamenta ſunt fidei, quâ penè pluſquàm conjugali Principi ſuo tenentur miniſtri. Nam horũ animi, horum ſtudia ita cumPrincipis dignitate conjuncta eſſe debent,ut, quod pudicarũ mulierũ eſt, non modò non amare aliũ,ſed ne oculis quidẽ laſcivis intueri debeãt. Qui igitur muneribus,qui honoribus coli ſe patiuntur, tã pretioſo concuſſi fulgure

atque excæcati nihil præter tam munificum largitorem vident, eique ſe vel cum domini ſui proditione mutuas vices debere putant: aut, ſi leviſſimè ſcelerati ſunt, nec omninò his machinis conceſſerint, ſaltem debilitatam fidem non opponent illius conſilis, quem illicito fœdere ſic amabunt. Porrò cum illi, qui in immenſum regiâ manu ſubvecti ſunt nimiæ potentiæ invidiâ laborent, ſicque tegantur à Domino, ut peti niſi per illius latus non poſſint: licentius turbæ fiunt; Rex ipſe vellicatur, & ſub alieno nomine proterviùs vapulat: ac avaritiæ flagitiorumque alienoinfamiam ſubit. Denique nihil ad cæcitatis humanæ contemplationem flebilius eſt, quàm cùm Reges immenſis donis amari ſe putant: cùm potiùs, ſi quid in illis, quos ſic extollunt, veræ amicitiæ antè fuit, plerumque imprudens liberalitas extinguat. Quamdiu enim Regum amici ſenſu fruuntur lætæ quidem fortunæ, ſed modicæ, & velut fragi-

fragiliores hederæ arbore egent, in quam recumbant; tamdiu patronum incolumem volunt; vel quòd ab eo pendeant, vel ſaltem quòd ab ejus calamitate nihil utilitatis expectent. At poſtquam validiori trunco, ſuæ magnitudini nituntur, ſenſim ramos expediunt ab arboris nexu, quâ fulciente iverunt in altum; ut vel ea cadente ſtare ſublimes poſſint. Suas, inquam, res à Principis ſalute feſtinant ſejungere, quemque illi debent amorem, ſibi impendunt. Quippe Principem ſciunt ab amandi furore revocatum poſſe horrere ad ſuos errores, & quam condidit potentiam, ultrò metuere: deniq; propemodum eſſe fatale, ut poſtquam Rex ſummo illi faſtigio quemquam admovit, alteruter ruat. Jam tùm ergo ab ipſo cavere incipiunt, & futuræ æmulationis ſuſpicionem præſentibus dolis vendicant; eò commiſſa negotia flectentes, non quo Regis exiſtimatio vel utilitas inclinat, ſed unde ſibi ſecuritas in-

 for-

fortunam,&proditumRegem affulget. Unde Suleimanno Turcarum Imperatori dicere ſolemne fuit, Principem uno miniſtro non niſi ſemel uti debere. Fidem quippe miniſtri eò uſq; ſincerã eſſe,quo domini gratiam aſſecutus fuerit; poſt id non ultrà domini ſalutem, ſed ſuum commodum ſpectare. Et tamen fatendum eſt, hujus infidelitatis cauſam ſæpè in ipſis Principibus eſſe; quorum ingratitudo facit, ut miniſtri negotia flectant, unde ſibi utilitas redundat. Cùm enim Principes non niſi cùm pluit penulâ uti velint, & focum, quo ſe hyeme foverant,æſtate redeunte negligant;hoc eſt,cum non ultrà,quàm ipſorum operâ indigeant, ſuos miniſtros curent:illi quoque ita ſibi demandata negotia gerunt, quo ipſis nunquam carere dominus poſſit:aut, ſicut piſcator, ubi ſe ſatis opulentum videt, damnat ingratum laborem, retia rumpit,ſcapham comburit: ita qui in aulis rem fecerunt, malunt ad otium ſecedere,

dere, fruique partis, quam ſterilibus impoſterum officiis Principem demereri.

Corpus illi laborum tolerans &c.] v. s. verb. *copiaque & affluentia &c.*

Numeroque & robore & viſu inter ſe fiducia ipſis, in cæteros metus creſceret.] Nullum eſt contra militares ſeditiones efficacius remedium, quam ſpargere & dividere militem, nec unquam concedere, ut magnus exercitus ocioſus deſidens ſeipſum mirari poſſit. Ita Tac. 1. Hiſt. de Germanicis exercitibus: *ante bellum centurias tantùm ſuas turmaſque noverant: exercitus finibus provinciarum diſcernebantur: tùm adverſus Vindicem contracta legiones, ſeque & Gallias expertæ, quærere rurſus arma, novaſque diſcordias, &c.* & 2. hiſt. *fremere miles, & vires ſuas circumſpicere, ſeptem legiones ſtatim &c.* & eodem libro: *militari aſtu, cohortes turbidas, ac ſi unà forent, prævalidas, diſpergendi, partem Batavorum ire in ſubſidium jubet.* Druſus

ſus quoque Pannonicarum legionum ſeditionem ſuſpiciones ſerendo, legionem à legione diſſociando compreſſit. (*Tac. 1. An.*) Et Vitellius prætorianas cohortes, è quibus ipſi metus erat, ſeparavit. Sed quoniam ad librum primum de ſeditionibus & conjurationibus dicere omiſimus: operæ precium erit nunc quædam adnotare. Primùm illud ſciendum eſt, cùm periculoſa conſilia, quò accuratius perpenduntur, eò ſegniùs conſtitui atque expediri ſoleant: fieri plerumque, ut omnes conjurationes, quibus conficiendis aliquid ſpacii intercedit, evulgentur. Quod eo magis fit, ſi inter plures inita ſit conjuratio. Cùm enim cuncta præmio & metui pervia ſint, difficillimè ſecretum inter tot homines reticeri poteſt; timidos maximè & imbelles: quippe & viros inter armorum ſtrepitum educatos, cædibuſque innutritos ſæpè in ejuſmodi conatibus animum perdidiſſe accepimus. Id etiam de conjurationibus notan-

tandum eſt, ſolere eas nundinarum, nuptiarum, feriarum aliarumque celebritatum tempore expediri. Ita Claudius Civilis ſpecie epularum ſacrum in nemus vocatos ad conſpirandum contra Romanos invitavit. (*Tac. 4. hiſt.*) & Belgæ Bruxellis in Montignii nuptiis in Hiſpaniarum regem conjurarunt. Et Hugonotæ ſpecie nuptiarum Navarræi Pariſios ad ſuum exitium allecti ſunt. (*Conneſtag. 1. & 5. de bell. Belg. Thuan. l. 2.*) Cæterum de inſtruendarum conjurationum ratione, earumque difficultate Florentinus in diſputationibus ad Livium latè diſſerit: quibus autem conſiliis cauti Principes illas repreſſerint, neque Florentinus ibi tractat, nec ab aliis, quod ego quidem ſciam, niſi leviter oſtenſum eſt. Quo diligentiùs nobis in hoc argumento elaborandum. Quanquam igitur vis interdum ſuccedat: tamen & ſæpiùs ea rerum conditio eſt, quæ violentum iſtud remedium non ferat. Quid enim ſi magna

gna ſit alicujus Catilinæ potentia? quid ſi ipſa plebs in pauciores concita inſaniat,& plurium vecordia conſtantiam eximat? Blæſus cùm quoſdam ad terrorem cæterorum adfici verberibus,claudi carcere juſiſſet, flagrantiorem inde vim fecit,pluresque ſeditioni duces dedit.(*Tacit.*1.*Annal.*) Dux Athenarum, Florentinorum tyrannus, cùm in ſe conjuratum reſciviſſet, unum ex ſuſpectis comprehendi juſſit.Unde cæteri armis arreptis illum urbe ejecerunt. Guilielmus Pazzus Florentinus, cùm Aretinos defectionem parare præſenſiſſet,non liberatis ſuis aut rebellium viribus, inermis Aretium profectus, cum ex conjuratis unum in carcerem conjici mandaſſet,à cæteris ipſe captus eſt.Neceſſe igitur eſt, menſurare vires ſuas,& ubi dubius eſſe poteſt exitus, aliis, quàm violentis inſiſtere conſiliis. Primum itaq; nihil omninò quantumvis leve videatur,ſpernendum eſt, unde Reip. benè vel malè eſſe poſſit. Parva
ſcin-

ſcintilla contempta magnum ſæpè excitavit incendium, nhil tutò in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris, valentiorem negligentia efficiet. Viri fortis eſt, ut nihil timere, ita nihil contemnere. E leviſſimis vaporibus nubes generantur; quæ deinde atrociſſimas effundunt tempeſtates. Quare prudenter M. Cicero Fulviæ, fœminæ licet indicium, in Catilinaria conjuratione, minimè rejecit. (*Salluſt. in Cat.*) & contrà infeliciter juxtà ac imprudenter Philotas detectam ſibi à vili ſcorto conjurationem contra Alexandrum celavit. (*Q. Curt. 6.*) Nihil eſt in diſtrictis negotiis tam leve, quod non interdum etiam contra ſperata magnarum rerum momenta afferat. In ſuo quemque periculo magnum animum habere decet: cum ſalute Principis aut Reip. timetur, credulum eſſe convenit; etiam vana deferentes admittere. Pòſt, ubi fraus nondũ quidẽ detecta, at ſuſpecta tamẽ eſt: omnibus modis operam dare oportet,

ut

ut in penitiorem cognitionem veniamus. Quod ubi factum, injicienda ſeditioſorum aut conjuratorum conſiliis mora eſt; ut ita omnia detegantur, nobiſque muniendi noſtri tempus ſuppetat. Et pertinet huc, quòd quidam monet, objiciendam eſſe conjuratis falſam occaſionẽ, quâ alio tempore commodius, atque nunc conjurationem explicare ſe poſſe autument: quo ſophiſmate etiam Romani uſi ſunt. Nam cum duæ legiones, quæ Capuæ in hybernis erant, contra Campanos conjuraſſent; Romani ſparſerunt famam legiones etiam ſequenti anno ibidem hybernaturas. Inde conjurati ſpatium nactos ſe rati maturius conſultandi, diſtulere ſcelus, donec Rutilius Coſ. mederi malo potuit. (*Liv.* 8.) Hanc artem aliæ excipiunt, quas per exempla docebimus. Romani ad motus extra urbem propellendos bellum aliquod ſimulabant, aut parabant. Hoc modo tribunitios furores repreſſerunt: (*Plutarch. in Camill.*)

mill.) & Sylla ſpectante ad ſeditionem milite trepidum nuncium de hoſtis adventu finxit. (*Front. lib.* 1. c. 9.) Et ſimilis de Theagene Athenienſi extat hiſtoria apud Polyenum. (7. *Stratag.*)

Conſtantius Cæſar auro per turbulentos ſeditionnm concitatores diſtributo rebellionem ſedavit. (*Amm. lib.* XIV.) Et Juſtinianus factiones ob colorum diverſitatem ortas compreſſit, ſeditionis auctoribus corruptis. (*Zonar.*) Piſander & Druſus ſuſpiciones ſerendo periculum ſeditionis diſcuſſerunt. Et ſanè non exigua prudentiæ pars eſt, etiam in juſto bello, proditionis ſuſpectum reddere illum, cui maximè publica hoſtium res innititur, vel aliunde illi conflare invidiam; eamq; notam ducum artem Tacitus (IV. *hiſt.*) appellat. Lacedæmonii, cùm ſcirent, Periclis ductu atque auſpicio Athenienſes bellum Peloponneſiacum geſturos, & viri virtutem metuerent, ſacrilegium hoſtibus exprobrarunt, ejuſque ſe, ni expiaretur, vin-

vindices profeſſi ſunt. Quod non eum in fine dicebant, qvod Athenienſes moveri poſſe ſperarent, ſed ut Periclē, cujus mater etiam ſceleri, quod objectabatur, participaverat, inviſum populo redderent. (*Thucyd.lib.*1.) Eadem arte Hannibal, cùm in agros Romæ vicinos ignem immiſiſſet, & ad Q. Fabii ſegetes ventum eſſet, cæteris omnibus clade atque incendio vaſtatis, iis tantùm abſtinere juſſit; ac etiam cuſtodes adhibuit, qvi inde capere quicquam prohiberent. (*Liv.*XXII. *Plutarch. ut Fab.*) Cerialis quoque idem factum extat apud Tacitum in quinto Hiſtoriarum. Et cùm Pericles ob hoſpitii & familiaritatis jus, quod ſibi cum Archidamo hoſtium Rege intercedebat, vereretur, ne is, cùm civium ſuorum agros ureret, ſuos intactos ſineret, ſeque in proditionis ſuſpicionem adduceret: initiò præmonuit populum, Archidami ſe olim hoſpitio uſum: neque ſibi fraudi eſſe debere, ſi ille fortaſſis & agris

agris ſuis parceret; malle ſe publicos illos fieri, inque civitatis cenſum redigi (*Thucyd.* I I. *Juſtin* I I I.)

Alfenus Varus in exercitu Vitelliano caſtrorum præfectus ſeditionem compeſcuit, vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur. Inde torpere cuncti, circumſpectare inter ſe attoniti, & id ipſum, quòd, nemo regeret, pavẽtes, ſilentio, patientiâ, poſtremò precibus ac lachrymis veniam quærebant. (*Tacit.* II. *hiſt.*) Et quòd occiſi per inſidias Alexandro Florentiæ Duce populus Florentinus pro recuperanda libertate arma capere non potuit, ea inter alias cauſa fuit; quod jam ante Clemens Põtifex Baſilicam, ad quam in ejuſmodi turbis plerumque concurſus fieri ſolebat, militum præſidio munierat, & vexilla atque ordines, in quos urbana plebs deſcribi ſolebat, adempti erant: ita ut nec caput turbandis rebus, nec locus, nec rei gerendæ ratio in ex-

pe-

pedito eſſet, (*Io. Bapt. Cin. lib.* 1. *de vita Coſm.*)

Sultani Ægyptii, infinitam hominum Cairum incolentium multitudinem ſuſpectam habentes, præaltis urbem foſſis diſtinxerunt; ademptturi hoc modo inſido populo coëundi facultatem. Et inter eas cauſas, quibus Venetiarum per tot ſecula conſtantem pacem atque tranquillitatem nullæ unquam civium conjurationes ſollicitarunt, eam vel præcipuam arbitratur Jo. Boterus, quòd interfluentibus paſſim aquis (canales vocant) in multas veluti partes diviſa ſit civitas.

Super hæc Romani plebem ſeditioſam in colonias deducebant; (*Liv.* x.) eique agros dividebant: quo ab ſeditioſis conſiliis, quæ ex ocio proveniunt, ad agriculturam verteretur. (*Dio* 38.) Militē ſeditioſum per provincias ſparſum externis bellis illigabant. (*Tac.* III. *hiſtor.*) Et ſimile quiddam eſt, quòd hodiè quieti imperii Helvetiorum præter

ter democratiæ morem turbis & ſeditionibus minimè obnoxii, eã eſſe præcipuam cauſam qvidam putant, qvod illi ſtipendia apud exteros Principes facere ſoliti hoc modo egerere poſſint, qvicqvid in ſuis urbibus turbidum, qvam eandem ob cauſam Magnum Hetruriæ Ducem claſſem perpetuò alere Trajanus Boccalinus ſcribit, cui milites & remiges attribuat urbium ſuarum purgamenta. Paucos ante annos, Viennæ Auſtriæ nulla penè abibat ſeptimana, qvâ non unus aut plures furtis & latrociniis inſignes gladio percuterentur, longave fierent ſlitera: Nec id mirum in urbe magna, populoſiſſima; omni mercimoniorum genere, & Cæſaris aulâ ſplendidiſſimâ; in qva non magis virtutum, qvàm vitiorum collegia, &, ne parum dixerim, cœlum cum tartaro mixtum. Nunc in eadem urbe ferias agunt cruces & patibula, & omnis ſuppliciorum ſeveritas in caſtra migravit. Cujus rei ego non aliam reddo

cau-

cauſam, quam quòd ex quo bellorum incendio correpta eſt univerſa Germania, non illius exſtinguendi cauſa, ſed ex incendio, ruinâ, naufragio patriæ raperent, agerent, ferrent peſſimi fures, accurrerunt plerique omnes, quibus ob egeſtatem & flagitia maxima peccandi neceſſitudo erat.

Affines ſunt populorum traductiones, & veluti tranſplantationes; quarum plurima ſunt exempla. P. Æmilius, ſubtracturus Macedonibus omnem rebellionum materiem, primores gentis cum univerſa familia in Italiam tranſportavit. Conſtantius Imper. Sarmatis alias ſedes dedit. (*Ammian.* XVII.) Philippus Macedonum Rex, ut pecora paſtores nunc in hybernos, nunc in æſtivos ſaltus trajiciunt: ſic ille populos & urbes ad libidinem ſuam tranſtulit; (*Iuſtin.*) Auguſtus Cæſar Suevos & Sicambros deduxit in Galliam, & in proximis Rheno agris collocavit. (*Suet. in Aug.* XXI.) Jo. Comnenus Triballos

à ſe

à ſe victos in Orientem traduxit. (*Nicet. Chon.*) Carolus Magnus Saxonum toties rebellantium nobilitatem partim in Italiam, (*Boter.* v *de rat. ſtat.* 6.) partim in Galliam Belgicam, (*Æmil.* 2. *de rebus geſt. Franc.*) partim in Daciam traduxit: unde origo civitatibus Saxonicis in Tranſylvaniâ (*Paull. Manut. in deſcript. Tranſylvan.*) Anno cIↄ.Iↄ.cIx. Philippus III. Hiſpaniarum Rex Maurorum ad C.ac xxIↄ. ex Hiſpania triremibus Caroli Auriæ in Africam tranſportavit. Et quanquam non deerant, qui factum carperent, quòd tot hominum millia ſacro Baptiſmate abluta quorum laboribus Hiſpania creverat, bonis exuti & ſeminudi in peregrinas oras ejicerentur: tamen ea tanti non eſſe Hiſpani aſſerebant, ut propterea Regis, Regnique ſalus periculo exponenda ſit: (*Maurocen.* 18. *hiſt. Venet.*) Molucus Scirifius Mauritaniæ Rex ante prœlium cum Sebaſtiano Luſitaniæ Rege commiſſum, ducibus

ob

ob proditionem ſuſpectis milites ſuos ademit, & totidem qvi ſub alio duce antè meruerant, reddidit. (*Coneſtag.* 2. *de conjunct.Portug.&c.*)

Græci ſuſpectas urbes mœnibus nudare ſolebant, idqve Athenienſes apud Chios, Thebani apud Theſpienſes fecerunt (*Thucyd.*4.) Idem Cyrum feciſſe Xenophon tradit. (4.*Cyrop.*) Et Romanos idem ſecutos eſſe conſilium, hiſtoriæ tradunt. Henricus II. Angliæ Rex omnium magnatum arces mœnibus nudavit: & ſuperiori ſeculo Leo X. Pontifex præcipuarum urbium muros, qvos Urbini Dux munierat, ſolo æqvavit. (v.*quæ dixi ad lib.*2.)

Eteonicus Lacedæmonius, cùm milites ipſius de occupandâ Chio, ubi hybernabant, conſpiraſſent, & conjurationis ſignum, qvo ſe internoſcere poſſent, calamum geſtarent; aſſumptis qvindecim, qvorum adhuc intemerata fides, ac per oppidum obambulans, primum, qvi calamum geſtabat, interfecit.

fecit. Oborto tumultu & quærentibus nonnullis, quæ cædis cauſa fuiſſet, nunciari Eteonicus juſſit, eo factum, quòd calamum habuiſſet. Quo audito univerſi calamos abjecerunt; & compreſſa ſeditio eſt. (*Xenophon. 2. hiſt. Græc.*

Cùm Hanno Carthaginenſis regnũ affectaret, & evertere Rempub. interficere Senatum in animum induxiſſet, & quo nefanda conſilia faciliùs regerentur ſceleri patrando ſolemnem nuptiarum filiæ diem legiſſet, quâ plebi epulum in pũblicis porticibus, Senatui in ædibus ſuis præberet, & poculis veneno illitis ſecretius Senatum ac ſine arbitris interficeret, orbamque Rempubl. ita ad ſe traheret: Senatus re per miniſtros proditâ, quando ille armis & clientelis plus valebat, decreto nuptiarum ſolemnibus, & pompis modum ſtatuit; quo ejus conſilia evanuerunt. (*Iuſtin. 21.*) Cùm Cæſar ad edendum munus gladiatorium multiplici undique comparatâ familiâ inimicos exterruiſſet;

Z cau-

cautum eſt legibus de numero gladiatorum; quo ne majorem cuiquam Romæ habere liceret. (*Suet. in Iul.* 10.)

Henricus III. Galliæ Rex, cùm in ſe ſub ſpecie fœderis contra Proteſtantes conjuraſſe Guiſium comperiſſet; fœderi prudens ſubſcripſit; ſed Principatum fœderis, imperiumque armorum, quod conjurati in Guiſium transferre cupiebant, ſibi ſumpſit, (*Thuan.* 63.)

Dionyſius Syracuſanus, cùm de inita in caput ſuum conjuratione reſciviſſet, cauponem quendam ad ſe vocatum, & poſt ſecretum colloquium præmio quaſi delati indicii, affectum dimiſit. Prudenter! nam & cùm C. Cæſar in Senatum iturus, ea die, quæ illi ſuprema fuit, in Cn. Pompilium conjurationis complicem incidiſſet, diuque cum illo collocutus fuiſſet; veriti ſunt cæteri cõjurati, ne is Cæſari ſeriem cogitati facinoris aperuerit. Et ſanè quicunque talia cõſilia animo volvunt, eo ſunt ingenio, quoſcunque ſociare ſermonẽ vident, de ſe loqui putent. Por-

Porrò ubi ad manifeſtam intemperiem res devoluta fuerit, populares viri, & qui plebẽ obnoxiam habent, multum ad exundantem plebis furorem inter modeſtiæ alveum reducendum valeıt æquis enim auribus audiuntur, qvi amici putantur.

Magno in populo, cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tùm pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere; ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
(*Virg* 1. *Æneid.*)

Nota ſunt exempla L. Valerii Poplicolæ, M. Horatii, & Menenii Agrippæ apud Livium. Julium Cæſarem Tacitus & Suetonius referunt exercitus ſeditionem uno verbo compeſcuiſſe, Qvirites vocando (aliàs commilitones ſolebat) qvi ſacramen-

tum ejus detrectabant. Arbetion, veteranus dux, cùm Valens Imp. nullo pacto ad officium ſeditioſos milites reducere poſſet, paucis verbis truces animos leniit. Cùm enim omnibus profectior natu, & dignitate ſublimior oſtendiſſet reverendam caniciem, & publicum graſſatorem Procopium (ſeditionis authorem) appellaſſet, milites verò filios, & laborum priſtinorum ſocios, oraſſet, ut ſe magis ſequerentur feliciſſimis ductibus cognitum, quàm profligato nebuloni, deſtituendo jam & caſuro morem gererent: exemplo mutatis animis ad priſtina ſigna redierunt. (*Amm. Marcell.* 26.) Erat olim Florentina univerſa in duas factiones diviſa, quarum una à monacho Monialis, altera à rabie, quâ ferebatur Rabioſa vocabatur. Ventum eſt ad arma, & victi Moniales; quos inter erat etiam P. Antonius Soderinus: ad cujus ædes diripiendas cùm concurrerent victores, fortè domi erat frater, Epiſcopus Vola-

ſaterranus. Is audito tumultu, indutus epiſcopali habitu, & Pontificiali mitrâ reverendus ad armatos prodiit, & cùm reverentiâ vultus, tùm gravitate atque eloquentia eos continuit, ne domum fratris diriperent. Res profectò admirabilis! poſſe efferatos animos, vi & armis invictos, aptâ oratione mulceri. Aptam cum dico, eam intelligo, quæ quamvis horrida & militaris, animis tamen temperandis apposita eſt. Illa enim umbratilis ex declamatorum & philoſophorum ſchola deridiculo erit. Qui enim Deum non curant, qui ſpe, ſcelere, armis turbati ſũt, ad iſtam ineptam philoſophiam non componentur. Quod â Muſonii Rufi Stoici exemplo diſcimus, qui apud milites Flavianos bona pacis & belli diſcrimina diſſerens, pleriſque ludibrio, pluribus tædio fuit: nec deerant, qui propellerent, proculcarentque ni admonitu modeſtiſſimi cujusque, & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtivam ſapientiam

(*Tacit. 3. hiſt.*) Et falſè Trajanus Boccalinus, cum introduxiſſet Menenium Agrippam Apollini promittentem alia longè lepidiore fabula quàm qua Romanorum animos conciliaverat olim, Belgas cum Hiſpanis in gratiam reducturum, deriſum ab Apolline dicit. Nec enim eandem eſſe animorum humanorum, quæ olim felicitatem: non cruentiſſimis tragœdiis XL. annos in Belgii theatro exhibitis ſatiari potuiſſe diram ſanguinis ſitim, parum ergò fabularum levitatem profuturam.

Fortaſſis etiam interdum conſultum erit, virum auctoritate præſtantem, bonum, prudentem, multitudini turbidæ in ſpeciem ducem ſe præbere, qui pro imperio cædes, rapinas & cætera ſeditionum mala prohibere, aut ſaltem mitigare poſſit. Tacitus libro primo Hiſtoriarum: *ſit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox velle ſimulans, quo plus auctoritatis ineſſet conſiliis, ſi ſeditio miteſceret.* Anno Chriſti

CIↃ.

CIↃ.IↃ.xlviii. gravis tumultus per univerſam Aquitaniam fuit: cumque ſeditioſi in urbe Burdigala Georgium Chaſſanæum Curiæ Præſidem, virum gravem & qui gratia apud plebem plurimum valebat, ſibi ducẽ per vim ſumpſiſſent: ille arreptâ ſenſim auctoritate bonos cives, qvaſi etiam in ſocietatem adſcitos, multitudini ſeditioſæ immiſcuit: ut hoc modo rapinæ cædeſqve cohiberentur, & perditorum hominum audacia refrænaretur. Qvanqvam autem non diu fallebat Chaſſanæus: tamen ille in qvamlibet frementes, Imperatoris jure uſus, præcipuos ex ſeditioſis, captatis occaſionibus, qvaſi dicto minùs audientes per commilitones confodi juſſit. Ita paulatim per qvatriduum deſæviente furore, motus utcunqve ſedatus eſt, donec Momorantius à Rege cum exercitu miſſus ſeditionem ulturus, veniſſet, atq; omnia, pro ea, qvam ampliſſimam obtinebat, poteſtate compoſuiſſet. (*Thua*.v.) Ubi

Senatum Nolanum metus accepit, ſi palam plebi, quæ ad Annibalem propendebat, contrà tēderent, reſiſti multitudini concitatæ non poſſe, clàm ſimulando dilationem mali invenerunt, placere ſibi defectionem ad Annibalem ſimulantes. Ita diſtulerunt, donec Marcellus veniret. (*Liv.* XXXIII.) Simile quiddam de Othone & Vitellio memoratur, qui ſævitiam militum pleroſque ad cædem depoſcentium ſimulatione vinculorum fruſtrati, multos exitio ſubtraxerunt. (*Tacit.* I. *hiſtor.*)

Verùm enim verò, ſi his remediis locus non ſit, ſi omninò ad vim & arma decurrendum ſit: acriter ibunt magiſtratus in rebelles, eorumque duces extremo afficient ſupplicio. Alexander Magnus frendens de tribunali deſiliit, & in medium ſeditioſorum agmen ſe immiſit: notatos quoque, qui ferociſſimè oblocuti erant, ſingulos manu corripuit, nec auſos repugnare tredecim aſſervandos cuſtodibus corporis tradidit,

didit, Quis crederet, ſævam paulò ante concionem obtorpuiſſe ſubito metu? & cùm ad ſupplicium videret trahi, nihil auſos graviora quam cæteros; (*Q. Curt.* x.) In Germania legiones tumultuabantur, ob quendam à Hordeonio Flacco in carcerem conjectum. Conſcendit tribunal Vocula legatus mirâ conſtantiâ, prehenſumque militem ac vociferantem duci ad ſupplicium juſſit: & dum mali pavent: optimus quiſq; juſſis paruêre. (*Tac.* IV. *hiſt.*) Imperante Conſtantio, cùm plebs Romana excita ab inquietis hominibus ſeditioſa ad Septizonium (locus is fuerat in urbe Nymphæ Marci Imp. celeber) conveniſſet: Leontius Præfectus Urbi, quamvis omnibus dehortantibus, ne ſe violentæ multitudini immitteret: adeoque pluribus illum, tanquam in abruptum feſtinantem periculum, deſerentibus, magnâ animi præſentiâ in medium perditorum nebulonum cuneum ſe immiſit, & inſidens vehiculo cum ſpecioſa

fiducia, acribus oculis & minacibus circumſpexit, authoremq; tumultus inter alios eminentem vaſto corpore, rutilis capillis arreptum, vinctis poſt tergum mànibus ſuſpendi juſſit Vulgus omne paullò antè confertum per varia urbis membra dilapſum evanuit. (*Ammian. Marcell.* xv.) Et qvanqvam oratione Marci Imper. expreſſum ſit, ut tametſi provocantis in cauſa capitis appellatio non fuerit recepta, pœna tamen ſuſtineatur, qvoad Princeps reſcripſerit ad literas præſidis & libellum rei: tamen ſi fuerit ſeditio prærupta, factioq; cruenta, qvæ moram non admittat; non pœnæ feſtinatione, ſed præveniendi periculi cauſa, tunc eum punire permittitur, deinde ſcribere. (*Vlpian.* I.C. *in* l.v. §. IX. D. *de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt.*) Sed his violentis remediis non niſi deſperatis cæteris, & in ſubſidium utendum eſt. Nec enim ſemper ſuccedere ex iis qvæ ſuprà de vi diximus, cōſtat. Multitudo tamen ſemper excuſa-

ta ſit, quæ non tam conſilio, quàm impetu & alieno ſcelere abripitur: quod ad librum primum quoque monui. Alibi quoque dixi, ſeditiones à potentum in aulâ avaritiâ aut ſævitiâ ortas deditione illorum, qui tam immaniter populi indignationem moverunt, ſedari: quod hîc non repeto. Illud addo, in locum ſceleratorum iſtorum alios incorruptis moribus, gratos populo ſubſtitui debere. Quomodo Agrippina. Senecã ab exilio in aulam trãſtulit; id *lætum in publicum rata.* (*Tacit.* XII. *Annal.*) Et Franciſcus Olivarius prudentiſſimus & integerrimus vir à Cardinali Lotharingio ad ſummam regni Galliæ Cancellariatus dignitatem in eum finẽ evectus eſt, ut moderati imperii ſub optimo legum moderatore ſpẽ populo faceret. (*Thuan.* XVI. & XVII.) Quanquam hoc ipſo plus Senecæ atque Olivario, quam aliis illuſum eſt. Uterque enim fœdiſſimam ſervitutem ſervire coactus, quod vitæ reliquum erat, inter ludibria &

pericula ſub impotenti dominatu trãſegit: ut appoſitè Senecam, in Octavia Tragœdia alter Seneca, vel quiſquis ille fuit, ita loquentem introducat.

Quid me potens fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum mea
Alte extuliſti? graviùs ut ruerem, edita,
Receptus arce totque proſpicerem metus?
Meliùs latebam procul ab invidiæ malis.
Remotus, inter Corſici rupes maris:
Vbi liber, animus, & ſui juris mihi
Semper vacabat ſtudia recolenti mea.
&c.

Laſcivire militem diductum.] Sed & dicere debebat, in ſuperbiam, arrogantiam & rebellionem prolabi contractum militem. Hoc eſt illud conſiliorum genus, non quidem ſubtile aut callidum, ſed ſubitaneum, celere, captum ex tempore gratâ quadam argutiâ, velut merces quædam per ſe inanes ipſo

arti-

artificii fuco imponens. Huic venuſtati, ſi accedat corporis gratia, quę, ut Heliodorus in Æthiopicis (*lib. 4.*) inquit, omnium ad ſe benevolentiam blandâ quadam violentiâ trahit, vel ſuadentis dignitas, & præter hæc non immodica, ſed ſecura audacia: regnat plerumque iſta conſiliorum levitas, & veram exactamq; ſapientiam in egregiis, ſed tardis hominibus ſuo ſtrepitu obruit. Verum iſta extemporanei ingenii promptitudo plerumque veræ prudentiæ & & magnis negotiis ſuffecturæ expers eſt. Nam ubi ſuſtuleris iſtis hominibus ſubitas fractaſque ſententias: tum ſterilitatem egenarum mentium, nec ſufficientem ad veram longamque ſapientiam haut dubiè contemnes. Rapta iſta & tumultuaria conſilia illis tantum placent, quibus tædium eſt longâ ſed tutâ ratiocinatione penetrare in intima & quaſi viſcera negotiorum. Quos equidem ſimillimos eſſe puto illis hominibus, qui externa ædificii ſpectantes, intus

tus lacunaria auro gravia, maculoſam marmorum varietatem,& cætera artificis miracula propiùs inſpicere negligunt. Ideoq; ſuperficiaria iſta ſapientia plerumque dignum ſua temeritate negotiis exitum,& pœnitentiam quidem, ſed ſeram invenire ſolet. Tale conſiliũ fuit,quo de capite Magni Pompeji Ægyptius ille pronunciavit, *mortuum non mordere*. Et Alexander regiæ totius Orientis, unde tot gentes jura petebant patriæ tot Regum,unico quondã Græciæ terrori ebrius faces ſubdidit; impellente eum ad tantum dedecus vili ſcorto, Thaide, quæ expectare hanc ultionem Græcos,quorum urbes barbari deleviſſent, dicebat. Prima factionum apud Florentinos initia ab iſtiuſmodi temeritate cœperunt:cùmMoſca quidam Lambertus conſultantibus de vindicanda injuria à Bondelmontio illata,necandum eſſe diceret; addito Italorum proverbio (*coſa fatta capo hà*) quâ rem perpetratam caput habere a-

junt,

junt. (*Leon. Aret. lib.* 1 *hiſt. Florent. Scip. Amirat lib.* 1 *.hiſt. Florentina.*) Denique parùm abfuit, quin Neapoli regiæ urbi ignem injiceret Petrus Aragonius; inductus illorum ſermonibus, qui potiorem eſſe cineribus ſuis ſepultam quàm amiſſam urbem ſcurrili dicterio jactabant. (*Scip. Amir. in vita* Ioanna *II. Regina Neap.*)

Et quia vi tot ſimul, corripere intutum, dolus intervalla ſcelerum paſcebat: & inferiùs: *ſed magnitudo facinoris metum, prolationes, diverſa interdum conſilia afferebat.*) Plerumque difficilem exitum habent conſilia, quorum executio in partes diviſa eſt, & quæ circumſtantiarum varietate intricata ſunt. Ab initio quidem videntur facilia: verùm tractatu difficultatis plena, exitu periculoſa eſſe ſolent. Nam ut radii horarum indices, quot rotis & ponderibus aguntur in deſtinatos curſus, tot aberrantibus inſtrumentis mendaci monſtratione fallunt: ita ſi ex infinitis rebus, quæ ſub-

ſubtilia componunt conſilia, una ſe conditio ſubtraxerit, fallere ea neceſſe eſt. Neque venena, neque adulteria, neque ulla potentia ſatis munire Sejanum potuit, quò minùs iiſdem artibus vinceretur, quibus alios petierat. Ex hoc conſequitur, populos cæteris ingenio præſtantes rerum novandarum perpetua cupiditate teneri, ideoque crebrioribus reipublicæ converſionibus obnoxios eſſe. Nimia enim diſſerendi ſubtilitate, & huic adjuncta ingenii oſtentatione, quam ſibi ſemel perſuaſerunt opinionem, mordicus tenent, & ab ea diimoveri probroſum arbitrantur. Quod univerſè aſſerit apud Thucydidem (*lib.* 3.) Cleon Athenienſis: & ſpeciatim de Megarenſibus, Syracuſanis, Athenienſibus, Florentinis, Genuenſibus affirmat Bodinus, (4. *de Rep.* 1.) Qui idem teſtatur, Athenienſes C. paulò minus annis quinquies, Florentinos ſepties Reip. Statum mutaſſe: id autem nec Venetis accidiſſe, nec Helveti-

vetiis, qui ingeniis minùs valent. Nec igitur ſubtilia ingenia novandis rebus quàm gerendis aptiora, dubiis & periculoſis expediendis negotiis adhibenda ſunt: nec committenda iis munia excuſationum, temporum extrahendorum, actionum cum illo, qui nobis etſi cauſa inferior, viribus tamen ſuperior eſt, & omnium illorum negotiorum, quæ affectus requirunt ſedatos, & neceſſariam ſimulationem. In primis autem ab imperiis malè affectis, vel nondum confirmatis procul habenda ſunt. Ut enim in ægris corporibus vel minimo motu noxii humores concutiuntur; ita quietis ingeniis infirma imperia turbantur. Sunt tamen utilia in conſiliariorum collegio, ut collegarum ingenia exerceant, & exterorum artes obſervent.

Hanc ut amore incenſus, adulterio pellexit.] v. quæ ſcripſi ad lib. 3. verb. *nam vulgatum erat, miſſum &c.*

Quanquam arduum ſit, eodem loci potenti-

*tentiam & concordiam eſſe.*Poëtis,hiſtoricis,nemini non dicta ſententia. Matthæus Vicecomes, dictantibus fratribus in familiari colloquio regnum egregium quid eſſe;verum eſſe, reſpondit,ſed ſine ſociis. Ex quo fratres ſibi metuentes illum veneno ſuſtuliſſe dicuntur. (*Io. Bapt.* Pig. 4. *hiſt. Ateſt.*)

Plerumque inopes ac vagi ſponte militiam ſumant, percenſuitque curſim numerum legionum,& quas provincias tutarentur.]Ex iſto Taciti indice, quanta fuerit Romana potentia, quæ armorum vis, qui inexhauſtus militiæ fons,intelligere licet.Non erit alienum, quædam diſſerere de *armorum ſtudio*: quæque ex illo magnis imperiis bona malaque, utilia aut pernicioſa accidant. Quâ ex diſputatione de maximis rebus pendet judicium. Inde,quæ, cauſa fuerit, quòd Romani tot prœlis fuſi ; nunquá tamen univerſo bello ſuperati ſunt quæque res Romanam potentiam ad ſum̃um faſtigium provexerint, & quæ

ex contrario libertatem peſſum dederint, diſcemus. Intelligemus, quibus ex cauſis Veneta Reſp. optimis legibus inſtitutisque formata imperii ſui terminos non ita longè latèque, ut Roma, proferre potuit. Dicemus de Turcicæ potentiæ fundamento, deque ejus caſu interituqve conjiciemus. Alia quoque ſcitu rariſſima digniſſimaque tangemus. Igitur quanquam Romani imperii magnitudinẽ alius juſtô imperio, alius civili ſapientiæ alius Reip. formæ boniſque legibus, alius ſociorum defenſioni, alius privatorum virtuti, alius alii rei tribuant: mihi tamen aliud videtur. Nam nec juſtitiam multùm fuiſſe cordi Romanis alibi docuimus, & prudentes virtutisque ſtudioſos aliæ quoque Reſp. habuerunt, & ſocios alii defenderunt, & bonis legibus, formaqve Reip. Veneti præſtant: nec tamen in eam potentiam, qvam in Rep. Romanâ ſtupemus, qviſqvam veterum, noſtrorumqve Regum aut Rerump.
con-

conſcendit. Statuo igitur, præcipuam & pene unicam magnitudinis Romanæ cauſam fuiſſe, armorum ſtudium, & omnia Reip. inſtituta non ad civilis vitæ tranquillitatem, ſed gloriam & imperii amplificationem introducta. Non dicam Romanos armorum & pugnæ genere, atque militari diſciplinâ aliis omnibus populis prævaluiſſe. Nam ut id negari nequit, ita pluries Romanos prœliis ſuperatos confiteri cogimur. Illud mirandum eſt, & ſine exemplo, eos ita extra fortunæ aleam fuiſſe, ut cæſi, fuſi, fugati, nunquam tamen vincerentur, ſed ſemper fortiores validioreſque reſurgerent, tandemque de hoſtibus ſibi paulò antè inſultantibus triumpharent. Nimirum ea erant civitatis inſtituta militaria, ut poſt maximos cæſos exercitus, ſemper majores in hoſtem educi potuerint. Quod quo pacto fieri quiverit, quàm breviſſimè potero, explicabo. Dico igitur, triplicem fuiſſe fontem, ex quo validiſſima Romana-

narum copiarum flumina, quæ orbem terrarum inundarunt, proruperunt; Tribus, Colonias, Socios. Hodiè cùm tympanum ſtrepit, coëunt protervi, otioſi, legum impatientes, parentibus immorigeri, maximi mulierum mœchi, aleatores, urbium ſuarum fex & purgamentum: quibus neque boni intellectus eſt, neque mali cura: qui neque in victoria decus, neque in fugâ flagitium putant. Romani verò ex tribubus, coloniis, ſociis militem habebant electum, belli & munerum militarium gnarum, acie invictum, & qui annos non plus ex faſtis quàm ſtipendiis ſuis numerabat. Ut Romani exercitus à noſtris differant, quod navis, quæ probatis trabibus eſt compacta, ab eâ quam intempeſtivè exciſæ arbores & omnia non penſatis vitiis ligna cōponunt. Ergò in xxxv. Tribus deſcriptus erat populus Romanus: quo nomine veniunt, non tantùm qui muris urbis includēbantur, ſed multò magis, qui extra urbem

bem in Latio. Campania, Hetruria tribubus adſcripti erant. Qvippe urbanus populus non niſi in qvatuor tribus diviſus erat. Suburanam, Eſqvilinam, Collinam, Palatinam: cæteræ, ut demonſtrat Franciſcus Bocchus in libris de magnitudine Romanâ, una & triginta extra urbem erant; appellationem ſortitæ vel ex locis, ubi degebant, ut Cruſtumina, Vejentana, Ocriculana &c. vel à fluminibus, ut Arnienſis, Anienſis &c. vel præcipuis Romanis familiis, ut Cornelia Fabia, Sergia &c. Hic erat populus ille Romanus, qvi leges ferebat, qvi magiſtratus creabat, qvi bella aut pacem decernebat: ex hoc univerſo cenſebantur legebanturqve in militiam qvicunqve bello apti erant, nec licebat cuiqvam detrectare militiam. Hi ad comitia in urbem confluebant, jus ſuffragiorum habebant, magiſtratus & honores ſuſcipiebant. Hi veri & originarii cives Romani erant. Qvanqvam etiam fuerunt, qvi ex privi-

le-

legio, cùm longiùs Româ abeſſent, in tribuum nomina adſciſcebantur: qvomodo Ateſtini in Romiliam, Veronenſes ac Tergeſtini in Publiliam, Patavini & Brixienſes in Fabiam, Mediolanenſes & Comenſes in Ufentinam, Bergomates in Vituriam conjecti ſunt. (*Io. Bapt. Pigna* 1. *hiſt. Ateſt.*) Qvantus autẽ ex his tribubus militum numerus conficipotuerit, ex eo conſtat, qvòd interdũ cc. interdum ccc. millia, & qvòd excurrit, cenſa ſunt civium capita. Cenſebantur autem ii tãtum, qvi ferendis armis habiles erant, adeoqve ad militiam deſtinabantur. Ita enim Livius de primo cenſu, qvi actus eſt Servio. Tullio Rege: *millia* 80. *eo luſtro civium cenſa dicuntur, adjicit ſcriptorum antiquiſſimus Fabius Pictor, eorum qui ferre arma poſſent, eum numerum fuiſſe.* Nam ſi univerſi coñumerentur, pueri, ſenes, cęteriq; nõ niſi capite cẽſi; ſupra qvindecies cẽties mille homines in tribubus fuiſſe Franciſcus Bocchus conjicit. Qvi tamen numerus,

merus, cùm civitatis Romanæ jus ab Imperatorib. nimis vulgatum eſſet, eò excrevit, ut Claudio Cęſare (niſi codices vitioſi ſunt: certè in Medicæo M.S. iſtos numeros aliter ſcriptos ipſe Florentiæ vidi) cenſa ſint civium LXVIII. centena & XLIV. millia. (*Tacit.* XI. *annal.*)

Jam in coloniis qvantum momenti fuerit ex eo, qvod T. Livius libro ſeptimo & triceſimo refert, colligi poteſt. Belli Punici ſecundi tempore triginta populi Romani coloniæ erant. Ex iis duodecim, cùm omnium legationes Romæ eſſent, negarunt eſſe, ſibi unde milites pecuniamque darent. Novâ re conſules icti rem ad Senatum detulerunt: ubi tantus pavor animis hominum injectus eſt, ut magna pars actum de imperio diceret. Sed cùm cæteræ XXIII. coloniæ in fide perſtitiſſent; reſumpſerunt animum patres. Et notabile eſt, qvod Livius pronunciat illarũ coloniarum ſubſidio tum imperiũ populi Romani ſtetiſſe. De-

Deniqueſociorum auxilia quantum Romanis contulerint, ex eo conjici poteſt,quòd año Urbis cōditæ ccccxv. Latini gloriabantur, Romanos ſociali exercitu adjuncto duplicare vires ſuas; ideoque Conſulem alterum ex Latio, alterum Româ creari, & Senatus partem æquam ex utraque gente eſſe poſtulabant. (*Liv. lib.* VIII.) Sociale bellum quod populus Romanus cũ Marſis,Picentibus,Pelignis, aliisque Italiæ populis,ſuis ſociis geſſit, Plutarchus in Syllâ magnum vocat & varium, quodque multa vulnera populo Romano & graviſſima intulit diſcrimina.

Non igitur mirum videri debet, illum Romanæ militiæ triplicem fontem nunquam exaruiſſe,tàm valida potentiæ fundamenta nunquam convelli, tantas vires nunquam labefactari potuiſſe. Quod tot exemplis manifeſtum eſt. Cùm Pyrrho quamvis victi paciſci in alias conditiones noluerunt, quàm ut Italiâ excederet. Ab Hannibale to-

ties cæſi, cùm tandem ſubmittere cervices deberent, quatuor ſimul exercitus conſcripſerunt. A Perſeo profligati, tanquam viciſſent, Perſeo leges tulerunt, quibus ſe imperio Romano ſubmittere jubebatur. Nimirum, quouſque ſcaturiebat inexhauſtus ille fons, quantumvis maxima damna novis delectibus ſarcire poterant. Poſt Cannenſem pugnam Hannibal victoriæ nuncium Carthaginem miſit Magonem fratrem. Is cum ei Senatus datus eſſet, res in Italia à fratre geſtas expoſuit. Cum ſex imperatoribus eum, cum ſex conſularibus exercitibus acie conflixiſſe: occidiſſe ſupra cc ciɔ. hoſtium ſupra lciɔ. cepiſſe: Brutios Apuloſque partem Samnitum ac Lucianorum defeciſſe ad Pœnos, Capuam Annibali ſe tradidiſſe. Secundum hæc dicta lętis omnibus, Hanno, qui ex factione Hannibali adverſâ erat, quæſivit, ecquis Latini nominis populus defecerit ad Carthaginenſes? ecquis homo ex v. & xxx. tribubus ad

An-

Annibalem transfugerit? Cùm utrumque Mago negaſſet, hoſtium quidem ergo, inquit Hanno, adhuc multum ſupereſt. Sed multitudo ea quid animorum, quidve ſpei habeat ſcire velim. Cũ id neſcire ſe Mago diceret; nihil facilius eſt ſcitu, inquit. Ecquos legatos ad Annibalem Romani miſerunt de pace? ecquam deniq; mentionem pacis Romæ factam eſſe allatum ad vos eſt? Cùm id quoque negaſſet, bellum igitur, inquit tam integrum habemus, quàm habuimus, quâ die Annibal in Italiam eſt ingreſſus (*Liv.33.*)

Patet igitur ex dictis, Romanam magnitudinem ſuper arma fundatam, armis provectam, armis ſtetiſſe. Quod quanquam armorum dignitatem ac utilitatem ſatis oſtendat, tamen aliorum quoque populorum, qui ſolis armis ſibi potentiam, aliis terrorem pepererunt, exempla producere, non inutile erit. Mamaluchi Ægyptum & Syriam trecentos annos tenuerunt, magnâ

ſcientiæ militaris famâ, & vicinorum populorum terrore. Quippe domeſticum militem legebant, à prima pueritia, ac penè infantia raptum ad arma, atque educatum multâ victus abſtinentiâ tolerantiaque laborum, & militarium operum exactione eò rigidiore, quia & ipſi duces ante toleraverant. In demortuorum locum ſuccedebant non filii, aut ſanguine propiores, ſed quos indoles & corporis animique robur bellicæ fortitudini idoneos fecerat. Hi, quorum numerus XVIIICIƆ. non excedebat, invicta bello manus, vicinas nationes domuerunt, Arabes fregerũt, in prœliis cum Turcis aut rarò aut nunquam ſuccubuerunt; donec anno Chriſti CIƆ IƆ.XVIII. à Selymo Turcarum Imperatore & militia & nomen Mamaluchorum extinctum eſt. (*P. Jovius in* Selym. *Guic.* XIII. *hiſt.*) Turcæ, publica Orbis lues, ſolis armis, & militari virtute in tot regnorum excidia evaluerunt. Centum ac qvadraginta eqvitum,

tum,qvos Spahos vocant,millia perpetuò alunt;qvorum LXXX CIↃ.in Europæ finibus,LX CIↃ.in Aſia continentur. Iis agri (Timaros dicunt) aſſignantur, ex qvorum proventu eqvos in bellum expeditos ſuſtentare qveant, nec ob id qvisqvam regiis theſauris decedit. Reliqvis,qvi millia qvindecim cenſentur, ære publico ſtipendia perſolvuntur, Pedeſtrium copiarum robur in prætorianis, qvi Janizari vocantur, ſitum eſt. Hoc inſtituto militari, hoc robore invictum hactenus Turcarum imperium ſtetit. Qvanqvam multum adhuc Turcis ad perfectam armorum ſcientiam, qvâ tantoperè Romani præcellebant, deeſt. Nam in aciem educunt illi copias ex immenſis imperii ſui ſpaciis contractas: Romanorum exercituum nervus ex Italia, atqve adeò ipſis tribubus, in qvas relati erant cives Romani,legebatur. Turcæ maximos exercitus uno in loco diu ſuſtinere neqveunt: qvod potuere tamen Romani. Deniqve nec ar-

mis, nec pugnæ genere, nec fortaſſè diſciplinâ militari cum Romanis comparari poterunt. Suffecerunt tamen ad jugum tot populis, tot regibus imponendum. Et omnia ipſorum inſtituta imperii dilationem, gloriamque militarem ſpectare ex eo quoque clarum evadit, quòd impiæ legis lator Mahumetes ſine Dei reverentia, ſine honeſtatis cura, dominationis vinculum fecit religionem. Perſuaſum
I. Turcis eſt. ſuum quemque divinum, ſed mortalibus oculis inviſibilem charactera, fatorum & mortis inevitabilem ordinem fronte præferre; qua fide factum eſt, ut vitæ mortisque contemptores cæca temeritate omnibus ſe periculis offerant; à fatali diſpoſitione ſalutem aut exitium ſibi impendere arbitrati.

Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haut urget lethi metus: inde ruendi

In

In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis; *Lucan.* I.)

Deinde Turcici Imperatores lege aut morte prohibentur reſtituere regnum, aut urbem, aliudve ſolum, in quo ſemel ſuæ religionis ſacellum dedicaverint. Quæ conſtitutio mirè facit ad ſuperandas difficultates, quibus implicati novi Principes tenentur; & ad obſtinandam partorum defenſionem: ſcientibus omnibus non pactis, non ullâ transactione, ſed ſolâ vi, armiſque perdi provincias armis acquiſitas. Sanè ex Romana hiſtoria conſtat, ab urbis ortu ad Jovianum Imperat. non inveniri Conſulem aut Imperatorem, qui ſemel Romani juris factas terras hoſti conceſſerit. (*Ammian. Marcell.* xxv.) Porrò præceptum illlud quo Turcis vini uſu interdicitur eò ſpectat ut priſcæ frugalitati aſſuetus miles parabili & obvio cibo potuque in caſtris degere velit; II. III.

nec illâ impensâ gravetur, quæ in noſtris exercitibus enormis facit, ut nulla ſtipendia veſti, equis, armis emendis ac tuendis ſufficiant. Ex quo creberrimas oriri ſeditiones neceſſe eſt. Cui accedit, quòd cùm Turcis arva agrique, colles, & aperta camporum frumento producendo, & paſcendis armentis inſerviant: apud nos fertiliſſimum quodque ſolum ſit vitibus conſitum, & numeroſis exercitibus ſemper commea-
IV. tus deficiant. Præterea, cùm noſtri Principes acerbiſſimis exactionibus, tributorum, ſed profectò malè ſano conſilio, ſæpe etiam peſſimo exitu infringere ſubjectorum animos tentent, in eoque ſecuritatem ſuam collocatam eſſe arbitrentur; Mahumetani Principes non vectigalibus, non tributis, ſed promiſcuâ conjugiorum licentiâ & uxorum multiplicato conſortio illectos, ita miſeros populos ſuos, quanquam non ſentientes, faciunt, ut omni nervo deſtituti ferociam omnem obliviſci

co-

cogantur. Cùm enim naturales liberi cum legitimis æquis partibus ſuccedant, plerique patresfamil. domum ſuam ex tot uxoribus aut pellicibus refertam liberis habeant; fieri non poteſt, ut in tam numeroſam ſobolem diviſa bona, velut in multos rivulos diductus fons, tandem non exareſcant: ſitque perpetua neceſſitas militandi in caſtris, & ſtipendio à Principe præbito vitam tolerare. Ut taceam, polygamiam iſtam ſanè beſtiis magis quàm hominibus convenientem indeſinentem eſſe fontem, ex quo innumerabiles copiæ in aciem, velut magni pecorum greges in macellum educi poſſunt. Quid? ille V.
mos, quo nulli Othomanidarum vel ad nominis famam, vel corporis ſepulturam, templa aliave publica opera extruere licet, niſi imperii fines protulerit, quid aliud eſt, quam incitamentum, & vehementiſſimus ſtimulus, quo vel ignaviſſimi Principis animus ad ambitionem, ad gloriam, & famæ ardentiſſi-

mum deſiderium excitetur. (*vide exemplum de Selymo apud Thuan.* XLVII. *Maurocen. hiſtor. Venet. P.* P*arut.* I. *de bell.* Cypr. M. *Ant. Gratian.* I. *de bello*
VI. *Cypr.*) Illud etiam quòd fœminas à ſuorum templorum liminibus arcent, quid aliud vult, quàm cùm illas ſua imbellia contemptas faciat, ſolos viros, quorum ferocia timeri meretur, fortiſſimo religionis vinculo ligare, mitigare, cicurare? Cui ſimile eſt, quòd olim mulieres ſacro Herculano abſtinebant. (*Gell.*XI.*c.*VI.) quare nec Herculis Gaditani templum mulieribus ingredi fas erat: ut ex Si-
VII. lio Italico obſervat Thom. Dempſter. libr. I. de jurament. c. IV. Denique quod Turcæ credunt, illorum animos, qui cùm morerentur, infenſum Imperatorem habuerunt, æternis apud inferos affligi cruciatibus, nec eorum delicta ullâ pœnitentiâ expurgari poſſe, omni lege & omni pœnâ efficacius retinaculum eſt, ne quis in Im-

Imperatorem quid admittere velit,audeatve. Hæc de Turcis.

Superiori ſeculo Ferdinandus Aragonius propriam habebat militiam; cùm cæteri mercenaria uterentur. Geſſitque res majores, ſi verè rationem inimus, quàm quiſquam ſuorum æqualium.

Etiam in cunctis Reip. Venetæ finibus, vicis, pagiſque deſcripta eſt agreſtis pubes, quæ militari opere exercetur, ac promptam Reip. operam navare parata eſt. (*Iuſtinian. in hiſtor. Ven.*) Quod idem de Allobrogum & Hetruriæ Principibus tradit Joh. Boterus. Et in pleriſque Germaniæ Principum ditionibus arma peritè tractare docentur ſubjecti; maximè ad uſum bombardæ, certus nitrati pulveris, & plumbi, ex quo ferales illi globuli funduntur, modus certis temporibus diſtribui ſolet. Belgis deniq; fœderatis hodieq; uſitatum eſt civos in oppidis & munitis locis unà cum mercenario mi-

lite excubiis admovere; quò proditiones impediantur, & omne periculum, quod à peregrino milite imminet, amoveatur. Sed hæc exempla à ſuperioribus toto cœlo differunt. Nec enim aut Venetis, aut cæteris jam dictis Principibus commune cum Romanis aut Turcis inſtitutum eſt, conſectari gloriam, extendere imperii terminos, bellum ex bello ſerere, nunquam otium velle; ſed ad defenſionem, & qualecunque auxilium comparatum eſt iſtud ſubſidium: quod tamen plerumque vanum exiſtit. Plebs enim, quantumcunque armorum uſum didicerit, & multiplicatis cohortibus impleat campos, par illis nunquam erit, qui inter vera pericula verſati timere deſierunt. Et hoc ipſum ad terrorem erit, quòd timidâ penſatione aciei & veri Martis diſcrimina à fictis certaminibus, & umbratili militia longiſſimè differre animadvertent. Palatino Comiti ſubjecti populi totâ Germaniâ ab armorum tra-

ctandorum peritiâ celebrabantur. Nulli minus ad reſtituendum animi habuerunt. Nempe, aliud eſt, bene ad metam collimare, aliud hoſtem ferire.

Verùm enim verò, qvamvis qvæ hactenus diſputata ſunt, ſatis armorum ſtudium in Rep. egregium eſſe aſſerant: tamen & alia in diverſum argumenta exemplaqve ſunt, qvibus armorum tractationem civibus commiſſam parum tutam eſſe oſtendi poteſt. Iis qvi prudenter condere aut ſtabilire regna ſtudent, hæc duo videntur præcipua: primum, ne populus in Principem facilè poſſit inſurgere: deinde, ne, ſi obſeqvii vincula emolietur, ad inſaniam vires accedant, furorque militiæ vinculo firmetur. Utraqve cautio intervertitur hoc armandorum civium conſilio. Nam & irati nihil prius videbunt, qvàm datura fiduciam arma; & ubi arma rapuerint, ſecura erit, aut non niſi magnis laboribus ſedanda rebellio. Inde, qvod in Gallia armis & militaribus exercitiis

tiis in nobilitate tantum retentis;in plebe longo ocio emollitâ, opificiisque & quæſtui dedita, antiqua gentis ferocia defecit,ſingulari Regum ſtudio factum eſſe ſcribit Guicciardinus; (*2. hiſt.*) ne tàm crebris à furioſo populo conſpirationibus ſeditionibuſq; peteretur. Cyrus omnes gentes, quas ſuo imperio ſubjecerat, ſublatis armis ad fundarum uſum coëgit; quòd hoc armorum genus maximè ſervile arbitraretur. (*Xen. 7.Cyrop.*) Theodoricus Oſtrogothorum & Italiæ Rex tutiſſimum pacis ſtabiliendæ modum ratus eſt, Romanos cæteroſque Italiæ populos armorum exercitio arcere(*Orlãd. malavolt.2.hiſt. Sen.*)Sanè civilium bellorum curandorum neceſſaria medicina eſt,civibus arma adimere. Quod Romanis quoq; in uſu fuit,(*Dio.*42 & 44.*Plin.lib.*34. *cap.* 14.) Et Senenſes cùm diverſo conſilio inſtitiſſent, ruerent. Anno à nato noſtro Servatore cIↃ cc xlv. cùm inter nobiles familias ſæpius in ipſa Senarum

urbe

urbe ad arma & cædes ventum eſſet: Novem-Virûm magiſtratus infelici æquè ac imprudenti conſilio ex ſingulis urbis regionibus (quarum tres erant) quadringentos ſelegit, quibus zonam, arma,& inſignia publica dederunt; addito præcepto, ut ad præconis vocem aut nolarum ſonum omnes ſub ſignis confluerent, accepturi magiſtratus imperia. Sed conſilium, quod ad ſedandas turbas, & arma nobilibus excutienda comparatum erat, in exitium Reip. vertit. Hoc enim inſtituto mucrones, qui in hoſtium ora intentari debebant, in Nobilitatem, alteram civitatis partem verſi civilem ſanguinem ſæpè hauſerunt: & tamdiu armatæ plebi cum nobilibus, pòſt & inter ſe diſſenſiones, certamina atque cædes exercitæ; donec Mædicæi cuncta diſcordiis civilibus feſſa ſub imperium acceperunt. (*Orland. Malavolt. 8. hiſt. Sen.*) Nimirum nō ad omne momen-

mentum plebs armanda eſt. Auctoritas enim & poteſtas qvæcunqve in multitudinem collata, nunqvam benè & feliciter uſurpata fuit Turbas parturire facilè, iis autem excitatis occurrere ſummi laboris eſt. Sed quando ſuperiùs, potentiam Romanam armis omnia debere diximus, nunc qvoqve exitium illi Reip. ex armis proveniſſe dicemus. In ordinanda, & bonis legibus inſtituenda civitate duorum temporum haberi ratio debet, bellorum & pacis: ut & ab externa vi tuta eſſe, & civium inter ſe concordia conſtare poſſit. Verum Romanorum inſtituta propiùs inſpicienti manifeſtum eſt, unum illa finem atqve ſcopum habuiſſe, imperii amplitudinem. Inde bellum ex bello excitabant: &, ut in hoſtes militem haberent fortem, & periculorum contemptorem, exercitia armorum, & virtuti militari præmia inſtituebant. Sed ut aſſveſcerent cives juſtitiæ, temperantiæ, modeſtiæ aliisqve virtutibus civili-

vilibus, qvibus in pace concordes & tranqvilli viverent, nullis aut paucis proviſum erat legibus. Ut inde Tacitus (3. *Annal.*) duodecim tabulas finem æqvi juris fuiſſe, & ſecutas leges adipiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaqve ob prava per vim latas eſſe verè dixerit. Numa qvidem Pompilius, cùm omnia Romuli inſtituta ad militarem virtutem ſpectare videret, religione & ceremoniis Deûm, aliiſqve civilibus virtutibus feroces animos imbuere tentavit: ſed prævalebat militare populi ingenium, & majores radices egerat armorum amor, qvã ut nudis legum in charta ſcriptarum verbis tolli poſſet. In qvo illud à Numa imprudenter omiſſum eſt, qvòd non, ut Lycurgus apud Spartanos, legibus latis earum aſſvetudinem & ad illarum præſcriptum civium educationem conjunxit, chartis eas inſcripſiſſe contentus. Qvid enim vanæ leges ſine moribus proficiunt? Lycurgus parſimoni-

am juſſit, exiſtimans laborem militiæ aſſidua frugalitatis conſuetudine faciliorem fore. Juvenibus non amplius unâ veſte uti toto anno permiſit, nec quenquam cultius quàm alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Fundos inter omnes æqualiter diviſit; ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Convivari omnes publicè juſſit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto eſſent. Rempub. ita ordinavit, ut Senatus, Populus, Rex mutuo reſpectu ſe intra præſcriptos ſibi terminos continerent. Hæc & ſimilia inſtituta civium mores ac educationem, & rempub. ſpectantia non chartæ inſcripta, ſed ſine ſcripturâ rethris incluſa, ut neceſſarium carmen à pueris ediſcebantur, & in animis potius exarata, quàm membranâ accuratiſſimè ſervabantur. Romæ autē, quis moralis virtutis, & civilis honeſtatis, artiumq; pacis curam fuiſſe diceret, ubi ad honores plerumque provehe-

ban-

bantur, non qui juſtitia, quique vitæ innocentiâ inſignes; ſed qui belli ſcientiâ præcellebant, & magnis negotiis pares erant? Quis Syllam aut Marium benè formatæ Reip. cives dicat? Nunquam quidem Roma etiam bonis civibus caruit. Habuit Camillos, Decios, Fabricios, alios. Sed id tantùm volumus, non eam Reip. conditionem fuiſſe, ut illi meliores Rēp. gererent. Quippe cùm in univerſæ plebis manu eſſet, facere imperatores, alioſq; creare magiſtratus, impetu, & conſilii inopiâ plerumque peccabatur. ambitus quoque potentiorum cuncta turbabat. Porrò ex eo, quod alibi docuimus, immoderatum gloriæ deſiderium in libera Rep. civibus timendum; manifeſtum eſt, quantum à perfectione Reipub. Romanæ forma abfuit. Quippe ad imperii magnitudinē tendenti belliſq; perpetuò implicitæ magnos in civibus ſuis, & gloriæ cupidos animos nutrire neceſſe fuit. Quæ res à libertatis curâ

planè

planè abhorret. Inde Venetiis vetere inſtituto invaluit, ut quemadmodum navalium armorum ſuprema authoritas penes patricios eſt, qui poſitâ togâ arma induti patriæ operam ſuam præſtant; ita quæ ad terreſtrem militiam ſpectant, exterorum ducum, quorum ſpectata in Remp. fides, atque eximia virtus præclaris facinoribus eminet, imperio fidei atque curæ committantur. Crediderim non tàm conſilio quàm caſu primitus invectum hunc morem. Quippe ante hæc tempora, qui in Italia vel amplitudine familiæ illuſtres, vel militari diſciplina clari erant, affinitatibus, clientelis atque amicitiis fulti, quoſcunque manu promptos, & ingenio ad militiæ munia obeunda idoneos exiſtimarent ad ſe trahebant, ut in eorum manibus, quicquid vel peditum vel equitum roboris erat reponeretur. Hos Principes ac Reſp. magna plerumque vi auri illectos annuiſque ſtipendiis obſtrictos militiæ ſuæ præficie-

ciebant: illorum ductu atque auſpicio limites non tuebantur modò, ſed & aliquando provehebant. Inde Picinini, Sfortiæ, Fortebracii, Carmaniolæ fluxêre; qui egregiè militiæ muneribus functi memoriam in omnem poſteritatem propagarunt, & humili loco, abjectis parentibus orti, virtute ſibi ad ſummos honores, atque imperia gradum fecerunt. In ea tempora cùm Reſp. Veneta incidiſſet, ubi ad terreſtre quoque imperium animum appulit, à Procerum Rerum publicarumque, quæ tunc in Italia florebant, exemplo non abhorrens externos duces ad ſua ſtipendia accivit. Quod quia ſalutare Reip. eſſe animadverterunt Veneti, etiam hodiè ſervant; accedente ea quoque ratione quòd cùm illi pacem inter cives, concordiamque & æqualitatem ſemper ſummo ſtudio aluerint, quieti publicæ perperam conſultum exiſtiment, civibus tantum auctoritatis impertiri, exercitus ſubjicere, ſummæ rerum

rum præficere; ne dominandi aſſuetu-dine capti, clientelis, atque amicitiis ni-xi, & populari aura inflati opibus ac im-perio in publicam olim perniciem ab-uterentur. (*Io. Boter. lib* 1. *de Rep. Ven.*) Il-lud etiam digniſſimum obſervatione eſt, quod, cum Romani trophæis me-moriā ſuam ad poſteros celebrare per-miſerint, ipſiq; ſtatuas ex ære aut mar-more, quibus aliorum quoque virtutē tanquam gloriæ ſtimulis excitarent, be-nè meritis civibus erexerint, Venetis tamen diverſum placuiſſe. Quanquam enim in ipſa urbe Coleono Bergoma-ti, & Patavii Gatamelæ Narnienſi eque-ſtres ex ære ſtatuas, virtutis teſtimoni-um poſuerint; tamen eundem aut ſimi-lem honorem nulli ſuorum civiū quan-tumvis egregiè de patria merito habu-erunt. Porrò popularis imperii neceſſa-ria lex eſt, tēporarios habere magiſtra-tus: ut quia ad naturalem, in qua creati ſumus homines, paritatem quàm pro-ximè accedit illa Reip. forma recedenti-

bus

bus aliis à Reip. gubernaculis, aliis locus detur. At Romæ contra hanc legem quàm ſępè potentum ambitio peccavit? quoties ante tempus legibus conceſſum honores & magiſtratus incapacibus collati? quoties, ut bellis feliciter cœptis iidẽ nec mutati præeſſent, prorogati ultra tempus magiſtratus? Nimirum contemptæ leges; & paucorum ambitio, qui plebeculæ gratiam aucupabantur, omnia poterat: adeoque inter externa populi Romani incrementa, inter egregias illas victorias & triumphos, quibus captivi Reges ducebãtur, quibus in majorem quotidiè molem excreſcebat prodigioſa illa potentia; domi & in ipſis viſceribus tam vaſti corporis latens oriebatur malum, nimii civiũ ſpiritus, vivida & majora quã quæ libertas ferret, ingenia; bellis ſuetę, & inde feroces atque turbidæ naturæ: cum quibus diu colluctata ſanior Reip. pars tandem impar morbo miſerè concidit. Conſtat igitur inde, Romanos bello-

bellorum quidem veteres, viroſque fortes, ſed ad pacis tempora neque legibus neque aſſvetudine inſtitutos fuiſſe. Ut nemini mirum videri debeat, Remp. illam bellis tantum quæſiviſſe imperium, tantamque gloriam, contra, cùm pace gaudere deberet, velut ferrũ rubigine obſitum omnem amiſiſſe ſplendorem: adeò ut, ubi primùm ceſſerunt minæ hoſtiles, cædes & bella inter ipſos cives exiſterent. Quocirca non injuriâ mihi Scipio Naſica excidium Carthaginis diſſuaſiſſe videtur: quòd conjicere potuit civitatem ad belli tantùm munia inſtitutam & factam in pace otioque ruituram. Quod non eum ſenſum habet, quaſi pax ſua natura Rebuſpub. interitum afferre ſoleat; ſed noverat homo prudentiſſimus Romanæ Reip. labem & imperfectionem, quæ paci tolerandæ impar erat. Si verò non minùs civilibus quàm militiæ inſtitutis floruiſſet Reſp. ſi exciſa Carthagine ſciviſſet arma ponere: poterat

erat id eſſe via ad veram felicitatem, ſummumque bonum civile, non ad interitum. Et profectò, ex hactenus dictis manifeſtum eſt, non pacem, non ocium, ſed bella & arma veram fuiſſe civilium diſſenſionum cauſam. Hæc civium quorundam ambitionem foverunt, hæc nimias opes atque potentiam privatis contulerunt, hæc civitatem in factiones diviſerunt, deduxeruntque ad ruinam. Et quomodo verum eſſe poteſt, pace corruiſſe Romam, quam novit nunquam? cùm Jani templum paulò minùs ſeptingentorum annorum ſpacio non niſi bis claudi potuerit; ſemel poſt primum bellum Punicum; iterùm ab Auguſto poſt devictum navali prælio M. Antonium. Certè Sparta octingentos annos libera vixit, non armorum gloriâ, ſed pacis inſtitutis: quod in diſſertationibus Politicis ſatis oſtendit Paulus Paruta (1. *diſc.* 1.) Et quòd Venetæ Reip. poſt mille ducentos annos non illapſa mala

ſunt, quibus perturbata atque everſa Roma eſt, quæ ferocibus nationibus gentibusque perdomitis, poſt æquatum orbi terrarum imperium, inteſtinis civium odiis concidit, optimæ & perfectiſſimæ Reip. conſtitutioni, quæ pacem, non arma, quietis conſervationem, non imperii amplificationem ſpectat, acceptum ferri debet. Quippe Optimatum imperium, quale Venetis placuit, ſanctis moribus, civilibus alitur virtutibus: & ex diverſo incrementis externis bonæ leges, ſinceri mores, præclara inſtituta labefactantur. Et qui in illa vaſtitate, quam Attila Italiæ fecit, oppidis ſuis exuti, primi intimos iſtos Hadriatici maris ſinus, paludeſque occuparunt, metu ac ſalutis defendendæ ergò non quò aliis dominarentur, iſtam mirabilem urbem fundarunt. Is quoque civitatis ſitus eſt, qui civium ſtudia ad mercaturam potiùs & navigationes, ac divitias cumulandas, quàm ad arma convertere debuit. Præ-

terea

terea in ea tempora incidit urbis initiũ quibus Roma multo indomitarum nationum impetu, tanquã Orbis ſua ſpolia inde repeteret, de ſuæ magnitudinis ac opulentiæ faſtigio dejecta eſt: quâ tàm gravi procella mirandum eſt, nihil calamitatis novæ civitati infuſum eſſe, tãtũ abeſt, ut de imperio cogitare debuerit aut potuerit. Porrò ceſſãte iſta barbarorum armorũ tempeſtate, reſtabant Græcorum imperium, & mox Francorum Germanorumque, & denique Ottomanidarum potentia, magna Veneti imperii impedimenta, & creſcentis potentiæ velut frænum. Quã in re longè feliciùs Romanæ Reip. fatum fuit: quæ primis ſuis initiis Aſſyriorum, & poſt Perſarum Macedonumq; arma procul habuit. Italia in plures populos, quorum quiſque ſui juris erat, diviſa. Ut facile fuerit, quoſdã armis, alios fœdere & ſocietate continere, ne incipienti, & deinde adoleſcenti potentiæ intercederent. Quemadmodum igitur

quod una Urbs Orbi dominari potuit, quodque eadem libertatem ſuam, cùm ad ſummum potentiæ culmen conſcendiſſet, amiſit; intemperantiâ armorum, artiumque pacis ſeu ignoratione, ſeu neglectu accidit: ita quod Veneta Reſpub. in portentoſam, ſimilemque Romanæ magnitudinem ſurgere non potuit, quodque ex contrario non mirabilior imperio quàm libertate in hunc uſque diem per tot mala, & reliqui Orbis ſervitutem ſuperſtes eſt, utrumque non armis ſed pacis ſtudio & civili ſolertiâ contigit. Denique ex eo, quòd ſuprà Turcicum Imperium armorum ſtudio Romanæ Reip. ſimile dixi, conjicere poſſumus, eodem morbo, quo Romanum imperium, vaſtum illud Ottomanicæ potentiæ corpus interiturum; inteſtinis puta diſſidiis, & nimiâ militum licentiâ. Et ſanè dubium non eſt, quin corruptâ veteri diſciplinâ ad interitum vergat illud imperium: eſſent modò, qui propendens ad ruinam impelle-

pellerent, præcipitarentque, Prætorianorum (in quibus peditum robur) virtus elanguit, cùm enim ſua in manu rem Turcicam ſitam cognoſcant; ſuperbiâ inflati, obtemperare ultrà, ducibus recuſant. Cùmque olim non niſi lecta puerorum Chriſtianorum corpora à ſinu matrum rapta in Prætorianorum diſciplinam inſtituerentur, hodiè meliorum inopiâ quivis, etiam interdum Turcarum filii à miniſtris prece & precio corruptis admittunt. Equitatus quoque non eadem, quæ olim fortitudo eſt. Nam, quibus prædia, quæ Timaros appellari diximus, tributa ſunt, agros colere, peculiumque comparcere, quàm equos ſuos curare malunt: & dulcedine ocii capti non niſi invitiſſimi ab agellis ſuis militatum abeunt. Et in univerſum denique adeo luxu infractam eſſe priſtinam Turcarum virtutem ac ferociam ajunt, ut præter famam ex illa nihil ultrà ſit reliquum. (v. *Lazar. Superant. in Ottom. part.* I.) Romani

mani ſaluberrimum ad continendam fidem militarem putabant, longis terrarum ſpaciis diſcerni exercitus, ne vitiis aut viribus miſceri poſſent; ſpargique per provincias militem, & externis bellis illigari. Unde Tacitus (1. *hiſt*) ſæviſſimis poſt Neronis exceſſum temporibus non alias legiones innocentius egiſſe teſtatur, quàm Britannicas, *quòd procul & Oceano ab aliis diviſa erant.* Mihi illuſtris Stheno Bielke Baro Suedus affirmavit, cùm Conſtantinopoli eſſet, in una illa urbe Prætorianorum ad octoginta millia (in eum numerum à XII. millibus excreverunt) omnibus inſolentiâ graves fuiſſe. Quæ autem imprudentia eſt, tot armatos in unam urbem cogere, ſcilicet, ut ſub uno aſpectu ſcipſos mirari, & furoris cogitatione deſævire queant. Ea animorum militarium natura eſt, ut dum hoſtis ſubmovet otium habentq; milites, quos laceſſant aut timeant, vix aut poſſint ſuas vires agnoſcere, aut in ſuperbiam, quàm

illâ contemplatio inſinuat, labi. Aſt ubi ſuis viribus pacem fecerint, nemoque novo diſcrimine interpellat victoriæ memoriã: tunc ceu Principi exprobrent operam ſuam, ſecum expendunt, quantũ effecerint. Unos ſe ſuis civibus ſalutares, ſua in manu ſitam Rempublic. ſuis victoriis augeri patriam, in ſe translatũ rerum arbitrium, & publica fata. Quaſi aliam à cæteris Remp. faciant. in ſe coguntur: otio deinde laſciviunt; quod quãtum fortitudini adimit, tantũ addit proterviæ. Mox ſi juſtis præmiis non putant ſe excoli, ſi continuò obſequiis non placantur; fervent animis, intumeſcunt, indignantur. Certè nos intra viginti, aut triginta annos plures rebelliones, ſeditiones, detectiones, in imperio Turcico audivimus. Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. XCIX. Caſſainus Ciliciæ Satrapa excuſſo Ottomanorum jugo, ingenti exercitu ſtipatus, Ciliciâ excurſionibus deformatâ, Iconium præcipuã urbẽ cepit. Huc inteſtinæ Principũ diſſẽſiones,

corruptæque per luxum leges accedebant: unde libidine atque effrænatâ licentiâ prolapſâ militari diſciplinâ in dies non in provinciis modò, ſed in urbe regia ingentes turbæ excitabantur; ut propemodùm mole ſuâ oppreſſa immenſi imperii vis collabi videretur. Tunc quoque maritimarum rerum curâ relictâ littoralia loca incurſionibus patuerunt: & Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ poſt direptas Patras Chium occupavit. Anno CIↃ. IↃ. CIII. Amurathes Imp. ab efferata plebe & Prætorianis metuens furentium libidini amatiſſimos ſibi duos homines objicere coactus eſt. Eodemque tempore idem Imperator Aſiæ à ſe præpoſitum, cũ ab ipſo defeciſſet pollicitationibus præmiiſque delinitum honoribus ac præfecturis auctum in Pannoniam miſit. Quæ res ab Ottomanidarum inſtituto, & dominico imperio ſanè quàm vehementer abhorruit. Denique quantæ turbæ ab iiſdem profectæ cauſis ante

te

te pauciſſimos annos aulam & imperium Turcicum agitaverint, cùm omnibus nota res ſit, referre non attinet.

Dixi, quæ ab armis, & armipotente populo ad Principem & Rempub. mala, quæque ex diverſo bona perveniant. Summa in eo conſiſtit, quod Hetruſcus Politicus (1. *diſc.* 4.) ait, à ſolis armis magnam ſed brevem potentiam; à pacis ſtudio parvum, ſed fidum & diuturnum imperium eſſe.

Semelque adſumpti tenebantur, prorſus ſine modo, cum plerique iiſdem negotiis inſeneſcerent.] Cauſam dixit Tacitus libro 1. his verbis: *Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, aut juriſdictionibus habere. Cauſæ variæ traduntur. Alii tædio novæ curæ ſemel placita pro æternis ſervaviſſe: quidam invidia, ne plures fruerentur, ſunt qui exiſtiment, ut callidum ejus ingenium ita anxium judicium, neque enim eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat. Exo-*

ptimis periculũ ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat, &c.]

Prima dominandi ſpes in arduo] v. quæ dixi ad lib. 1. verb. *quantò ſummæ ſpei propior &c.*

Talia jaciebat] imprudenter! dixi ad lib. 2. verb. *in ea diviſione &c.*

Vero quoque & honeſto fidem dempſit.] Ita merentur, qui omnibus ſuis dictis factiſque ſimulationum nubes obducunt, ut etiam cùm ſincerè agunt, fidem non mereantur.

Lygdi quoque Spadonis animum ſtupro vinxiſſe.] de hoc flagitioſo dominationis arcano dixi ad lib. 3. verb. *nam vulgatum erat &c.*

Quia Sejanus facinorum omnium repertor habebatur &c. quamvis fabuloſa & immania credebãtur.] Ita meritis, qui per flagitia vivunt, ut non ſuorum modò ſcelerum, ſed & alienorum infamiam luant. In Alcibiade vigor ingenii, & vitiorum amor, & morum luxuria omnia credibilia faciebant. (*Iuſtin.* v.)

Atro-

Atrociore ſemper fama erga dominantium exitus.] Ita de Auguſti exceſſu dixit libro primo: *quidam ſcelus uxoris ſuſpectabant*. Eſt vulgata hiſtoricorũ vox; hunc aut illum Principem obiiſſe, *non ſine ſuſpicione veneni.*

Igitur contumaciam ejus inſectari.] Nota delatorias artes; inſectari, criminari apud potentiores, ea maximè dicta factaque, quæ maximè apud illos valere poſſunt: ſubmittere callidos criminatores, validoſque in animo dominantium: proximos illorum, quibus inſidiæ tales ſtruuntur, inlicere, ut pravis ſermonibus incautos ad peccandum perſtimulent. Cætera dixi ad lib. 1. verb. *Granium Marcellum &c.*

Nihil intermiſſa rerum cura, negotia pro ſolatiis accipiens &c.] Quomodo hoc ipſo libro paulò ſuperiùs Tiberius dixit: ſe fortiora ſolatia è complexu Reip. petiviſſe. Nimirum Principes in eum dignitatis gradum ſubvehuntur à Deo, ut omnium quietem illorum vigi-

lia, omnium otium illorum labor, omnium delicias illorum induſtria & omnium vacationes illorum occupatio defendat. Talem Brutus apud Lucanum (2.) Catonem.

Invenit inſomni volventem publica curâ
Fata virum caſuſque urbis, cunctiſque timentem.
Securumque ſui.

Sacratiſſimus Imperator noſter Ferdinandus Carolum Caraffam Epiſcopum Averſæ Pontificis apud ſe Oratorem interrogaſſe dicitur, ecquid ipſi de cantoribus Muſiciſque ſuis videretur? Cui cum Caraffa, ſummam omnium eſſe excellentiam, reſpondiſſet; ſed, ſi ſui arbitrii foret, juſſurum, ne nimia prolixitate in templo tædium auditoribus facerent: Cæſar ſubridens, tribus inſatiabiliter ſe intereſſe, dixit; ſacrorum celebrationi, conſultationibus diſputationibuſque de Republica, & venationum ſudoribus.

Cla-

Claritudine infaſti generis &c.] v. quæ notavi ad lib. 1. verb. *Pollioniſque Aſinii patris ferociam retineret.*

De immodeſtia hiſtrionum & *pulſi tum hiſtriones Italia.*] Optandum eſſet, toto orbe pellerentur. Fuit ſemper eſtque hodie quoque ſcena omnium vitiorum ſchola. Ibi quicquid obſcœnitatis hactenus occultum, paucioribuſque notum fuit velut ſtipendio propoſito, docetur: ibi turpi voluptate, velut lenocinio innoxii hactenus purique animi adulteriis, ſtupris & cæteris cum ſupercilio ac verecundia nominandis conciliantur: ibi furta, fraudesque ac perjuria diſcuntur: ibi traducuntur Principes; & audientes reverentiâ erga magiſtratus dediſcunt: inde parentum contemptus, prodigendi jactandique ſua amor, pudoris quoque & caſtitatis jactura domum reportatur: ibi denique paulatim patrii mores funditus evertuntur, per accitam laſciviam, ut quod uſquam corrumpi & corrumpere

queat,

queat, in urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis juventus, gymnaſia, & ocia, & turpes amores exercendo. (*Tac. XIV. annal.*) Cothurno tamen non eadem, quæ ſoccis, levitas: & non, ut comœdia, ita tragœdia quoque felicia ſcelera, & dolus præmia habet. Sua flagitiis nemeſis, & ultor Deus; ſua quoque virtutibus merces eſt.

Aequari adoleſcentes ſenectæ ſuæ impatienter indoluit.] Ita S. lib. I. *anxius inviдiâ, & muliebre faſtigium in deminutionem ſui accipiens &c. moderandos feminarum honores dictitans &c.* Et plerumque Principibus ſuſpecti ſunt, qui proximi imperio deſtinantur, ne habere, quàm expectare imperium, ne acerbas Julio menſe, quàm Octobri maturas dulceſque uvas edere malint. Inde omnis nimia adulatio illis facta, omnis honor exhibitus in deterius trahitur. Inde idem noſter Tiberius Macroni Prætorio Præfecto, Orientem Solem ab illo adorari exprobravit: ad Caligulam

lam illius ſtudia reſpicere innuens. (*Tac.IV.annal.*)

Incuſabatque diductam cvivitatem &c. ac ni reſiſtatur fore plures &c.] Hoc illud ſophiſma politicum, quod Itali eleganter injicere alteri Zelotypian dicunt: cujus artifex peritiſſimus fuit Coſmus Mediceus, Hetruriæ Dux; eoque præcipuè Senarum urbes ſuæ ditioni adjecit. Primùm, apud Philippum Hiſpaniæ Regem, qui Urbem illam tenebat, egerat, ut ſibi pecunia in rem Caroli Cæſaris commodata reſtitueretur, aut loco ejus Plombienſis ditio traderetur. Reputatis deinde ſumptibus, quos in bellum Senenſe impenderat, ſpem de univerſa Senenſi ditione occupanda concepit. Quam tum cogitationem ille, ne fidem ſuam ſuſpectam Hiſpanis redderet, prudenter diſſimulavit, petitionibus ſuis crebrò renovatis, & de Plõbino tantũ facta mentione; tẽpus ſcilicet idoneũ opperiens, quo declarãdę voluntatis occaſio ſe offerret, quæ ſe pau-

paulò pòſt in manus dedit. Etenim cùm ex literis oratoris ſui quem Romæ habebat, & Albano Duce reſciſſet, Philippum cui tunc cum Pontifice bellum erat, ab armis omnino diſcedere, eique Senenſem ditionem tradere velle, primùm cum Albano, cui id negocium à Philippo commiſſum erat, egit, ut rem minimè præcipitaret. Miſit deinde ad regem Ludovicum Toletanum; qui poſt repetitam meritorum Coſmi ſeriem, modeſtè iis nullam rependi gratiam queſtus eſt. Tum quantum & ipſius Regis, & Coſmi rebus allatura ſit detrimentum, Senarum in Carafarum manus conſignatio, diſſeruit. Carafas non tàm recentis beneficii, quàm veteris injuriæ memores nova potentia auctos univerſam Italiam maximo cum Regis incommodo turbaturos; Coſmo verò, etſi univerſa pecunia debita exſolvatur, minimè cautum eſſe, ſi cogatur eos habere vicinos, quos, ut Regis rebus inſerviret, tanquam hoſtes ha-

ctenus perſecutus ſit. Proinde cum non poſſe tutò reſtituere, quæ in Senenſi ditione poſſideat, ut Carafis tradantur: quæ eadem tamen ſemper reſtituere paratus ſit, modò ea in Philippi poteſtate permaneant. Quòd ſi verò certum ſit Regi, rem Senenſem à ſe abdicare, non poſſe ſine maximâ injuriâ in alium, quàm Coſmum transferri. Petere igitur eum, ut quando res ſuæ non ampliùs ferant, ut diutiùs in incerto dubii eventus ſalo fluctuet, quid ſuæ voluntatis ſit, Philippus definiat. Eodem tempore, quò Coſmus Toletanum ad Regem miſerat, Romæ famam ſpargi curat, quaſi perpetuis Hiſpanorum deluſionibus irritatus Galliæ Regis amicitiam expeteret. Philippus igitur, qui rem ſeriò agi crederet, rebus ſuis in Italiâ, quibus ſeu evertendis ſeu fulciendis magnum momentum Coſmus afferebat, timere cœpit. Nutabant enim tùm temporis res Hiſpanorum in Italia, hinc Briſſaco duce Galliæ

Regis

Regis in ſubalpinâ regione progreſſus indies faciente, hinc Guiſio in regnum motibus obnoxium irrumpente. Aſſenſit igitur, ut Coſmus ſuo beneficio Senenſem ditionem poſſideret. (*Ioh. Bapt.Cin. 6.de vita Coſmi.*) Iiſdem artibus pòſt Franciſcus Coſmi F. Joannam Auſtriam uxorem adeptus eſt. Cùm enim eandem præter Franciſcum etiam Joannes Sigismundus Tranſylvaniæ Princeps,& Fridericus Daniæ Rex ambirent: Franciſcus primò beneficiis Cęſarem Joannæ patrem demerendum ratus, pecuniam & auxilia in bellum Turcicum promiſit, tum rumorem ſparſit, quaſi Galliæ Rex de ſorore ſibi in uxorem dandâ ſpem feciſſet. Cæſar ergo, qui ejus ope in bello uti conſtituiſſet, poſthabitis aliis Joannam ei matrimonio junxt. (*Thuan. 35.*)

Nec aliud gliſcentis diſcordiæ remedium quam ſi unus alterve maximè prompti ſubverterentur.] v. quæ notavi ad lib. 1. verb. *ne ipſis quidem, qui fecere laudatas.*

& ad

& ad hunc lib. verb. *numeroque & robore &c.*

Immodice jactantis &c. Latè hæc explicavi ad lib. 3. verb. *fato potentia rarò ſempiterna.*

Beneficia eò uſque læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe; ubi multùm antevenere, pro gratia odium redditur.] Senecæ eadem ſententia extat, epiſtola decimâ nonâ: quidam, quò plus debent, magis oderunt. leve æs alienum debitorem facit; grave inimicum. Et Epiſt. 82. eò perductus eſt furor, ut perniciosiſſima res ſit, beneficia in aliquem magna conferre. nam quia putat turpe non reddere, non vult eſſe cui reddat, nullum eſt odium pernicioſius, quàm beneficii violati pudere. Et lib. 2. de benef. 24. Totius eſt, quoſdam offendere, quàm demeruiſſe, argumentum nihil debentium odio quæritur. Dixi ego plura ad lib. 3. verb. *fato potentia, &c.*

Dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi,

ut

ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos; an ſit aliquid in noſtris: liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.] Alibi Tacitus ſine dubitatione ait, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe: obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria & vigor adſint, eò laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum Reip. uſum ambitioſâ morte inclaruerunt (*Tacit. in Agric.*) Alius fortunæ tribuit ad gratiam Principis quoſdam provehere; plerumque autem prudentiæ eſſe in ea felicitate poſitos poſſe ſervare nam ut fortuna ſuâ ſponte non paucos Principibus conciliat: ita multos artificio & calliditate deſtitutos de tanto faſtigio excidere. Ergo arbitror, aulicum non tantum ſuis conſiliis, ſuæque prudentiæ tribuere debere, ut nihil ſibi invium putet; nec viciſſim ita negligentem eſſe, ut omnia ſorti credat. Cogitet aulam navigationem eſſe, in

qua etſi induſtria & ars nautica plurimùm valet, tamen interdum tam inſana tempeſtas maria exercet, ut omne nautarum conſilium pervertat, artemque iis, omnem eripiat. Sæpè tranquillo mari.

--- cùm pluvium detergit cautibus Auſtrum
Cymothoe, & pectit virides in rupe capillos

habilis & in tempeſtates comparata navis, quæque ſæpe maris ſævitiam pertulerat, quodam infortunio mergitur; ſæpè etiam laceratum navigium.

Nec ſævi patiens boreæ, cùm turbidus ille
Stridet, & alternis medium ſeſe obruit undis

vel media hyeme evaſit in tutum.

In animo revolvente iras, etiamſi impetus offenſionis languerat memoria valebat] dixi ad lib.3.verb.*ſibi tamen adverſus eum &c.*

Iuſſa principis magis, quàm incerta belli me-

li metuens.] Miniſtrum Principis; negotia, non ut ipſe melius putat, ſed ut juſſit Princeps, expedire æquum eſt. Una actionum ſuarum cynoſura eſſe debet, domini voluntas. Vix igitur ex fidelis miniſtri officio egit Vaſtius, ad quem cùm Vincentius Fidelis à Senatus-Veneti ſecretis acceſſiſſet, ut an quæ de apparatu Hiſpanorum in Turcicum bellum ſpargebantur, vera eſſent expiſcaretur; ille ſe, depoſita miniſtri Cæſarei perſona, Venetis ſuadere dixit, ut rebus ſuis proſpiciant, nihil enim, quod in tãti belli uſus neceſſariũ eſſet, proviſum. (*Andr. Maurocen.* 4 *hiſtor.*) Interdum tamen, ubi Principum juſſa parùm honeſta erunt, potius erit honeſtum, quã voluntatem Principis reſpicere. Quemadmodum Papinianus fratricidium Caracallæ excuſare noluit. Antonius Cardinalis Pratenſis fœderi à Franciſco I. Galliarum Rege cum Turcis inito, & Murcurinus Cattinara tranſactioni cum Franciſco Rege, juben-

te Caralo Cæſare, ſubſcribere recuſarunt.

Negatus honor gloriam intendit] notavi ad finem lib. 3.

Exprobraverat, ſuum tantum ſtudium &c.] v. quæ dixi ad lib. 3. verb. *fato potentia &c.*

Delatores, genus hominum &c.] quæ latè ſcripſi ad lib. 1. verb. *Granium Marcellum &c.*

Princeps proferendi imperii incurioſus erat.] Non ignaviâ credo, ſed conſilio, & quia Auguſtus Imper. breviario, quod ſua manu ſcriptum Tiberio reliquerat, conſilium addiderat, *coercendi intra terminos imperii.* (*Tac. 1. annal. v. Thō. Dempſt. lib. 2. apparat ad hiſt. Scotic.*) Ego ad lib. 1. expoſui cauſam, quæ Auguſtum ad hoc conſiliũ movere potuit. Et generaliter verũ eſt, magnorum imperiorum non ſemper optandam eſſe conditionem. Sunt, quæ mediocris potentiæ regna magis cōmendent. Primũ enim ſuperba illa imperii moles plerũ- I.

que

que vanam ſui confidentiam affert, & inde ſecuritatem hoſtiumque contemptum; certiſſimè futuræ ruinæ ſigna, imò cauſas. Qui non magis ſperandi, quàm timendi cauſas habent, acriter rebus ſuis invigilant; qui magnitudinis ſolâ opinione tutos ſe arbitrantur, per ocium & ignaviam hebeſcunt. Ecce! Darius tanti imperii Rex, Alexandrum puerum vocabat; & ferulâ illum caſtigari volebat, ipſe deinde, ab hoc puero
II. regno exutus. Deinde magnam potentiam odium & invidia vicinorum comitatur. Etiam disjuncti inter ſe coeunt, capeſſuntque conſilia, quibus ſuis rebus formidabilem fortunam evertant. Carolus V. poſt tot victorias, poſt, ut ipſe rebatur, victam & exutam omni potentia Germaniam, plures ſibi hoſtes concitavit. Hiſpaniæ Regum hodie adeò ſuſpecta omnibus magnitudo eſt, ut, ubi primùm ab illis ſcribi miles cœperit, omnes ſibi ſtrui inſidias arbitrentur. Nam potentia Regis, & genti innata

ta ambitio, & affectati orbis terrarum imperii opinio etiam inania credibilia faciunt. Inde fœdera, inde mutuæ pro tuenda communi ſalute conventiones; & plura in arcano, quàm publicè pacta. Quæ res omnia Hiſpanis difficilia facit. Adeòque prudentium judicio ſummum nunc eſt ubi conſiſtit Hiſpana potentia, & monarchiæ illius velut ſolſtitium. Sed nunc hæc transmitto; plura dicturus ad librum 6. Redeo ad magna imperia; quæ plerumque mole quoque ſua laborant, ingentibus ſpaciis terrarum, & populorum varietate diffuſa. Cùm enim ad civium ſalutem imperium attendere debeat: quomodo unius ingenium tot gentium incolumitatem tueri poterit? Nimirum, dicet aliquis, amici Principum ſunt, in quos partem curarum transferant domini, qui longiùs remotorum populorum ſaluti invigilent. Benè id quidem, ſi illi tales non ſuas potius cupiditates, ſuam auri argentique ſitim extinguere vel- III.

lent; quàm aut Principis famam, aut gentium bonum curare. Vos mihi teſtes, Neapolis & Mediolanum. Proreges, Præſideſque veſtri non ſibi apud vos regnum minus in ampliori Hiſpanico conſtituunt? non tradimini illis in certiſſimam ſervitutem? non tributis & vectigalibus exhaurimini quam ſæviſſimè? Mitto vetera. Anno cIↄ Iↄcvii. Comes Fontanus Mediolanenſibus militem immiſit: in quem alendum ſola urbs ſingulis diebus ſeptem millia Philippicorum ſolvebat. Cumque ea de re cives ad Regem conqueſtum miſiſſent, obtinuiſſentque ad Fontanum de dimittendo milite mandatum; ille nihil motus, abſentes non intelligere præſentium rerum ſtatum, reſpondit. Hæc audent iſti homines penè in oculis ſuis Regis: quid non faciant Præfecti apud Indos, novique Orbis incolas; qui Regem ſuum, cùm videre nunquam poſſint, credere tantùm coguntur.

tur. In orbe terrarum penè alio, in poteſtate tàm libera, in gente ſervituti aſſveta quale ipſorum imperium eſſe putamus? maximè quia certiſſimâ cum impunitate peccant; non ſecuturis è provinciâ, qui eos repetundarum arguant. Hadrianus igitur ut malis occurreret, qvæ ex Imperatoris abſentia in provinciis naſcantur, omne vitæ & imperii ſui tempus in perpetuis peregrinationibus conſumpſit: reſtrinxitqve imperium in Oriente, Euphratem pro limite conſtituens, & in libertatem ulteriores omnes populos remittens. Sed nullus Principum eſt, qvi relicta regia ſua, cum Hadriano perpetui itineris laborem, & Scythicas pati pruinas velit. Alius magni imperii defectus eſt, qvod cum de majoribus negotiis ad IV.
Principem referri neceſſe ſit; non niſi poſt longũ tempus nuncii cum reſponſis redire poſſint, & ita *ex diſtantibus terrarum ſpaciis conſilia poſt res afferantur.* (*Tacit. 3. hiſt.* Optandum igitur eſſet,

Ca-

Camelos imitarentur Principes: quos ajunt onera recepturos ſponte in genua ſubſidere, nec exſurgere priuſquam injectum illis fuerit, quantum ferre poſſunt: graviora viribus non recipere, ſed antè, quam illa ſibi imponantur, in pedes ſurgere, & nec juſſos abire.
V. Porro fieri quoque ſolet ut mediocres principatus maximis imperiis, viris, opibus, potentia haut rarò nihil concedant. Xenophon. (*lib.* 1. *de exped. Cyri min.*) Perſarum regnum, quamvis provinciarum amplitudine, & hominum numero maximum, tamen ob itinerum immania ſpacia, & quod copiæ militares hinc inde divulſæ ſint, infirmum atque imbecillum pronunciat. Et noſtri ſapientes Galliæ Regem expeditis viribus Hiſpano potiorem aſfirmant. Nam & ſterilitate homines, & inde ſolitudine præcipua regna damnata ſunt. Membra quoque tam vaſti corporis nimium diſtracta: quæ quamvis Genuenſium patronatu, & affinitato

te cum Allobrogum Principe inita jungere Reges Hiſpaniæ tentaverint; tamen quòd nos iiſdem finibus utantur Allobrox & Genuenſes, quibus Hiſpani, fruſtrà hactenus illa conſilia fuerunt.

Denique cùm in rebus humanis nihil perpetuum ſit; fit ut cùm illæ eò progreſſæ ſunt, unde ultrà non poſſunt; neceſſariò iterum labantur, atque decreſcant. Virtus quietem parat, quies otium; otium porrò luxum generat, luxus interitum. Et ſi nulla alia cauſa ſit, naturâ ita comparatum eſt, ut quod cœpit finiat. Ut cætera ita reſp. & regna naſcuntur, creſcunt, florent, decreſcũt, moriuntur: & ſicut ex ferro rubigo, ex ligno teredines gignuntur: ita rebuſpub. naturæ lex poſita eſt, ex ſe ipſis gignere, quæ eas aliquando convertent aut evertent. Ut verè in hypomneſibus Guicciardinus dicat, nõ eſſe infelicẽ eã civitatem, quæ cùm multa ſecula floruit, de dignitate ſua dejicitur, nec e- VI.

nim infelicitatem eſſe, ſubjici legi naturæ.

Nunc magnam potentiam mortalem eſſe etiam exemplis oſtendemus. Alexandri Magni furioſa ambitio Macedoniæ Græciæque imperio non contenta, ſceptra Perſica legitimo Regi excuſſa ſibi aſſeruit, Indos devicit. Afris jugi ſui minas intentavit, imperium deniqve uſqve qvò rerum natura diffunditur, proferre concupivit. At ille Alexander in ætatis flore, in medio rerum ſuarum curſu extinctus, regnum reliqvit incompoſitum, hoc eſt, matri, uxori, liberis peniciem; & amicis eorumq; ſtirpi perpetuam digladiandi, & inuſitatis ſceleribus in ſe invicem ſæviendi materiam. Alexandro in omni hiſtoria ſimiliorem non invenio, quàm Temirlancum Scytharum Regem, qui infinito cum exercitu, non tam jure regio, quàm prædonis more longinqvis itineribus percurſando, qvæ obtineri neqvibant omne imperium cum vita amiſit,

non

nõ diſſimilis illis hominibus, qui nimium ingerentes ventriculo, vomitu remetiuntur, quod cõcoqvere neqveunt. *Roma modicis rebus virorum virtutumque feraciſſima fuit, Sed ubi ſubacto orbe, & æmulis urbibus regibuſque excisis ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit; prima inter patres plebemque certamina exarſere. Modò turbulenti tribuni, modò Conſules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum mox è plebe infima C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos* Cn. P*ompejus occultior non melior? & nunquam poſteà niſi de principatu quæſitũ.* (Tacit. 11. *hiſt.*) In ſtuporem rapimur, ſi virorum præſtantiam intuemur, quos primi Iↄ. urbis anni ediderunt; ſi virtutis excellentiam, ſi pietatem, ſi juſtitiam, continentiam, libertatis ſtudium ingens & amorem conſideremus. Nimirum cum illis gentibus adhuc luctabatur populus Romanus, quæ nihil ex transmarinis

moribus in urbem invehere poterant. At poſtquam auratum eſſe Capitolium cœpit, & luxus in urbem tranſiit, atque piſcis pluris veniit, quàm bos: illicò evanuit virtus in theatris, emarcuit in Luculli villis & hortis, ſuffocata eſt Meſſalæ piſcinis, poſtremò extincta otio ac voluptatibus. Ut pronum fuerit atque expeditum Vandalis, Gothis, Herulis, aliiſque barbaris, Romanas ſibi vindicare provincias, atq; adeò Romam ipſam capere, diripere, incendere. Somniabant quidem Romani *æternam urbem*, & imperium; pro æternitate Urbis vota nuncupantes, ludos edentes, victimas cædentes: ſed fruſtrà fuerunt. Cùm enim tempus fatis deſtinatum advenifſet: ex obſcuro quodam angulo orbis terrarum, ubi vaſtitas feris tantùm habitata beſtiis putabatur, uno ferè momento inuſitatum antehac hominum genus ruens ut turbo montibus celſis (Ammiani Marcellini verba ſunt libro primo & triceſimo) prorupit

pit tanto numero, ut totum terrarum orbem implere poſſe videretur. Tum ſtatim à Gothis ablata Romanis omnis ferè Græcia, inſuper Italia atque Hiſpania, à Bulgaris Dacia atque Myſia, à Vandalis tota Africa, à Francis Germania & Gallia, à Saxonibus Britannia, à Slavis Sarmatia, Illyricum: nec multò poſt à Saracenis Ægyptus, Arabia, Syria, Chaldæa; à Tartaris Armenia, Hircania, Colchis, & quicquid ad mare Caſpium & Hircanum interjacet; à Turcis univerſa minor Aſia, cum Cappadocia, Ponto, Bithynia & reliquis ad Perſarum uſque terminos Aſiæ provinciis; à Perſis quicquid in Indiam uſque porrigitur. &c.

Cunctas nationes & urbes populus aut primores, aut ſinguli regunt.] Ab omnibus vulgare agitatur argumentum, ecquod inter homines optimum ſit imperii genus. Qua diſputatione aliud nihil hactenus profectum eſt, quàm quòd claruit inde, nullam omnibus

numeris abſolutam potuiſſe fingi Rempub. & ubique eſſe, quæ omnium ſub ſole rerum imperfectionem arguant. Credo Numinis ſapientiam eſſe, quæ *non eſſe nobis hic permanentem civitatem,* oſtendere vult. Alia nobis patria eſt. Interim in terris peregrinantibus *id cuiq; genus imperii cariſſimum eſſe debet, ſub quo eſt genitus.*

Si evenit, haut diuturna eſſe poteſt.] Nulla mixtio tàm perfecta eſſe poteſt, cujus aliqua pars non denique reliquas exſuperet, inque ſuam naturam trahat.

Vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; ſenatuſque & optimatum ingenia, qui maximè perdidic erant, callidi temporum, & ſapientes credebantur; ſic converſo ſtatu, neque alia rerum, quam ſi unus imperitet, hæc conquiri, tradique in rem fuerit.] In Repub. viventibus exploranda vulgi aut Optimatum natura, quibusque ſtudiis aut artibus capiantur. Tum aptandus animus

nimus ad ea, quibus probari civitati poſſumus. Leges, jura, immunitates ignorari nō debent. Tum quibus initiis fundata civitas ſit; quibus artibus creverit, floreatq;: aut ex diverſo, quâ in re ab antiquis inſtitutis receſſerit: quæ interitum afferre poſſint; qui Cæſares, qui Catones in ea ſint; publicæ an privatæ divitiæ prævaleant; ſuis civibus armorum imperium committat, an externis ducibus utatur; denique quibus maximè artibus libertatem teneat. Qui verò Regibus naſcendi conditione obnoxii ſunt, quæ bonorum malorumque Principum artes ſint, ſcire debent; quibus modis habeantur, qui unius familiæ veluti hereditas ſunt, quibus item, qui ſui muneris regna faciunt. Sciendum item eſt, quibus artibus teneantur gentes, velut nata mancipia domini arbitrium ſimplicius expectantes, quib⁹ ex diverſo populi nec totam libertatem, nec totam ſervitutem patientes. Præterea quâ calliditate civium nec ſentientium

immunitates,& antiquas prærogativas minuant Principes; quis Regum ſuo ingenio utentium genius; qvæqve illorum natura, qvi aliis ſe & regni adminiſtrationem tradiderunt; qvæ fœderum, affinitatum, & amicitiæ inter regnantes conditio. Poſtremò aulam penitus noſcere, Procerum, cæterorumque hominum ibi opes, famam, honorem quærentium ſtudia, delatorum ſcelus, veneficia, adulteria, & cætera dominationis flagitioſiſſima inſtrumenta, denique omnem bonarum malarumque artium diſciplinam non in uſum ſed cautionem didiciſſe neceſſarium erit. Nunc velim conſiderent qui *diſputando* Politicam diſcunt, ecquid ipſi harum rerum ſciant. Sed ſcilicet exterorum hæc ſunt artificia nihil ad Germanorum Rempubl. pertinentia. Nobis *Auream Bullam* Caroli IV. interterpretari, docere & diſcere ſatis eſt. Quaſi verò non iidem, qvi hæc dicunt, imminui jura & privilegia, peſſumdari

aureæ

aureæ bullæ ſanctiones, Hiſpanos orbis imperium affectare, peregrinis artibus nobiſcum agi, conquerantur. Eccur igitur, qvibus ſophiſmatis ſubvertantur leges, auferanturque immunitates, quibus artibus Hiſpani ad Catholicum regnum graſſentur, qvæ denique externæ technæ ſint, qvibus petimur, diſcere nolunt? Diogenem in dolio diceres, qvi ibi incluſus, qvid reliqvus orbis ageret, non curabat.

S*preta exoleſcunt, &c.*] v. notas ad lib. 1. verb. *immotum adverſas &c.*

Libros per ædiles cremandos cenſuere patres, ſed manſerunt occultati & editi.] Multò minùs hodiè præſenti potentia extingui poterit ſeqventis ævi memoria. Nam & typographiæ beneficio in plures libri ſparguntur; nec prohibitio ultra prohibentis territorium extenditur. Nulli ſunt Romani, qvi Orbi dominentur. Ergò qvod in Italia ſcribi non poterit, in Germania poterit, & qvod ibi non licebit, Galli edent &c. Ex

qvo

quo tamen non ſequitur, impios, aut improbos notæve obſcœnitatis libros non prohibendos. Quamvis enim verum ſit, ejuſmodi ſcripta plerumque avidè conquiri lectitariq;, donec cum periculo parantur; *mox licentiam habendi oblivionem afferre*: (*Tacit.* 14. *Annal.*) tamen quidam ignoratione libri, alii metu, plurimi emendi difficultate iſta vetita negligent. Ita quidam librum neſcient, quidã legere nolent, quidam non poterunt.

Leves, *ignobiles pœnis adficiebantur.*] Minuta ſacrilegia puniuntur, & magna triumphis feruntur. (*Sen. Ep*, 87.) Muſcarum parvæ telis aranearum pendent; veſpæ perrumpunt.

Validus alioqui ſpernendis honoribus.] Non unum eſt in hac hiſtoria modeſtiæ Tiberii documentum. Atqui is mundi dominus erat. Hodie quorundam tanta dementia eſt, tantaq; vanitas, ut titulos patrimoniis emant; titulos ſplendidos illos quidem, & famoſos, ſed omni

omni re vacuos; quique non ad aliud utiles ſunt quàm ut quod ex patrimonio reliquum eſt devorent. Ventum eſt, in Italia maximè & Hiſpania, eò ineptiarum, ut cùm ejuſmodi par negotiorum aut officii cauſa congreſſum parant, priùs nunciis hinc indè commeantibus de mutuis titulis & cęremoniis, quibus utantur invicem, conveniant.

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

Vaneſcet Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur.] Præcipuum vulgatorum horum exemplum ſunt equeſtrium ordinum nomina: quæ olim virtutis præmium, nunc promiſcuè etiam indigniſſimo cuique conferuntur. Ut quidam inde S. Michaëlis in Gallia Ordinem non ampliùs virtutis ſignum, ſed omnium beſtiarum monile dixerit.

Satis ſuperque memoriæ meæ tribuent, &c.] Egregia verba, & auro ſignandâ! Summa eſt, unum inſatiabiliter parandum, proſperā ſui memoriā: quod duplici

plici conſequimur viâ; virtutum famâ, & externis monimentis: qvales ſtatuæ ſunt, effigies & ſimilia. Virtutum recordatio etiam ſine pictura aut ſculptura in hominum animis vivit. Qvæ ſaxo ſtruuntur, ſi judicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulcris ſpernuntur. Falluntur ergò, qvi virtute deſtituti marmoreis molibus & mendacibus inſcriptionibus poſteritatem falli putant.

Moris tum erat etiam præſentem ſcripto adire.] Atque adeò hodie idem mos durat: ſive majeſtati ita conſultum Principes putant, ſive hoc modo tempus tanqvam ad integrum conſultationem ſibi ſervant. An cùm à Principis facie neminem triſtem diſcedere oporteat, repulſæ pudorem ſublevant datæ per intermedias perſonas vel per epiſtolã, qvæ non erubeſcere dicitur. Sed qvaliſcunqve illa ſit ratio, qvæ in Principibus iſtum morem probet, in privatis non ferenda ſuperbia erit. Qvis non rideat ine-

ineptiam illius, qui cum infantem ex ſacro baptiſmate ſuſcipere rogaretur, ſcripto id à ſe peti juſſit? Qvis ſine riſu, imò qvis ſine indignatione Pallantem Claudii libertum audiat, nihil unqvam domi, niſi nutu aut manu ſignificaſſe; vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto uſum, ne vocem conſociaret? (*Tac.* 13. *Annal.*) & tamen in univerſum veteres non voce, ſed poppyſmatis, ſibilis, & expreſſo digitis ſono famulos vocaſſe, raroqve contuliſſe cum illis ſermonem obſervat accuratiſſimus Laurentius Pignorius in doctiſſimo de miniſteriis ſervorum commentario.

Quibus præcipua rerum ad famam dirigenda] v. qvæ dixi latiſſimè ad lib. 1. paſſim. & lib. 3. verb. *provenere dominationes.* Non poſſum aptius exemplum afferre, quàm Hiſpaniarum Regis. Ex qvo ſecurâ Neapolitani regni & Mediolanenſis Ducatus poſſeſſione gaudet, nunqvam illius rebus conducere poteſt, turbari Italiæ qvietem. Et tamen ſu-

ſuperioribus annis, cum inter Paulum V. Pontificem & Remp. Venetam nota Orbi diſſidia vix benè quietam Italiam ad novos motus ſolicitare viderentur, Philippus III. Rex, quò ſe Eccleſiæ defenſorem oſtentaret, largiſſimè Pontifici ſuas opes obtulit. Nec huc uſque res ſtetit. Mandatum Comiti Fontano, militem ſcriberet; Pontifici requirenti præſtò eſſet. Scriptus miles, omnia ad bellum parata: adeoque in iſta pietatis oſtentamenta impenſa ſunt octingenta millia philippicûm, ex regiâ pecunia; præter id quod à civitatibus & oppidis Ducatus Mediolanenſis depenſum eſt. Quod quantum fuerit ex eo colligitur, quòd ſola Mediolanenſis civitas ſeptẽ Philippicum millia in ſingulos dies dedit. Et tamen Regis apud Venetos Orator ſanctè Senatui affirmavit, (& verum erat) Regem nolle bellum in Italia; omnia iſta fieri, quò Pontifici ampliſſimè de Regis pietate conſtaret &c.

Falleris enim Sejane, *ſi te manſurum in* co-

eodem ordine putas] v. quæ dixi ad lib. I. verb. *pridem inviſus, tanquam ducta &c.*

Vt Tiberium ad vitam procul Roma &c.] notavi hoc artificium ſ. hoc lib. verb. *mox Tiberium &c.*

Litterarumque magna ex parte &c.] vide dicto loco.

Minui ſibi invidiam adempta ſalutantium turba] & hoc eſt illud præceptum: *noli facere. conſervus tuus ſum.* de quo dixi ad librum tertium. Hoc modo Nicolaus Capponus, depoſita Vexilliferi (Gonfalonierum dicunt) dignitate, minuendæ invidiæ cauſa ruſticatum in villam abiit. Et Bernardus Cabrera ardentiſſimo apud Petrum Aragoniũ favore, eundem in finem monaſterio ſe incluſit: unde à Rege extractus, & majoribus admotus honoribus, non potuit æmulorum invidiam declinare. Horum enim ſuggeſtionibus incitatus Rex innocentiſſimo, nec cujuſquam ſceleris comperto caput demi juſſit.

Ca-

Cæſar objectam ſibi adverſus reos inclementiam eò pervicaciùs amplexus.] Tyranni ut faciendis ſceleribus prompti, ita qvæ fecerunt audiendi impatientes ſunt. Nolunt corrigi, reprehendi, moneri. Referunt Hiſpaniæ Regem circa annum Chriſti cIɔ. ccc. LVIII. tam furiosè puellam qvandam deperiiſſe ut non modò in illius gratiam plurima rege indigna faceret, ſed & ſuâ manu qvoſdam regii ſangvinis illius causâ occideret; deniqve eidem ab omnibus regni ordinibus fidelitatem, & obſeqvium jurari vellet. Abominati proceres rei indignitatem, duodecim ex primariâ nobilitate viros ad Regem ablegarunt; juſſos reverenter deformem amorem, cauſasqve propter qvas pellici regiæ obſeqvium jurare neqveant, exponere. Qvod cùm illi feciſſent, Rex, barbâ ſuâ tactâ; per hanc juro, dixit, malè vos locutos. Nec alio dato reſponſo eos dimiſit. Paucis interjectis diebus, cùm Hiſpalim veniſſet, XII. illos ora-

oratores noctu in ædibus ſuis interfici juſſit.

Ne regibus quidem parere, niſi ex libidine ſoluti.] Qvod plerumqve accidit in populis, qvi immunitatibus & qvadam libertatis imagine gloriantur. Indeqve Boccalinus privilegia *lapidem ſcandali*, *ſeminarium zizaniorum* appellat: ex qvâ cauſa omnia inter Principem & ſubjectos diſſidia oriantur. Sanè Principatus, qvò propiùs dominatum accedit, & ſolutam legibus poteſtatem, eò firmior minuſqve ſeditionibus obnoxius eſſe videtur: & ex contrario pronior eſt in rebelliones & civilia bella, omni tyrannide pejus malum, via, ubi Optimatibus, potentiæ & opum ſuarum conſciis in Regem contumacibus eſſe licet. Nec in Regem modò, ſed & in mutuam plerumqve perniciem arma ſumunt, qvi in magno regno parvos ſe Reges ſciunt. Tacitus de Britannis: *(in Agric.) olim Regibus parebant; nunc per Principes factionibus & ſtudiis trahuntur,*

nec

nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quàm quòd in commune non conſulunt. Rarus duab. tribuſve civitatibus ad propulſandum commune periculum conventus Ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur. De iiſdem Britanniæ populis, ſed recentioribus, Guilielmus Neubrigenſis, ſat prudens ſcriptor, in Hiſtoria rerum Anglicarum ſui temporis ita ait: *Caſtella per ſingulas provincias crebra ſurrexerant ſtudio partium; erantque in Anglia quodammodò tot Reges, quot domini caſtellorum; habentes ſinguli percuſſuram proprii numiſmatis, & poteſtatem ſubditis regio more dicendi juris. Cùm itaq; ſinguli excellere quærerēt, ut quidam ſuperiorem, quidam vel parem ferre non poſſent, feralibus inter ſe inimicitiis diſceptantes, rapinis atque incendiis pulcherrimas regiones corruperunt.* Denique Chriſtianorum Principum multitudinem exarmaſſe illorum potentiam atque auxiſſe rem Turcicam, & noſtri homines agnoſunt, (v. *Th. pol. cap.* 33. & 36.)

36.) & ipſi Turcæ ſciunt. Cùm enim Mahumetes Imp. vereretur, ne Occidentis Principes Conſtantinopoli à ſe obſeſſæ auxilia ſubmitterent; Sogam. Baſſa ei his verbis metum dempſiſſe dicitur: Noſti, Domine, Italorum Principum polyarchiã facere, ut anarchi ſint, nec concordes eſſe poſſint. Multa quidem illi ratiocinantur, conſultant, decernunt; ſed horũ nihil aut parum exequũtur; & quod hodiè volunt, ejus cras pœnitet. (*Georg. Phranzes Protoveſt. 3. hiſt. Conſtant.*) Et Ibraimus Baſſa in Comitiis Imperii Francofortenſibus dixiſſe fertur: Germanorũ conſilia & actiones ſimiles eſſe belluæ multorũ capitũ, & pluriũ caudarum, quæ ſepem tranſire conaretur. & quia capitũ quodq; ſibi diverſum foramẽ quæreret; fieri, ut ſimul univerſum corpus maneat imotũ, impediaturq; quò minùs ulterius progrederetur. Contrà ſuum Imperatorẽ unicipiti animali comparabat, plures habẽti caudas: quod ubi ſemel capite trãſiiſſet,

ſet, ſtatim corpore toto atqve caudis omnibus ſine ullo impedimento penetraret. Barbari judicium minimè barbarum! Nam in comitiis, qvæ ſarciendæ paci publicæ & communi bono ſtabiliendo augendoqve ſacra eſſe debebant, qvæ conſiliorum ſunt ſciſſuræ & factiones: imo qvæ conſiliorum communium ſunt effugia? Cùm jam ad portas eſt Hannibal, dum monentur Principes & civitates, dum delecti vocantur, dum tributa emendicantur, aliqvot menſium labor eſt: & religioſum tamen hunc ordinem non expectant negotia; effluitqve inter moras rei gerendæ occaſio, aut ingruit malum, qvod præſentibus poterat repelli ſtipendiis. Bella non auro minùs, qvàm ferro geri ſolent. Qvia autem citiùs hoſtis adeſt, qvàm Imperii Proceres conveniant, deſunt plerumqve publicæ opes, qvibus alatur domeſticus miles, & ex vicinis gentibus auxilia contrahantur.

Datis

Datis mitibus reſponſis, dum &c.] Qui alios repentino bello adoriri, aut aliorum in ſe impetum remorari volūt, *pacem & concordiam ſpecioſis & irritis nominib. jactant.* (*Tacit.* I.) & miſſis legatis, aut ad ſe miſſis detentis, adverſarium ludificant. Nonnunquam etiam dimittuntur hoſtium oratores non alio cum reſponſo, quàm ſecuturos mox relaturos reſponſionem: ii autem deinde aut planè non mittuntur, aut non niſi compoſitis neceſſariis rebus tarde nimis expediuntur. Romanorum legati à Perſeo è Macedonibus redeuntes, nullâ re magis gloriabantur, quàm decepto per induciam & ſpem pacis Rege, adeo enim apparatibus belli fuiſſe inſtructum, ut omnia opportuna loca præoccupari ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam tranſmitteretur. Spatio autem induciarum ſumpto venturum illum nihilo paratiorem: Romanos omnibus rebus inſtructiores cœpturos bellum. (*Liv.* XLII.)

C.Cæſar Helvetios tranſitum petentes diſtulit,ad præſtitutam diem redire juſſos:interim aditus omnes validis præſidiis firmavit:reverſis deinde tranſitum negavit.(*Caſ.*1.*de bell.Gall.*) Et Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus reſponſis, dum Pomponius Labeo è Mœſia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium veniret, Thraces eluſit. (*Tac.hic.* Simile exemplum de Ptolomæo Philopatore Ægypti Rege eſt apud Polyb. (*lib.*v.) aliud de Emanuele Imperatore Conſtantinopolitano apud P.Juſtinianum (11.*hiſt. Venet.*) aliud apud Hieronymum Coneſtaggium (*lib.* iv.*de conjunct.Portug.cum reg.Caſtil*) de Philippo Rege Hiſpaniæ, Cardinalem Riarium à Pontifice ad ſe miſſum, in itinere per præfectos ſuos magnifice excipiente, ludiſque & ſpectaculorum varietate tàm diu detinente,donec Albæ Dux Luſitaniæ regnum (de cujus controverſa ſucceſſione Pontifex ſibi cogni-

cognitionem arrogabat) ſubegiſſet. Aliud de Coſmo Medicæo apud Jo. Baptiſtam Cinum (*lib. 1. de vit. Coſm.*) Salviatum & Ridolfum Cardinales, ne noviter jacta imperii fundamenta convellerent, extra urbem per amicos detinẽte. Denique noſtra memoria in famoſiſſima Oſtendæ obſidione Albertus Archidux hoc modo à præſidiariis deluſus eſt. Cùm enim inducias pepigiſſent, quaſi de deditione acturi, dum ſimulant colloqvium, furtim V. cohortes auxiliares cum ingenti vi commeatus intromiſſæ ſunt. Sed non debuit præteriri inſignis ejuſmodi Themiſtoclis aſtus, quo Lacedæmonios decepit. Poſt Xerxis è Græcia fugam Athenienſes urbis ſuæ muros, quos ipſi ante diruerant, reſtaurare parabant. Quod cùm Lacedæmonii, quibus omnia illorum conſilia ſuſpecta erant, legatis miſſis impedire vellent adeoq; verbis vim addituri viderentur: Athenienſes Themiſtoclis uſi cõſilio, Lacedæmonios demittũt cũ re-

ſponſo: è veſtigio ſecuturos ſuos oratores, qui cauſam ſuam ſociis probaturi ſint. Illis abeuntibus, ipſe Themiſtocles Spartam ablegari ſe jubet, alioſque ſibi adjungit ſocios; qui tamen non ſecum abirent, ſed tam diu manerent, donec murum in eam altitudinem extruxiſſent, quæ hoſtium impetum repellere poſſet. Urgerent modò opus, nec ulli labori, ſumptuive parcerent. Peracto itinere, cum Spartam veniſſet, non illicò ad magiſtratus perrexit: ſed initio cauſas ipſe ſibi pro arbitrio fingens, tandem ſocios ſe expectare dicens, miratusque nondum adeſſe, rem in multum tempus extraxit. Tandem cùm illi quoque veniſſent, & Lacedæmonii interea certis nunciis comperiſſent, ſurgere Athenienſium muros, nec ullam nunciationis ſuæ curam haberi: Themiſtocles illos hortatur, ne vanis rumoribus fidem habeant: mitterent potiùs fidos ex ſuis homines, qui comperta cum fide referrent. An-

nuunt

nuunt illi, mittunt Athenas (opinione ſua legatos, re autem vera pro Themiſtoclis ſalute obſides) & ſimul quosdam ſuorum Themiſtocles, cum arcanis mandatis, retinerent à Spartanis miſſos, nec antè dimitterent, quàm ille rediiſſet. His omnibus compoſitis, Themiſtocles ad Regem & Ephoros prodit: fatetur, urbem ſuam muro cinctam. Poſtremò ille Athenas, iſti ſpartam redeunt. (*Thucyd.* 1. *Iuſtin.* 11.) Hæc ſophiſmata juſtè an ſecus uſurpentur, quærere libet. Certè Alexander Magnus latrunculorum & furum ſolertiam eſſe dicebat, noctu & ex inſidiis hoſtem adoriri: (*Q. Curt. lib.* IV.) Quod legati, Perſeum Regem induciarum ſpe deceperant, ut dixi, magna quidem Senatorum pars probabat. Sed addit Livius, veteres moris antiqui memores novam iſtam ſapientiam improbaſſe, non aſtu magis, quàm vera virtute bella geſſiſſe majores. Et Tiberius Adgandeſtrio Principi Cattorum reſpondit,

dit,non fraude,neque occultis, ſed palàm & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci.(*Tacit.* 11.*annal.*) Ego arbitror rectiùs dici, facti quæſtionem eſſe; & principalem cauſam trahere hanc veluti conſequentem:ut ſi juſta ſit belli cauſa,juſti ſint etiam hi doli:ſin injuſta, etiam has technas improbas pronunciem. Quidni enim ſummam publicæ rei quibuſcumque modis ſalvam præſtemus? Nihil turpe eſt, quod inimico detrimentum afferat. (*Achil. Tac.*7.)

-- Dolus an virtus,quis in hoſte requirat?

Addo tamen neceſſariam limitationem,modò ſanctum illud Fidei numen nullo ſcelere violetur.(*v. Thom. Dempſter.lib.*T.*de juram.c.*2.) Favent pietati fideique dî. Quomodo autem iſtiuſmodi artibus fides contaminetur, equidem non video. Sunt inter Principes uſitatæ, jure gentium probatæ; ut qui per illas decipitur,non de dolo hoſtis,

ſtis,& ruptâ fide (quippe quæ nulla data eſt) ſed de ſuâ imprudentiâ & credulitate conqueri debeat. Omnibus ſcriptum eſt hoc monitum: νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιϛεῖν, ταῦτα νεῦρα τῶν φρενῶν. i. vigila, & diffidere memento: ſunt hi nervi prudentiæ. Tractatus ad nihil obſtringit. (*Decian. lib. 2. conſ. 56.*) & multa tractantur, quæ non cluduntur. (*Decian. conſ.* 105. 133. Huc contenditur ſæpiſſimè, ut per ejuſmodi injectas ſpes & tractationes hoſtis ſecurus reddatur, & negligens. Sed aliud erit dicendum, ſi jam pactum aliquid ſit, & conventum. Tunc enim, qui contra molitur, contra datam fidem agit. Non ergò callidum Petri Aragonii factum probare poſſum, quod tale hiſtorici memorant. Cùm inter Carolum Andegavenſem & Petrum de Siciliæ regno armis decerneretur; & Carolus maritimis terreſtribusq; copiis ſuperior Inſulæ imineret, Aragonius, qui Caroli ſuperbum atq; elatum ingenium noverat,

ad equeſtre paucorum certamen provocat, profligari poſſe bellum duello, longiori mole attriturum mutuas opes, regna, populos. Placuit conditio, & Burdigala, quæ tunc Britanniæ Regi parebat, duello lecta. Igitur cùm Carolus ad præſtitutum diem ſe ſtitiſſet, & ad occidentem uſque fruſtrà Petrum aſpectaſſet, ſero agnito errore abſceſſit. Vix eſt, ut non improba ſit hæc ſolertia. Data enim fides erat in rem certam ad duellum, ad certamen; nec præſtita. Quod autem Xenophon. (*Cyrop.*) ducem militum inſidiatorem eſſe debere ait, & ſuæ mentis occultatorem, & fraudulentum, & furem, & veteratorem, & raptorem; eo, quo diximus, ſano ſenſu accipiendum eſt, ne quid ſcil. in datam fidem peccetur. Ita enim ipſe Xenophon ſe explicat, cùm addit ſupradictis, operam dandam bono duci, ut cum ſuis paratis hoſtem non inſtructum deprehendat, cum armatis inermem, cum vigilantibus dormientem,

tem, conſpectum ab ſe, cum illum non videret, denique ut locorum difficultatibus impeditum ipſe conſtitutus in loco commodo adoriatur. Non igitur oportet hoſtes in conſilium adhibere; nec armorum magis eſt militia quàm temporum. Placet eam demum eſſe veram victoriam, quomodo nullum præter hominem animal vincere poteſt, id eſt, ingenii quadam ſolertiâ. Nam corporis robore, urſi, leones, apri, lupi dimicant: qui ut viribus ſuperiores nobis, ita ingenio & ratione infra nos ſunt. Indeque Lacedæmonii, ſi quando ſtratagemate hoſtem ſuperaſſent, Marti bovem immolabant; ſin aperto prœlio, Gallum.

Ideò lædi, quia non regnaret] Jaſonis apophthegma eſt, miſerum ſe vocantis quod non regnaret. (*Ariſtot.* 3. *polit.* 3.) dixi ad libr. 2. verb. *cæterum Tiberio haut &c.*

Non ignarus quantum ex Rep. peteretur.] v. quæ dixi ad lib. 1. verb. *pridem inviſus &c.*

 Im-

Immiſſis qui per ſpeciem amicitiæ monerent] has aliasque callidorum æmulorum artes expoſui ad librũ primum.

Cùm dominationem ipſam donum ejus accepiſſet.] Grande donum, & quod non gratiam ſed odium mereri potuit. Quippe ubi impares merito ſe putant Principes, deſtrui fortunam ſuam rati, & velut exprobrantes, oculis ſuis obverſari tam invidioſos benefactores pro gratia odium reddunt. Agrippina Neronis mater cùm ad veſtem & gemmas dono ſibi à filio miſſas, non his inſtrui cultus ſuos, ſed cæteris arceri proclamaſſet, & dividere filium, quæ cuncta ex ipſa haberet; minareturque iturum ſe cum Britannico in caſtra, patefacturam nuptias, ſuum veneficium; prægravis Neroni, interfecta ejus juſſu eſt. (*Tacit.* 13. & 14. *Annal.*) v. quæ dixi ad lib. 3. verbo, *fato potentiæ raro &c.*

A libertis & clientibus adipiſcendæ potentiæ properis exſtimulatur.] Magni conatus, & præcipitia incœpta non ſæpiùs

ùs ab ipſis Principibus, quàm ipſorum amicis, opes aut potentiam inde aucupantibus procedunt. Fridericus Comes Palatinus mitiſſimi ingenii Princeps ſemper habitus, ſuorũ prava ſuggeſtione ad conſilia ſibi & Germaniæ univerſæ exitioſa impulſus eſſe dicitur. Quippe majores ſibi apud Regem honores ſpondebant. Jam opes, potentiam, præfecturas, regiæ denique fortunam omnes ſpe devoraverant &c.

Traxit in partes, ſpe objecta principis loci] Prima calliditatis ars eſt, ſuam cuiq; ſpem velut hamum objicere. Animus ſpe occupatus non vacat penſandis periculis, aut, quæ ſtruuntur, inſidiis.

Spes implet tumidum naufragiis mare;
Spes captis onerat retia piſcibus:
Hac Bellona ferox uſa ſatellite,
Mortalem quoties ſolo
Fudit prodiga ſanguinem;

Præferocem & inſidiis magis opportunum] dixi ad lib. 2. verb. *in ea diviſione.*

Magna poſt prælia ſaucios largitione]

notavi ad lib.2.verb. *addit munificentiam Cæſar.*

Mos vulgò fortuita ad culpam trahentes.] Burgundiones ſolio deturbabant Regem,ſub quo fortuna belli titubaſſet: & Ægyptii omnes caſus adſignabant rectoribus ſuis. (*Ammian. Marcell.*28.) Moſſynœci, ſi fortuna cœptis non adſpiraſſet, reges ſuos totius die inediâ puniebant (*Pompon. Mela lib.*1 *cap.* 20.) Sed non eſt prudentis ex eventu æſtimare conſilia: cùm ſæpè res ſapienter & maturè deliberatæ ſiniſtros exitus peſſimè verò conſulta bonum finem ſortiantur.Sæpè ſtulta conſilia hoſtium imprudentia correxit, ſæpe ſapienter deliberata inevitabilis fatorum neceſſitas evertit. Qui prava conſilia ex felici eventu laudant, bona ob adverſam fortunam damnant, ad malè cenſendum homines invitare videntur; inque cauſa ſunt,ut animi conſulentibus imminuantur,ne in apertum ſententiam ſuam liberè promere auſint.

ſint. In de ſapienter Carthaginenſes cùm ducum ſuorum acta recenſerent, non eventum atque caſus, ſed conſilium ſpectarunt: cùm multos etiam qui pravo conſilio feliciter rem geſſerant, tanquam homines ſtultos, Reip. perniciosos cruci affigerent. Sed hic illud notandum venit, conſiliorum quoddam genus eſſe ſpecie temerarium, aut ſtultum, re autem vera ſapienter, & intuitu hoſtium ſocordiæ aut ignaviæ ſuſceptum. Cum enim non omnes homines ſapientes ſint, ſed plures impetu abripiantur, alii deſidiâ marceſcant, quos nota pariter & occulta fallunt: audere licebit interdum, quod, ſi in alium ſuſciperetur, imprudens & ſtultum foret. Cùm quidam Ferdinandi Ducis Albani factum quoddam ut temerarium, & inexperto juvene quam veterano duce dignius familiariter reprehendiſſet: reſpondit Albanus, non negare ſe, fuiſſe anceps & aleæ plenum factum: ſed fiduciam proſperi ſucceſſus ſibi feciſſe hoſtes

hoſtes rei militaris planè imperitos. (*Coneſt agg.6.de conjunct.Luſit.cum Regn. Caſt.*

Nullo mirante, quòd diu egens, & parto nuper præmio malè uſus plura ad flagitia accingeretur.] Quod fieri neceſſe eſt, ubi delatores, genus hominum publico exitio repertum & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum per præmia illiciuntur. Delatores qui non caſtigat, irritat. (*Domitiani dictum apud* Suet. *in Domit.c.x.*)

Quibus additus miles &c. relatus eſt hic locus ad lib.1.verb. *Granium Marcellum &c.*

Compoſitum inter ipſos] iſte tragœdiæ ordo explicatus ad lib.1.verb. *Granium &c.*

Veteres & prægraves adſtitit.] retuli ad lib.1.verb. *neque imperaſſe ſe*, & lib.3. verb. *fato potentiæ rarò ſempiternæ.* & verb. *audire me memini &c.*

Miſericordiam erga afflictos] notavi ad libr. 3. verb. *& cum accuſatores &c.*

Pa-

Pacem exuere; noſtra magis avaritia, quàm obſequii impatientes.] Graviſſimè Deum offendi, acerbiſſimis tributorũ exactionibus, adeò clarum eſt, ut nulla egeat demonſtratione. De Eduardo Angliæ Rege Polydorus Virgilius in Hiſtoria Anglica refert, cùm ingentem auri vim ex tributis redactam ad ſe afferri juſſiſſet, vidiſſe malum dæmonem fœdiſſimâ ſpecie pecuniis inſidentem: eoque ſpectaculo territum pium Regem præcepiſſe, ſuum cuique reddi. Sed & contra naturæ rationem inhumanitate iſta, ne quid ſævius dicam, peccatur. Principatus conditos ſcimus, ut vi ſublata, quæ omnia ad potentiores trahebat, ex naturæ & rationis imperio agerentur res humanæ. Quid autem ad naturam magis accedit, quàm ut quiſq; partis induſtriâ ſuâ aut amicorum liberalitate opibus fruatur? Qvid rationi civili cōmodius, quā ut intelligamus, quid noſtrum, quidve apud nos fiſci ſit. Atqui Princeps, qui legitimè collatas pecuni-

cunias, aut ipſe per luxum profundit, aut avaris hominibus committit, & inde novas ſuſtinendi militem rationes excogitare neceſſe habet, facit, ne ſciant cives, quantum ex domeſticis opibus Regi, quantum ſibi jura attribuant. Qui enim id ſciant, cùm non hoc ſuum ac legis quidem arbitrium ſit, ſed Principis duntaxat unius; cumque tributo ſemel exacto adhuc ipſi ſimpliciter ſuis bonis non gaudeant, quæ aliis ſcilicet Regis edictis poſſunt rurſus delibari? Porrò quæ adverſus Deum & naturam peccat rapacitas, etiam inter homines non uſquequaque felix eſſe ſolet: quod hiſtoriis, quas deinde afferemus, clarum fiet. Quod enim quidam egeſtatem civium dominantis ſecuritatem eſſe exiſtimant; falluntur illi profectò. Paupertas quippe & egeſtatis faſtidium non abjectos homines facit & injuriarum patientes; ſed quia afflicta ipſorum fides eſt in pace, & unica ſpes in turbatis rebus, novarum rerum extremè

tremè cupidos: ut nihil ſit tam difficile, tamque anceps, quod illi non audeant. Semper compertum eſt egentiſſimum quemque eſſe audaciſſimum; & non rarò in deſperationem abire paupertatem: eam maximè, quæ neque terræ hiatu, neque aquarum inundatione, neque naufragii damno, neque hominum inſidiis, aut denique negotiationum caſibus, ſed crudeli illorum Principum avaritiâ contingit, qui non tondendo gregem ſuum, ſed excoriando & deglubendo opulentos ſe evaſuros paſtores ſtolide credunt. Qui hodiè nocere non poterunt, fortaſſe cras poterunt. Tempus & mille nunquam cogitati caſus occaſiones afferunt, qvibus non potens modò inimicus, ſed debilis & contemptus, & qui nunquam fortaſſe juvare potuit, poſſit in perniciem ultimam nocere. *Non tam omnibus fortunis nudari quis poteſt, ut non ad vindictam ei cultellus remaneat. Prius necis paternæ, quam ablati patrimonii obliviſcuntur homines.*

mines. Metus & terror infirma vincula caritatis ſunt;qvæ ubi removeris, *qui timere deſierunt, odiſſe incipient.* (*Tacit. in Agric.*) Non igitur immane latrocinium & atrociſſimum hoc furti genus probare nobis poſſunt, qui politicum præceptum tradunt; premendos ferocientes, & regnantibus periculoſos civium ſpiritus;adimenda ea,ad qvę,ſi reſpexerint, ſuperbia & opum conſcientia obſeqvium excutere poſſint.&,ut Italorum proverbium eſt, *bona ſubjectis populis ſenſim,& quaſi guttatim inſtillanda mala ſimul & ſemel ingerēda.* In magnates ea cautio valeat;illis honores, opeſqve,ne majora qvàm par eſt, concupiſcant parce diſtribuant. Plebes eo nos metu liberat; qvæ vilis humi ſerpit, & animo prædita eſt nunqvam aſſurgente ſublimibus conſiliis, & cogitationum magnitudine.

--*Satis eſt populis fluviusque Ceresque.*
(*Lucan.*IV.)

Vul-

Vulgo una ex Rep. annonæ cura. (*Tac.* IV. *hiſt.*) Lucan. 3. de Cæſare.

Gnarus & irarum cauſas, & ſumma favoris
Annonâ momenta trahi &c.

Nihil à principe requirit vulgus, qvàm panem & frumentum in foro. Cererem & Bacchum & Ocii dulcedinem innocenti ſtupiditate colit; & rarò in alios, qvam qvi ad hæc numina ſua avaras manus porrexerant, exarſiſſe legitur; eaq; bona ſua pertinacius defendit, aut it recuperatũ, qvia ſola æſtimat, & horũm intuitu omniũ aliorũ obliviſcitur. Romana plebs ſub peſſimis & crudeliſſimis Imperatoribus, & Florentini trucidato per inſidias Alexãdro Duce nullam ſtatus mutationem expetebant. Qvippe annonam vilem fuiſſe ſatis erat ad amandos iſtos principes. Hebræus populus etſi in Ægypto graviſſimam ſerviret ſervitutem, à Pharaonis miniſtris continuis laboribus ita preſſus, ut vix reſpirãdi haberet facultatẽ, in victûs

tamen

tamen & rerum neceſſariarum abundantia facilè oblitus eſt libertatis. Poſtquam verò ſtupendis omnipotentis Dei miraculis & Potentia ineffabili velut manumiſſi Palæſtinam verſus per loca omni ſolitudine vaſta iter facerent, & initio panis, mox aqua denique carnes deficerent; non ſemel duriſſimum ſervitutis jugum, & *ollas Ægyptias* optare ſuſtinuerunt. Romani, qvo Gallos recens domitos quietos tenerent, non efficacius ullum exiſtimabant remedium, qvàm omnes diteſcendi præbere eis occaſiones. Qvæ res tam feliciter illis ceſſit, ut de populis illis, qvi bellicoſiſſimi olim fuerant, Tacitus (*in Agric.*) veluti de re, in quâ præter famam nihil duraverit, *Gallos quoque olim in bellis floruiſſe* dicat. Ex quo apparet, ſegnitiem cum otio intraſſe, & opum atque divitiarum, qvas collegerant Galli, ingentem vim enervaſſe illum tam armipotentem olim populum: ut Taciti tempore penè fabulæ ſimile

fue-

fuerit, Gallos aliqvando bellicoſos fuiſſe. Qvemadmodum urſi, leones, aliaqve morſu & ungvibus nocentia animalia deponùnt inſitam feritatem erga paſcentem, parent imperanti, blandiuntur: ita nulla re manſveſcunt homines meliore fide, qvàm ſi opibus per induſtriam partis Principis beneficio frui poſſint. Inde ſævitiam annonæ incuſante plebe Romana Tiberius ſtatuit frumento pretium, qvod emptor penderet, binoſqve numos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios. (*Tac. 2. annal.*) Veſpaſiano & Aureliano Imperatoribus volupe fuiſſe dicitur, paſcere populum. Et hic qvidem, qvò vilior eſſet annona, libræ unciam addidit: ille architecto rationem monſtranti, qva prægrandes columnæ exiguis impenſis & paucorum hominum operis in Capitolium duci poſſent; placere qvidem ſibi inventum, reſpondit; ſed ſineret ſe populum paſcere. Qvò pertinet ſanctiſſimum cujuſdam

dam & pientiſſimum conſilium; fame populos urgente, Principem ditioribus tributum indicere debere ad pauperum ſuſtentationem, eamque pecuniam, vel eâ coëmptum frumentum poſtmodum pauperibus ſuo nomine diſtribuere. Carolus Flandriæ Comes Tamardum è gratioſiſſimis aulicis alendis è fiſco egentibus præfecit: ipſe cum loculis in vulgus prodibat, circum templa obambulans, ſtipemque ſua manu mendicis promens. Dardaniorum, eorumq;, qui annonam flagellabant, & clauſis horreis frumentum ſupprimebant, nequitiam compreſſit, apertis conditoriis, triticoq; in egenos diſtributo. Qua popularitate adeò carus ſubjectis fuit, ut cæſi à ſceleratis hominibus corpus pro ſe quiſq; tanquam ſanctas reliquias venerarentur, oſculaque ferrent; denique aliquid capillorum, barbæque atque adeo ungvium & veſtimentorū, domeſtica religione aſſervarent, colerentq;. (P. *Æmil.* v. *de reb. geſt. Franc.*)

Sa-

Satis igitur conſtare arbitror, falli Principes, qui à pecuniâ ditibus ſibi periculum,ab exhauſtis,& excarnificatis ſecuritatem promittunt. Quia tamen *pauci prudentiâ honeſta ab deterioribus,utilia ab noxiis diſcernunt; plures aliorum eventis docentur: Tacit.ſ.hoc lib.*)ego quoque exemplís,quod dictum hactenus,adſtruam. Carthaginenſes ſuperbè & avariter Africanis imperitabant;mediam fructuum partem auferentes, tributa duplicantes, & ſolùm probantes miniſtros & præfectos, non qui clementer benigneque populos tractaſſent,ſed qui grandem ærario pecuniam per fas nefasque corraſam intuliſſent. Quibus rebus factum eſt, ut pleræque civitates ſeditioſis militibus poſteà accederent. (*Polyb.*1.) Ob eandem cauſã ab illisHiſpani quoq; defecerunt: (*Polyb.*11.)& ab Athenienſibus poſt cladẽ in Sicilia acceptam Socii.(*Thuc.*8.)etiãRomæ ſuſpectoSenatus populiq;imperio ob certamina potentiũ & avaritiam

tiam magiſtratuum, feſſa Reſp. in unius poteſtatem conceſſit: (*Tac.* I. *annal.*) Et Gallis avaritia, aliis juncta cauſis, fatales fecit *Siculas Veſperas*: (*Leon. Aretin.* III. *hiſtor. Flor.*) & Ludovico Sforzæ Mediolani Principatum abſtulit. (*Guicciard.* I. *hiſtor.*) In Galliis Carolo VI. Rege, rerum venalium viceſima indicta erat. Id onus urbes detrectabant. Contrà regii miniſtri nitebantur. Cùm igitur Pariſiis in foro olitorio femina qvædam naſturtium venum expoſuiſſet, coactor Regius obulum poſtulat; muliercula ad aſtantium virorũ auxilium provocat. Concurſu facto exactor à turba oppreſſus, obtrituſque eſt. Inermis plebs ad ædes publicas impetu fertur. dejectis foribus arma telaqve corripiunt: exactores, redemptoreſqve, qvoscumqe urbem pervagati deprehendere poterant, plumbeis malleis confecerunt (*P. Æmil.* 9.) Piſani olim à Florentinis, qvod omne negotiandi genus ipſis interdiceretur & artes,
præ-

præter manuarias, omnes exercere prohiberentur, defecerunt: nec niſi poſt multos annos, & immenſos Florentinorum ſumptus ſubigi potuerunt. (*Guicciard.* 11.) Hiſpanis Mediolani occupationem facilem fecit populorum ingens erga Gallicum nomen odium: qui à militibus gravia & intoleranda perpeſſi, cùm neque Rex ob pecuniæ inopiam ſatis provideret, neque præfecti obſiſterent, incredibilis, quo Regem proſequebantur, ſtudii & benevolentiæ obliti omnia ſurſum deorſumque volvi miſcerique cupiebant. (*Andr. Maurocen.* 1. *hiſt. Ven.*) Eadem tributorum acerbitas Gandavi in Flandria (*Maurocen.* 4. *hiſt. Ven.*) & abſente Carolo Cæſare in Hiſpania *Guicciard.* 13.) periculoſiſſimam ſeditionem concitavit: & Clementi VII. Pontifici tantum odium fecit, ut cùm Borbonius cum hoſtili exercitu ad urbem contenderet, & Pontifex cives ad conferendas pecunias hortaretur; cæteris abnu-

entibus Dominicus Maximus Romanorum ditiſſimus centum aureos nummos mutuò ſe daturum promitteret. (*Guicc.* 18.) Gotricus Daniæ Rex, (Gothofredum Germani & Itali vocant,) cùm Friſios oppreſſâ libertate, fortunis cunctis ablatis in turpem miſeramque fortunam adegiſſet; tributum quoque annuum injunxit: quod maximè fecit, ut ſervitus illa diuturna non eſſet. Ædificium, cujus longitudo erat CCXL. pedum, duodecim paribus ſpaciis maceriâ diremptis diſtinctum ſtruxit; ad cujus caput Quæſtor, cùm tributum pendendum erat, conſidere juſſus eſt. Ad finem verò clypeus concavus ex ære locatus, in quem ſinguli Friſiorum tributum ſoluturi numum conjiciebant: cujus cadentis ſonum ſi Quæſtor ex longo intervallo exaudiret, in ſolutum cedebát ſin minus; regio quidem fiſco ille accreſcebát, ſed qui jecerat, alium atque alium majoris ponderis eodem conjicere cogebatur, donec tinnitus

Quæ-

Qvæſtoris aures feriret. Addũt alii, auri & argenti uſu omni in corporis cultu vetito ad vimineos torqves, ſimiliaqve ſervitutis extremæ argumenta eos latâ lege redegiſſe; præfectum dediſſe, qvi in ſervili obſeqvio & operis miſeros detineret; oſtium in ædius ad Septentrionẽ unũ habere juſſiſſe, humilius qvàm pro ſtatura corporum: cùm, ut jugum qvotidiè turpiter ſubire, tum ut exituri inflexo toto corpore regem Danum ſerviliter venerari viderentur. Qvis ex novæ ſapientiæ doctoribus non diceret, benè proviſũ ne animos tollerent Friſii, omnia ad infringẽdos ſpiritus inſtituta erant. Sed iidem erectis talibus injuriis ad libertatẽ animis, cùm arma raptim undiqvaq; collegiſſent, Danorum præſidia paſſim oppreſſerũt, aut finibus ſuis ejecerunt. (*Vbbo Emm. v. hiſt. Friſ.*) Qvod exemplũ eò notabilius eſt, qvia Tacitus hîc eoſdẽ Friſios eandẽ ob cauſam ad irã & qveſtus, & poſtqvã nõ ſubveniebatur, ad bellũ veniſſe refert. Nũc

alia addo. Imperãte Valẽtiniano (placet novis vetera interſerere) multiplicata per Pannonias vectigalium augmenta Optimates ultimorum metu exagitatos compulerunt mutare ſedes, & trans mare abire: & flagitantium miniſtrorum amaritudine quidam oppreſſi, cùm non ſuppeteret, quod darent, erant perpetui carcerum inquilini: è quibus aliquos, cũm vitæ jam tæderet & lucis, optata ſuſpendiorum remedia conſumpſerunt. Quibus populorum excoriationibus nudatum eſſe hoſtibus Pannoniæ latus ſcribit Ammian. Marcell. libro triceſimo. Guilielmus Auraici Princeps, quærentibus quâ ſpe contra potentiſſimum Hiſpaniarum Regem ipſe omnium rerum egens, patriâ extorris, bellum cieret? reſpondit: Hiſpanorum avaritiam & crudelitatem duas ſibi fore portas aditum daturas in Belgium. Denique cum ſuperiori ſeculo à Fontano Comite & Hiſpanis Cameracum obſidione cingeretur, & jam Fontanus au-

autumnali intemperie attritô exercitu de receptu cogitaret, nihil illi ad urbis occupationem magis profuit quàm civium in Balagnium, qui ſe nuper Cameracenſem Regulum appellari à Galliæ Rege impetraverat, odium. Exaſperaverat illos, quod mercibus in foro venalibus numiſma æreum Balagnii juſſu percuſſum, accipere cogerentur: cum pro indictionibus tributisq; non niſi aureum & argenteum Balagnii exactores reciperent. Exempla præter ſolitum plura attuli: ut iis receptam hodie quorundam opinionem confellerem quâ ſubjectorum inopiâ principum ſecuritas conſtare putatur. Nunc ſupereſt, ut, quibus artibus tributorum neceſſariorum invidia leniatur, doceam. Veteres limitanea regnorum loca non tàm gravibus vectigalibus, atque ea quæ in meditullio regni ſunt, onerarunt, metu defectionis. Inde noluit Darius eſſe tributarios Æthiopes & Colchos, quia limitares erant. Veneti ho- I.

dieque mitius tractare putantur Bergomates, Brixienſes, Cremenſes, Mediolanenſium olim ditionis oppida. Et Neapolitani acerbius ab Hiſpanis habentur, quàm Mediolanenſes; qui cum Allobroge, Gallis, Venetis conſilia Hiſpanis perniciosiſſima inire poſ-
II. ſent. Illud quoque conſilii pars eſt, non imos quæſtores exigendis à populo tributis præficere, & nec ipſi privatorum limina circumeant, nec miſſis lictoribus pignora capiant, divexentque oppidanos. Ipſorum civium ſit hoc munus; qui ex ſuo corpore eligant per quos ea pecunia cogatur humanius; inde ſingula oppida inferant ærario. Si quis enim privatus detrectet aut moretur: per aſſuetos magiſtratus, notoſque lictores præſtat ad ſolutionem adigi; quàm inhumano faſtu quæſtorum qui cum exactoribus ſuis brevem moram interdum crudeliter vendunt; meliuſque prædati nunquam ſunt, quàm cum in vexatis laribus,

ribus,& in quibus vix tantum eſt,quod tributo ſufficiat, ſibi quoque ſpolia illato terrore inveniunt. Eſt etiam cautio, ea tributi nomine exigere, quæ quibuſque locis viliſſima habentur. Quomodo Romani à Friſiis coria boum, (*Tac. hic.*) à Siculis frumentum, à Corſis ceram (*Alb. Gent.* 3. *de jur. bell.* 4.) ſumebant. Præterea pium maximè eſt,tributis onerare ea magis, quæ divitum luxum inſtruunt, quàm quibus pauperes vitam exhibent: & ſumptuarias leges ferre, earumque contemptoribus multas irrogare. Curæ ærarii & vectigalium præponendi ſunt homines ſanctiſſimi, & qui puras innocenteſque manus habeant. Secus ſi fiat, nulla tributorum acerbitas ſufficiet; & Princeps ſemper vacuus, ut de Eriſichtonis fame pueris narramus, & erectis in futurum votis egebit. Et non inepta quorundam cautio fuit. ærarii & redituum curam ſacris hominibus mandaſſe. Cum

III.

IV.

V.

enim illis Pontificia conſtitutio matrimonia abſtulerit, cur opes relinquere optarent liberis quos tollunt nullos? Præſumuntur itaque non divitiarum conquiſitioni operam dare, aut cæteris mortalium curis occupari, ſed pro domo, pro familia, pro poſteris cœlum habere. Ita Mediolani olim in ſacro ærarium erat pecuniæque plebis ſequeſter ſacerdos eſſe ex lege jubebatur (*Alciat.2.hiſt. Mediol.*) & CIↃ. IↃXXIV. Senis Camerlingi officium (is ærarii curam habebat) monachis concedebatur: (*Malavolt.lib.7 hiſt.Sen.*) & nuper ſacratiſſimus Dominus Imperator noſter, Cameræ, ut vocant, Auſtriæ Crenſmunſteranum Antiſtitem Præſidem dedit.
VI. Multum quoque tributorum invidiam minuet, ſi Princeps fundos patrimoniales ſuos, & quicquid in domeſtica ejus hæreditate eſt, coli jubeat, & inde redactas opes publicis vectigalibus jungat. Quam curam hodiè hæc facilior popularis pecuniæ ratio

atque fiducia penè evertit. Negligi enim patrimonia illa Regum tanquam anguſta aut laborioſa aut denique ad privatorum ſortem accedentia incipiunt; mox in gratioſos homines dividi, pignori dari, veraque aut ſimulatâ emptione excidere. Ita innocentiſſimum vivendi genus omittunt de ſuo vectigali, illudque tributorum inſtituunt prædæ proximum. Denique exactam pecuniam cum artificioſa quadam parſimoniæ oſtentatione in publicam utilitatem erogare decet; ut videant gentes, non eam per luxum & ignaviam prodigi conviviis, ludis, venationibus & turpiſſimâ in ſycophantas & adulatores liberalitate. Sed cùm fiat plerumque ut malè exorta flagitioſiùs conſumantur; perpetua neceſſitate tenentur Principes novis indictionibus exſugere ſubjectos ſibi populos, & ad ea devenire, quæ ſine dedecore Principum; & infamia ſeculi dici ſcribive non poſſunt. Inde enim prodierunt modi no- VII.

ſtrâ aut avorum memoriâ reperti, quâ Principes carentes pecuniâ militem ſuum in hybernis vel præſidio retentum ex civium ſuorum expilatione,& vicini agri depopulatione alere ſolent. Nam quod Cyrus Babyloniis à ſe devictis præſidium impoſuiſſe, eiq; ab ipſis ſtipendium numerari juſſiſſe legitur (*Xenoph.7.Cyropæd.*) id fortaſſis in urbe recens captâ,& mobili,indeque ſuſpectâ, ſingulari ratione probari poterit. Inde quoq; magnâ cum militiæ noſtræ infamia, quâ amici ac hoſtes pari diſcrimine habentur, orta conſuetudo, ſingulis civium ædibus unum aut plures imponere,quos illi cibo,potu,lecto,nocturno lumine & pro jumentis fœno, ſtramine,interdum & avena ſine precio inſtruant. Quem morem in Italiam ex Gallia translatum Ludovici XII. tẽporibus Guicciardinus libro quarto & decimo tradit. Sed Joannes Baptiſta Pigna libro quarto Hiſtoriæ de Principibus Ateſtinis, Martinum Scaligerum multò

tò ante eqvitũ ad vcIↄ. pace aluiſſe ſcribit, utiq; leviore impendio, qvia in privata hoſpitia diſtribuebantur. Ut ut ſit, mos illæ poſt ea tempora ab Hiſpanis tanta crudelitate atq; acerbitate in urbe Mediolanenſi exercitus eſt, ut penè incredibile ſit, qvod illorum temporum ſcriptores memorant. Milites per civium domos diſtributi non modò patresfamilias ad victum ſibi qvotidiè lautum & delicatum ſuppeditandum, verùm etiam ad pecuniam, eaqve omnia, qvibus luxui ſervitur, cogebant. Qvæ cùm intoleranda eſſent; non niſi clandeſtinâ ex urbe fugâ (qvippe palam non licebat, cùm milites ſuſpectos domi cum conjugibus & liberis vincirent) vitari poterant. Qvam ob rem tabernæ atqve officinæ tota urbe clauſæ erant, & ubi ſe olim freqventia ſuffocabat, mœſta ſolitudo. Miſerabilis urbi facies, & hominum nimia clade ſtupentium attoniti vultus. Res certè ſumma miſeratione digna, & exemplum

inconſtantis fortunæ planè ſingulare. Viderant homines urbem paulò antè; civium opibus, ſplendidiſſimis ædificiis, ſuperba rerum omnium copia nobiliſſimam; multitudine hominum tanta, ut credi poſſet ſeminarium eſſe, ex quo mortales Jupiter in orbem emittit, vel quò fatis vocantibus coëunt homines. Tunc verſa rerum vice innumeris partim peſtilentia abſumptis, partim ultimorum metu fugâ dilapſis, vacua habitatoribus ac penè deſerta erat, uterque ſexus incultus, ſordidatus, rerum omnium egens, nullum earum artium veſtigium, quibus precium luxus fecit, quarumque induſtria tàm ingentibus urbem opibus ditaverat. Ex quo in eam deſperationem civium animi lapſi ſunt, ut mortem in tot malorum remedium optantes, quidam ferro, alii laqueo, nonnulli præcipitio exiiſſe miſerias illas memorentur. Nec hactenus malum ſtetit. Sævitum in abſentes quorum, ſi vocati non comparuiſſent, bona publi-

publicabantur. Et erat tantus proſcriptorum numerus, ut minuendæ moleſtiæ cauſa, quæ in ſcribendo erat, proſcriptionum tabulas typis excudere neceſſe eſſet. Sacra quoque templorum ſpoliabantur pecuniâ, in militum ſtipendia. Denique Antonius Leva militum dux omnem civitatis annonam ad ſe contractam & in publicis locis conditam illis ipſis à quibus rapuerat, immoderato pretio vendebat. His veſtigiis noſtri Principes inſiſtentes cum ſumma ſua infamia (ſaltem apud bonos) atque miſerabili populorum exitio bella gerunt. Nam quod temporum neceſſitate, & ſeculi ab antiquis longè diverſi conditione ſe excuſant, id verò vanum eſt. Non eſt, non profectò temporum vitium, quod eſt hominum iniquitas. Decidatur aliquid ex immenſo Regum luxu: reſtringatur effuſa illa in gratioſos & adulatores pecuniæ publicæ profuſio: coërceatur inſatiabilis quæſtorum miniſtrorumque avaritia, frau-

fraudes, doliqve nunc conſvetudine peccandi non excuſati modò, ſed pro juſtis,licitiſq; habiti. Nunqvam deerũt pecuniæ non in militum modò ſtipendia, ſed in magnificentiam qvoqve & reliqva majeſtatis oſtentamenta. Nec adeò infelix eſt noſtra aut ſuperior ætas,ut nõ protulerit viros Principes,qvi qvòd frugalitatem, & largiendi modũ qvendam habebant,ad exercitus ſuſtẽtandos,& viros in qvaq;arte præſtantes præmiis afficiendos,&cæteram regiam libertatem, pecuniæ ſatis habuerunt. CoſmusMagnusHetruriæDux tenuib⁹ novi imperii initiis, difficillimiſq; temporibus,&exhauſto à prædeceſſore ſuo ærario, cùm in ſuam Caroliq; Imperatoris rem perpetuos feciſſet ſumptus, tantum comparcere potuit, qvantum non ſolvendis modò integris ſtipendiis,ſed & præmiandæ virtuti, ſufficeret. (v. *Cin.6.de vita Coſm.*) Joannes 22.Põtifex decem & octo annis qvibus ſedit, 25.*milliones* conqviſivit: & nuper Sixtus

tus V. cùm obeliſcis erigendis, ædificiis ſtruendis, navibus armandis maximam pecuniæ vim inſumpſiſſet, ſexto Pōtificatus anno decedens paulò minus *quinque millionibus* reliqvit. (*Scip. Amirat. ad lib.* 1. *Tacit. diſc.* 3.)

Faſtus janitorum perpetiebantur.] Intolerabile, nec ipſis patronis multū honorificū eſt, habere janitores, à qvibus ad dominum aditus plerumq; pretio emendus eſt. Et tamen id etiam veterum ſeculorum dedecus fuit; ut patet ex hoc loco, & pluribus Senecæ. Etiam Lucii Junii Moderati Columellæ verba huc adſcribere haut abſurdū fuerit: (*lib.* 1. *de re ruſt.*) *an putem fortunatius à catenato repulſum janitore ſæpè nocte ſera foribus ingratiis adjacere, miſerrimoq; famulatu per dedecus faſciū decus, & imperiū profuſo tamē patrimonio mercari? Nā & gratuitæ ſervituti, ſed donis repēditur honor. &c.*

Finis Notarum politicarum in librum qvartum Annalium.

C. CORNELII TACITI.

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ POLITICÆ.

Ad Librum *V. Annalium*. C. CORNELII TACITI.

CUPIDINE *formæ aufert marito*] quaſi concedenti, inquit Sextus Aurelius Victor in Epitome. Rarò enim alienarum uxorum attrectatio Principibus impunita fuit. Et libido pene tot Principes, quot crudelitas, perdidit. Hæc Sardanapalum imperio dejecit, Reges Roma ejecit, decemviros poteſtate ſua ſpoliavit, Trojam evertit, Mauros in Hiſpaniam introduxit, Gallos è Sicilia ejecit. Ne igitur privatum iſtud flagitium, & nihil mali in Remp. infundere putemus: Non poſſum facere, quin referam, quod agri Neapolitani in Auſtria homines ad quadrageſimum ab urbe Vienna lapidem

dem hodieque narrant. Ajunt olim Principem familiariùs cum uxore Baronis Pottendorfii (quæ familia extincta, cæterùm arx hoc nomine ſupereſt) conſueviſſe, quàm aut maritus vellet, aut tanti Principis famam deceret: & Pottendorfium, cum Principem ſæpiùs monuiſſet, ut deſiſteret, fruſtra fuiſſe. Igitur diſſimulato dolore, interjecto tempore, cùm Principem venantem comitaretur, fune ad id parato equo detractum jugulaſſe. Manent adhuc non procul Neapoli in agro, qui Viennâ illuc euntibus ſiniſter eſt, duo faſtigati lapides, pyramidum inſtar, aliquo intervallo ab ſe invicem diſtantes, ſignum ſpacii, per quod à Barone Princeps, ut ab Achille Hector, aut ab Alexandro Batis tractus eſt. Hæc ita ab illius agri accolis memorantur, ſine temporis certa deſignatione. Poſtea ex Cuſpiniano didici, Fridericum fuiſſe, cognomento bellicoſum, Auſtriæ Ducem, in quo maſcula primorum Au-

ſtriæ

ſtriæ Ducum ſeries defecit. Sunt qvidem qvi in prælio cum Hungaris cecidiſſe affirmant; qvod etiam veteres annales rethris ſcripti velle videntur, illis verbis:

Das iſt Hertzog Fridereich
Von dez tode Oſterreich
Sol immer vvainen und klagen
Vnd traurens nit Verdagen:
VVann ſein leib und ſein Nam
Sind noch heut ein pluender Stam.
Durch Oſterfrid vvard es ir ſlagen
Vervvuſt vvard daz Lant zu den tagen.
Daz tet von Vngern Chunich VVela,
Sein Herrn geſigten an den Vngern ſa.
Daz man ihr klagen ſagt vveit
Zu dem heiligen Creutz *er begraben leit.*

Ego tamen illis accedo, qvi cæde jã memorata occidiſſe aſſerunt. Argumẽtum habeo id, qvod dixi de pyramidibus agri Neapolitani, Deinde, qvòd in cœnobio S. Crucis epitaphium Friderici illius viſitur laqveis aut loris ſe impli-

pli-

plicantibus notabile. Tertiò, qvod familia Pottendorffia, teſtante Cuſpiniano, ab illo tempore penè ducentos annos tanqvam piaculo obſtricta infamis fuit, & ab omnibus honoribus ſubmota. Aliud huic ſimile exemplũ extat in Friſiorum Batavorumq; annalibus. Florentius V. Hollandiæ & Selandiæ Comes Gerardo Velſio, è prima nobilitate Batavica freqventer tùm in aula verſanti concubinam ſuam in uxorem obtrudere volebat. Qvod ille abnuens, meretricem Principis ducere non convenire natalibus ſuis, nec honeſto animo reſpondit. At Princeps ſtultum eum eſſe ſubjiciebat, qvi tàm probatæ pudicitiæ uxorẽ reperturũ ſe putaret, qvam non ipſe ad ſtuprũ ſe pertracturũ conſideret. Cumq; Velſius pòſt uxorẽ duxiſſet, illa abſente fortè marito à Principe priorũ memore eſt ſtuprata. Ea verò injuria vehementiſſime pupugit animũ Velſii. Ergò conjuratione inita cũ propinqvis uxoris ſuæ Florẽtiũ fortè Ultra-
jecto

jecto in Hollandiam redeuntem non procul urbe exceptum, cùm videret, vivum avehere, & eripere perſeqventibus non poſſe, educto gladio transverberat medium, & celeri fuga ſe proripit(*Vbbo Emm.*XII.*hiſt. Friſ.*)

Dicax idem & Tiberium acerbis facetiis irridere ſolitus quarum apud prapotentes in longum memoria eſt.] Fœcunda ſalium & arguta libertas grata ſolet eſſe in colloqviis, jocis, cæteriſqve animi remiſſionibus. Qvid enim elegantius, qvàm ad omne argumentum ſententiolam dictaqve conciſa, & veluti brevi fulgure micantia habere? qvid urbanius qvàm omnium dicta, factaqve excipere improviſis ſalibus: & brevi nitidoqve acumine ſemper intentum eſſe in aliorum ineptiam? ſed innoxii debent eſſe iſti joci, & qvi non minùs eum, in qvem dicuntur, qvàm cæteros qvi audiunt, delectent. Nam qvibus acerbitas ineſt qvæqve multum ex verò trahunt, acrem ſui memoriam relinqvere ſolent.

lent. Etiam jocorum libertas, qvæ multum inter pares jucunditatis habet, in ſuperiores uſurpata ſcurrilitas eſſe videtur, magis qvam urbanitas: ejusqve ſæpè apud præpotentes in longum memoria eſt. Reverenter habenda eſt principum familiaritas. Sæpe ex intimâ ſodalitate odium oritur. Nunqvam ſine reverentia cum majori verſari debemus. Ecce Fuſius Geminus Tiberii offenſionem incurrit, qvod eum acerbis facetiis irridere ſolitus eſſet. (*Tac. hic.*) Et eadem intempeſtivorum jocorum ferocia Atticum Veſtinum Neroni Cæſari alias cariſſimum ad mortem traxit. (*Tacit.* 15. *annal.*) Nec principes modò, & ſumma rerum capita, ſed & cæteri honoris famæqve ſuæ retinentes ægrè petulantem iſtam jocorum licentiam ſufferunt. M. Cicero petulantiori lingva plurimam ſibi apud multos invidiam concitavit. (*Plutarch. in Cic.*) Petrus Philippi F. Strozius Florentinus Maranum Forojulii oppidum Auſtria-

ſtriacis Principibus interceptum Venetæ Reip. qvinq; ac triginta aureorum millibus vendiderat. Qvod factum cùm Petrus Aretinus, homo impietate & Lucianiſmo non minùs qvàm libertate lingvæ celebratus, in Italico qvodam carmine (ut nulli parcebat) traduxiſſet: Strozius illi ſignificari juſſit, famam quàm carminibus qværebat, inventurum ſupplicio. Subornaturum ſe homines in ipſius necem, qvos nullâ curâ nulla providentiâ vitaturus eſſet. Unde miſer ille, qvi Strozium non plùs minis terribilem, qvàm factis promptum noverat, adducto domus ſuæ oſtio toto tempore qvo hoſtem ſuũ in Veneta ditione morari ſciebat, nec pedẽ extra limen efferebat, nemine qvoqve ad ſe intromiſſo. Credo enſibus & pugionibus pluere opinabatur. Deniq; & id obſervandũ eſt, inter remiſſiones tantũ animi jocis utendum. Nam in ſeriis & publicis negotiis aliorũ riſum ciere ſcurrile eſt. Cũ Senenſes ejecto Hiſpanico

præ-

præſidio ad Gallos defeciſſent, miſſus ab eis eſt Florentiam Alexander Sanſedonius, ut factum molliret civeſq; ſuos Cæſareis miniſtris excuſaret. Igitur cũ Cæſariani delicta Senenſium exaggerarent; Sanſedonius nunc negando, nunc minuendo, atq; variâ arte excuſando objecta, reſpondebat. Verùm cum Cæſariani nova ſubinde proferrent, & violenter urgerent his verbis: qvid ad hoc reſpondebitis? qvomodo excuſabitis illud? qva ratione iſtud defendetis? non vox adverſum ea Sanſedonio, nec ſilentium, ſed verba ſua præpediens, & confuſionis manifeſtus tandem in hunc ſermonem prorupit: qvid malum! non ſatis purgabit nos, qvod omnibus notũ eſt, Senenſes ſtultos eſſe? (*ò diavolo! non ci ſcuſer à il ſaperſi, che noi Saneſi ſiamo pazzi?*) Imo excuſabit, unus ex Cæſarianis reſpondit, ſed eâ conditione qvæ mente iminutis convenit, qvos qvia ſui cõpotes nõ ſunt, catenis coërcemus ne vel ſibi vel aliis nocumento eſſe qveant.

Non

Non erat oratoris, negotium tanti momenti ſcurrili levitate tractare, & ſtultam appellare ſuam civitatem, ſeqve fatuum oſtendere.

Donec pauci &c.] Ipſi Principes facinorum ſuorum nolunt authores videri. Sapientes, ſenatoresqve juris & æqvi conſultos ſubornare, qvi cupiditatibus dominorum famulentur, minùs invidioſum eſt. Et inter illos ſemper erunt, qvib. nulla ex honeſto ſpes, & publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur.

Brevibus momentis ſumma verti poſſe.] dixi ad lib. 1. verb. *cuncta mortalium incerta &c.* & ad lib. 4. verb. *princeps proferendi imperii incurioſus &c.*

Falſas literas &c] Eum colorem omnes ſeditioſi initiò ſceleri ſuo obducunt. Prava conſilia, potentium in aula immodicam ſuperbiam, & nihil in Principe niſi nimiam bonitatem arguunt.

Druſum Germanici filium &c.] Freqven-

quentes in hiſtoria illorum dolus occurrit, qui inſerunt ſe in alienam familiam,& velut adoptant ipſi,ludicro plerumque intio, ſed maximo regnorum motu,& periculoſis turbis, Memorantur in hiſtoriaPſeudo-Alexander,unus &alterPſeudo-Philippi,Pſeudo-Nero, Pſeudo-Poſthumus Agrippa, Pſeudo-Druſus (*Tacit.hic*) falſi in Anglia Edu-ardus & Richardus Reges, inter Turcas Pſeudo-Muſtafæ, ante non multos annos Pſeudo-Carolus in Hiſpania, & is deniqve qui ſe Caroli IX. filium in Gallia dicebat.Unum tamen & alterum horum exemplorum merentur, ut explicatiùs recenſeantur.Balduinus VIII. ex Flandriæ Comite Conſtantinopolitanus Imperator factus in prœlio contra Bulgaros conſtanti famâ cæſus dicitur.Verùm pòſt annos xx.quidam redivivum ſe Balduinum finxit. Igitur in Flandriam cum hac famâ venit & rarâ quadam oris gravitae,commemoratione hominum rerumque priorum

 ſtem-

ſtemmatis totius notitia, etiam ſagaces cautoſque inducit. Deſciſcunt & adhærent paſſim, faſtidio etiam & contemptu feminei imperii; quod Joanna id temporis, Balduini filia, rebus præerat. Examinatus inquiſitusq; planus ille à Joannæ Senatu, mirâ confidentiâ & ex ipſa fidem præſtruens, Domi inquit, inclementiores cives, quam foris hoſtes reperi. Tu me Flandria, mater & altrix rejicis, quem Græcia, Macedonia, Tracia advenã excepit, coluit: ipſa barbaria, majeſtatẽ verita ſervavit. At enim ubi delitui audite & caſuum humanorum miſereſcite, ſi quid tamen humani in pectoribus iſtis habetis. Captꝰ prœlio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iiſdẽ in cuſtodiâ habeor, ſatis lenta & remiſſa, uſq; eò, ut effugium etiam patuerit, & animo iſto ac Deo ducibus me liberarim. Cùm ad meos propero vagus & erro in alios barbaros incido, ignaros fortunæ meæ, & ab iis in Aſiam trahor ac vendor. Heu miſeriã! pudet, ſed

vos

vos narrare cogitis. Syri me habēt, & in ergaſtulum ruſticum damnāt. Ego Balduinus, Comes, Imperator qua manu ſceptra tenui raſtra tractavi, plures per an̄os: donec à Germanis mercatoribus caſu tranſeuntibus, quibus me aperui, pretio liberarer. Ii me domum remiſerunt. Vos expellitis; ingrati, im̄emores veterum beneficiorū quibus avi veſtri, patres, etiam tu atque ille à me affecti eſtis. En ſenium & hanc canitiē, quò reſervati ſumus? poſt tot fluctus ſcopulū reperi, ubi portum putabam: ipſa mea Joanna patrem non agnoſcit, ne Comitem cognoſcat. Hæc & plura diſſerens magnitudinem vel fallaciā tuebatur, vario animorum motu, pleriſque ad illum inclinatis. adeò, ut nobiliū populariūq; bona pars ſtatim adhærеſceret, Comitē & Auguſtum ſalutaret, donec re jam præcipiti Joanna ad Ludovicum VIII. Franciæ Regem ſupplices legatos mitteret, ut Balduini memoriam ab impuri nebulonis contage tueretur. Suſcepit

 ne-

negotium Rex, diem homini dicit. Venit ille magno comitatu, ſolitaque fiducia, & faſtu. Veſtis erat purpurea, alba in manu virga: ſiſtitque ſe Regi Peronæ. Qui his ad eum verbis infit: ſi ille es, quem te jactas, breviter reſpondere & ſtatim potes. Quæro, tene pater meus Flandriæ Comitem dixerit, jura dederit? quo teſte, loco, tempore, ritu? baltheone te & inſigni militari donarit? Quæ mulier ex Franciçâ nobilitate, quo conciliante, quo auſpice, loco, cœtu nupſerit? Quid hæres? hæc ignorare de ſe verus Balduinus non poteſt. Iſta Rex: tamen audacia illa, velut deprehenſa hærebat, & ſpacium cogitandi petebat. Inde pro impoſtore haberi, & contemptim dimitti. Nam ſub fide publica venerat. Nec diu pòſt in Burgundia captus Joannæ offertur: quæ convictum confeſſumque, ut dicunt, laqueo ſtrangulavit non tamen ſine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improba filia in ligno ſuſpenſum tunc
& diu

& diu poſteà differebat. (*I. Lipſius in monit. & ex pol.* An. Chriſti cIↄ.Iↄ.xcviii qui mihi natalis eſt, Venetiis quidam Sebaſtianum Luſitaniæ Regem ſe finxit. Ajebat poſt pugnam infeliciter, in Africa pugnatam, cum ipſum cuncti cęſum putarent, pudore confuſum & conſpectum hominum veritum obvia celoce conſcenſa Algarbium perveniſſe, curatiſque vulneribus orbem terræ obire, Abyſſinorum Principes ditiones, aliaſque remotiores provincias luſtrare decreviſſe. Hoc conſilio in Perſiam uſque penetraſſe, variiſque prœliis ab eo tempore interfuiſſe, ac multa in iis vulnera acccepiſſe: poſteà peregrinationum pertæſum apud Hiberos (*Georgiani* dicuntur) cum ſancto quodam ſatuiſſe. denique an. cIↄ. Iↄ. xcvii. ab eo diſceſſiſſe, & in Siciliam navi delatum: unde Romam euntem à famulis ſpoliatum Venetias divertiſſe. Commendabat ſermonem, quòd apud vulgus fama vigebat, ab Africano prœlio

non amplius viſumSebaſtianũ:& quod oris totiuſq; corporis læva parte brevioris ſimilitudinẽ, in ſupercilio dextro cicatricẽ ex vulnere ab infantia notabilem, verrucã deniq;in imo pedis articulo haut multum digito minorem oſtenderet iſte, quisquis fuit, implacabile quoq; inCaſtulonenſe nomẽLuſitanorum odiũ faciebat, ut pleriq; crederẽt aut credere fingerẽt. Sed precibus Dominici Mẽdozæ Hiſpanici Oratoris datũ, ut homo Venetis in carcerẽ conjiceretur, ex quo an.cIↃ.IↃ.CII.dimiſſus, facto perHetruriã itinere, à FrãciſcoMagno duce captus, & Hiſpanis traditus, Neapolim abductus & ad tranſtra ablegatus eſt. Tandẽ cumNeapoli inHiſpaniã avectus eſſet, & eò acrius in Luſitania coitiones fierẽt, in arcẽ cõcluſus, ſive accelerata ſive naturali morte tragœdias quotidiè ex ea cauſa exoriẽtes finivit. (*Thuã lib.*126. *Andr. Mauroc lib.*16.

Finis notarum politicarũ in librum quintum Annalium

C. CORNELII TACITI.

CHRI-

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII NOTÆ

POLITICÆ.

Ad Librum *VI. Annalium.*

C. CORNELII TACITI.

ABLATA *ærario, ut in fiſcum cogerentur, tanquam referreret.*] Volunt quidem Principes credi ſeparatas ſe rationes à Reip. ærario tenere: ſed opera diverſa ſunt. Cives cùm externo pavidi bello penſione, quam Princeps imperat, credunt ſe ſalutem redimere; Principis luxum inſtruunt, aut præpotentium in aula avaritiam paſcunt. Quota illorum pars, quæ ad militem alendum, ad urbes & oppida munienda, & cæteras publicas neceſſitates penduntur, in eos uſus, in quos deſtinata ſunt, erogantur? Tùm illud intolerandum eſt, quòd, quæ ſub diſcriminis articulo extraordinaria ratione ſolvũtur à civibus,

bus, pòſt perpetua fiunt:& *quæ gravia atque intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manent plerumq;*. (*Tac.2.hiſt.*)

Neque præmia niſi ob Imperatore] dixi ad lib.1.verb.*quantò ſummæ ſpei &c.*

Ne verba pravè detorta &c.] v. quæ ſcripſi ad libr.1.verb.*immotum adverſus eos ſermones &c.*& verb.*Granium Marcellum.*

Dii me, deæque pejùs perdant, quàm perire quotidiè ſentio.] O miſerum, qui contemnit conſcientiæ teſtem! Tiberius pudore ſcelerum & libidinum ſaxa & ſolitudinem maris Urbi Romæ prætulit. Sævitiam ac libidinem cùm factis promeret, locis occultabat. Nec tamen ipſum fortuna ſua, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur. Cætera Gnomologi.

Quæ Sejani amicitiam cæteri falsò exuerant.]Nemini fraude aut damno eſſe debet amicitia & familiaritatis cum eo habi-

habita; quem Princeps diu probatum, cultum, & ad ſummos honores evectum pòſt gratiâ ſuâ excluſit. Separari debet amicitiâ à crimine. Complices alii ſunt ſceleris, qui merito ſuo pœnas luunt: alii amant, colunt, venerantur, quos à Principe amari, & penè tanquam pares diligi ſciunt. Hi autem quid contrahunt ſceleris, ſi jure vel injuriâ Principis gratia mutet? Princeps qui omnia explorata habet, deceptus eſt. Quid mirum, ſi alius quoque in eundem errorem trahatur? Hæc defenſio M. Varroni, de quo hic Tacitus, truculentiſſimis Tiberii temporibus, quibus erat accuſandi frequens & penè publica rabies, accuſato incolumitatem dedit. Et gemina huic oratio Amyntæ, ob amicitiam Philotæ apud Alexandrum rei, extat apud Quinctum Curtium: (*lib.7.*) cujus partem huc adſcribere placuit. Amicitiam quæ nobis cum Philota fuit, adeò non eo inficias, ut expetiſſe quoque nos, magnoſque ex ea fru-

ctus percepiſſe confitear. (Idem initium M. Terentii exordio) An verò Parmenionis, quem tibi proximum eſſe voluiſti, filium omnes penè dignatione vincentem, cultum à nobis eſſe miraris? (Reſpondent orationis Terentianæ verba; Videram collegam patris &c.) Tu herclè, ſi verum audire vis, Rex, hujus nobis periculi cauſa es. Quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? ab illo traditi ad hunc gradum amicitiæ tuæ aſcẽdimus. Is apud te fuit, cujus gratiam expetere, & iram timere poſſemus. (Confer verba M. Terentii, ut quiſque Sejano intimus, ita ad Cæſaris &c.) An non propemodum in tua verba, tui omnes, te præeunte juravimus? eoſdem nos inimicos amicoſque habituros eſſe, quos tu haberes? hoc ſacramento pietatis obſtricti adverſaremur ſcilicet, quem tum omnibus præferebat? (Similis Marci argumentatio in illis verbis; non enim Sejanum Vulſinienſem

ſem &c.) Igitur ſi hoc crimē eſt, tu paucos innocentes habes, imò hercle neminem (comparia illa in Marci oratione verba; cūctos, qui &c.) Omnes enim Philotæ amici eſſe voluerunt: ſed totidem, quot volebant, eſſe non poterant. Ita ſi à conſciis amicos non dividis, nec ab amicis quidem ſeparabis illos qui idem eſſe voluerunt. (Idem in oratione Marci epilogus; imò juſtis terminis dividatur &c.)

Abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultiùs parat, exquirere, illicitum, anceps] dixi ad lib. 1. verb. *quibus unus metus, ſi intelligere &c.*

Quod filii necem fleviſſet.] Sub tyrannis malorum omnium complementum eſt, non poſſe tutò flere mala; quòd nō palàm triſtem eſſe licet, ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes neceſſe eſt felicium affectus exprimere. Tacitus infr. hoc libro; *neque propinquis aut amicis adſiſtere, inlacrimare, ne viſere quidem diutiùs dabatur, ſed circumjecti*

cuſtodes, & in mœrorem cujuſque intenti, corpora putrefacta adſectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia aut ripis appulſa, non cremare quiſquam, non contingere. interciderat ſortis humanæ commercium vi metûs.

Cùm jam tabe fluunt, confuſaque tempore multo.
Amiſere notas, miſerorum dextra parentum
Colligit, & provido ſubducit cognita furto.
Meque ipſum memini cæſi deformia fratris
Ora rogo cupidũ vetitis imponere flammis,
Omnia Sullanæ luſtraſſe cadavera pacis;
Perque omnes truncos, cum qua çervice reciſum
Conveniat, quæſiſſe caput.
(*Lucan.* I I.)

Sapienter moderans] exemplum, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos

viros

viros eſſe, obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria & vigor adſint, cò laudis excedere, quò plerique per abrupta ſed in nullum Reip. uſum ambitioſa morte inclaruerunt. (*Tacit. in agric.*) v. quæ dixi ad lib. 4. verb. *dubitare cogor &c.*)

Gello exprobrabat, quòd ſcientia ceremoniarumque vetus &c.] Non eſt tolerabilis ejus artis ignorantia, quam quis profitetur. Turpe eſt, inquit Qu. Mucius Scævolæ I. C. patricio & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſatur, ignorare. (lib, 11. D. *de orig. jur.*) Pudendum igitur fuit, quòd Renatus Biragus, Galliæ Cancellarius cùm in regni comitiis oratio ipſi habenda eſſet, ætatem & rerum Gallicarum ignorantiam cauſatus, initiò ſe excuſavit. (*Thuan.* LXIII.)

Neque habere privatum liceret] v. notata ad lib. 4. verb. *libros per ædiles &c.*

Felicitate ſæpiùs quàm induſtria commendabatur] dixi latè ad lib. 3. verb. *mihi quantò plura &c.*

Nam primò duodecim tabulis &c.] qui-

quibus legibus obviam itum ſit Romæ uſurarum fraudibus, & quomodo illæ toties repreſſæ rurſum ortæ ſint, ſatis diligenter tractat in Commentario ad leges 12.tabularum Franciſcus Balduinus.Cæterum vetus id malum pœniſq; nunquam ſatis coërcitum, hodieque medullis civitatum regnorumque inhæret tam altè,ut ejus pellendi nulla ſpes ſit.Nam qui mercimonia negotiationeſq; exercent, ſuo jure fœnore urbes agroſque exhaurire ſe arbitrantur. Nobilitas & proceres, quibus omnis quæſtus indecorus eſſe debebat, inſtitorias fraudes egregiè prodidicerunt; quidam avaritiâ: alii quò habeant, quæ per luxum & vanitates aulicas prodigant.Principes ipſi Hebræos, tanquam neceſſarium regni inſtrumentum, interdum paulò meliori, quàm Chriſtianos,conditione,tenent. Iſta gens poſt immane occiſi Servatoris JESU CHRISTI piaculum, irâ Numinis omni exutâ dignitate, & quò cæteris mortalibus oſten-

oſtentui eſſet, ſuis ejecta ſedibus, vaga atque egens, quà lucri fraudiumque tutò exercendarum ſpes duxit, omnibus ſe terris diſperſa effudit, perque omnes urbes prompta dolis, pecuniæq; vias omnes callens, fœneratur. Ita juxtà plebs primoresq; evertũtur fortunis, circumveniuntur, atque obruuntur fœnore. Principes illis ut ſpongiis utuntur, & poſtquam ſatis biberunt, exprimunt madidos, &c.

Acribus, ut fermè talia, initiis, incurioſo fine.] Neceſſarium illius præceptum eſt, qui reſpublicas, leges, & inſtituta ſæpè ad ſuorum initiorum vigorem reduci juſſit. Seneſcunt omnia; & ipſæ leges, quibus ſtat Reſp. dũ novę ſunt, ſervantur, dein fruſtrà habentur; *acribus initiis, incurioſo fine.* Nulla ergò melior ratio eſt, nulla prudentior, qua reſpublicæ ſerventur, nulla Medea hujus Æſonis ſeniũ feliciùs rejuveneſcere fecerit, quàm ſi, qui vitio temporum & hominũ pravitate contracti ſunt nævi, tempeſtivè

vè emendentur;& leges veteres, ne illarum contemptus aut oblivio obrepere poſſit, novis ſanctionibus muniantur. Quemadmodum corpori hominis per ſingulos dies aliquid vitii accreſcit, quod, niſi tollatur, tandem mortiferum parit morbum: ita Reſp. ſenſim à primo robore, primâ que ſuâ conſtitutione abſcedunt:ad quam niſi revocentur, ſenio expirare eas neceſſe eſt. Florentiæ olim mos fuit, ſingulis quinquenniis refingere, ſi quid à primâ legum ſinceritate abiiſſet. Et Friſii (*Vbbo Emm.* 23.*hiſt. Friſ.*) cum anno Chriſti cIↄ cccc xxxix. in comitiis Leoardiæ coactis multa de pace, de bello, deque cæteris Rempublicam concernentibus negotiis decreviſſent, quo ſanctiùs cũcta ſervarentur, in biennium ſolùm id decretum valere juſſerunt. Veneta Reſp. mortalitatem effugiſſe videtur non alius magis inſtituti beneficio, quàm hujus inſtaurandarum corrigendarumque legum; & reducendo revo-

can-

candoque cuncta, quæ labare videntur, ad priſcum morem. Anno Domini cIↄ Iↄlxxxii. Collegii decemviralis auctoritas eò ſe provexerat, ut limites, intra quos olim ſe continuerat, transgreſſa, immodicâ nimiumque ſe efferente poteſtate terribilis eſſe liberæ civitati inciperet. Illo præſertim anno multa legibus adverſa facta dicebantur: publica pecunia ambitiosè in privatorum gratiam effuſa: patritii plerique majorum comitiorum lege ſoluti: alii, qui vel ob ætatem arcerentur, vel tempus, quo poſt exactos honores ad alios capeſſendos minimè idonei ſunt, nondum exegiſſent, ad magiſtratus admiſſi: denique cuncta ferè ad ſe nullo refragante, tracta. Sed re majoribus comitiis agitatâ, certis limitibus incluſa decemvirûm poteſtas eſt, ne noxia Reip. eſſet.

Quòd Theophanem Mitylenæum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet.] Magnum ſanè crimen! quale fuit,

fuit, quod Agathocles Ithacenſibus, Ulyſſem Ithacæ dominum, abactis ex Sicilia pecoribus paſtorem exoculaſſe poſt tot ſecula objecit. (*Plutarch. in apopht.*

Magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe] v. quæ dixi ad libr. *Granium Marcellum, &c.* Boni Principes, cùm injurias ſuas & læſæ majeſtatis crimen ulti ſunt, ne magnitudinem pecuniæ, quam damnatus habebat, & avaritiam ſuam reo exitium attuliſſe dici poſſet, bona damnatorum liberis aut agnatis damnati tranſmiſerunt. Quod Coſmus Magnus Hetruriæ Dux, qui pluribus, quàm quiſquam alius ſuorum temporum, conjurationibus petitus fuit, ſæpiùs feciſſe dicitur.

Non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce.] Hi ſunt iſti in aulis ſtruthiocameli, qui ferrum quoq;, hoc eſt, indigniſſimas quaſque injurias deglutire, ac digerere poſſunt. dixi ad lib. 2. verb. *haut cunctatus, &c.*

Fato-

Fatone res mortalium] expoſui meam de fato ſententiam ad lib. 3. verb. *mihi quantò plura &c.*

Grave conſcientiæ, grave famæ ſuæ &c. Talia quoque Neronis verba ſunt ad Senecam opibus ſuis renunciantem: *quòd ſi maximè continentia tua laudetur, non tamen ſapienti viro decorum fuerit, ut de amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere.* (*Tac.* XI. *annal.*)

Pars mœroris fuit, quòd Iulia Druſi filia denupſit in domum Rubellii Blandi, cujus avum Tiburtem equitem Romanũ plerique meminerant. Indigna ſanè res, regii ſanguinis virgines, aut viduas ignobilioribus in matrimonium dari. Quod tamen olim in Perſis, & nunc apud Turcas, moribus excuſatum eſt, quibus Regum filiæ Satrapis nubunt. Sed & conjugum imparitas neceſſitate interdum defenditur. Inde Fridericus Neapolis Rex à prudentibus reprehēſus eſt, quòd Alexandri Pontificis filio ſuam filiam

am uxorem dare noluiſſet. (*Guicc.4.*) Et Alfonſus tunc Ferrariæ Ducis primogenitus laudatur, quòd ducendo in uxorem LucretiamBorgiam Pontificis filiam, Principatum ſuum, ob ambitionem Cæſaris Borgiæ aliàs in manifeſto periculo ſibi ſervare ſcivit.(*Guic*.v.) Cætera dixi ad lib.1. verb. *nuptiis ſororis illectum.*

Non permiſſa provincia dignationem addiderat] retuli ad finem lib.3.

Hæc incerto & fabuloſis aucta] quemadmodum pleraque, quæ majorum inexplorata authoritas pro veris tradidit famæ: quæ & viſu nocere baſiliſcum,& canere cygnos credidit, & formidinis opinione leones oneravit,qui in gallos cantantes incidiſſent &c.

Mirumque amorem adſecutus erat, effuſa clementia,modicus ſeveritate. Principis munimentum tutiſſimũ eſt amor civium.Sed & Metus cohibet. amari igitur,an timeri præſtet, quæritur?Sane optimum eſt ita temperare mores, ut nec

nec facilitas auctoritatem, nec ſeveritas amorem diminuat. Ita amor, odium, & metus contemptum excludent. Nec ſufficit ſola clementiæ & benignitatis fama, adeoqve civium amor. Nam cùm impoſſibile ſit ita ſe gerere Principem, ut omnibus ſatisfaciat, neminemqve offendat; neceſſe eſt ad incolumitatem ejus, ut qvi amare nolint, timere debeant. Qvod ſi alterutro carendum ſit, malim eqvidem pro ſevero atqve adeò ſævo haberi, quam nimis facili, nec in injurias idonea ſeveritate acri. Nam & contemptum parit nimia bonitas, &, ut dixi, ſaltem illos, qui non amabunt Principem, metu, continere opus eſt. Tum & ita plerumqve etiam optimum Principem cives amant, ut ſe tamen plus ament, & qvanqvam.

Pronior in regem eſt populus, pugnatq́;
minaci.

Cum terrore fides:

tamen

ut

- - - ut cum mare poſſidet Auſter
Flatibus horriſonis : hunc equora tota ſequuntur.

ita plerumque neceſſariis maximè difficilibuſque temporibus *fides metu infringitur* (*Tac. 3. hiſt.*) & ſuis rebus neglecto Principe, conſulere, prudentia habetur. Ita tamen rigorem, malo, ne is populi odium in Principem concitet. Furoris plena, & auctoribus ſuis exitiabilis illa vox fuit: oderint dum metuant. Severitatem volo juſtam, quam mali metuant, boni probent; quoque etiam expers odii eſſe poteſt. Ita namque M. Brutus, cùm nihil ad gratiam faceret omnia tamen grata videbantur; qvæ faciebat. (*Ammian. Marcell.* XXVII. *ex Tullio*) Cæſar apud Lucanum, (III.)

- - gaudet tamen eſſe timori
Tam magno populis, & ſe nec mallet amari.

Julianus Cæſar à militibus dilectus eſt arctiſſimè, dum timetur. (*Ammian. lib.*

lib.25.) Prætextatus urbi Romæ ſub Valentiniano Præfectus adeptus eſt id quod raró contingit, ut, cùm timeretur, amorem non perderet civium. (*Ammian. Marcel.* 27.) Concludo Ammiani Marcellini verbis; ſalutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementię (*Ammian* 29.)

Sibi fidem integram, & ſi nullis inſidiis peteretur, manſuram.] Xenophontis ſẽtentia eſt (7. *Cyrop.*) viros honeſtos, cũ ſibi fidem non adhiberi ſentiunt, odio proſequi diffidentes. Periculoſum igitur eſt, & intutum Principi, de potentibus miniſtris ſuis peſſima quæque credere, & vindictam meditari. Sæpè enim innocentes invidia defert; & qui primum horruiſſent ſcelus, pœnæ metu & Principis irâ in furioſa conſilia propelluntur. Caſſino & Bonifacio ducibus Honorius Imp. cum Vandalis, Alanis, Sueyis in Hiſpania bella gerebat. Virtute, prudentia, felicitate Bonifacius præſtabat. Inde cum gloria in invidiam ver-

vertiſſet, & Bonifacius à Caſſino non modò ſuperbo immodicoque imperio premeretur, ſed & in ſuſpicionem rebellionis apud Imperatorem adductus eſſet; coactus eſt, ut ſecutitati ſuæ conſuleret, & ſeceſſione facta in Africam ſe proripere, & Vandalos Alanoſque in auxilium vocare. (*P. Æmil.* 1. *de geſt. Franc.*) Eodem modo fidiſſimi ſuis Principibus Sylvanus (*Ammian. Marcell.* 15. *hiſtor.*) & Alexius Philantropenus (*Niceph. Gregor.* 6. *hiſtor.*) rebellare coacti ſunt. Inde Principes quidam tam ad diffidendum tardi fuerunt, ut perire maluerint. Cum Dario Nabarzanis & Beſſi inſidiæ detectæ eſſent, & qvidam ei ſvaderent, Græcis militibus, quorum erat nota fides, corporis ſui cuſtodiam committeret, reſpondit ille, difficilius ſibi eſſe damnare quam decipi; quicquid ſors tuliſſet, inter ſuos perpeti malle, quàm transfugam fieri, ſerò ſe perire, ſi ſui milites nollent ſalvum (*Q. Curt. lib.* v.) Et Ludovicus Sforzia

nun-

nunciatâ Sanſeverini copiarum ducis defectione, dixiſſe fertur; ſe non minorem exiſtimare imprudentiam, vanâ ſuſpicione fidiſſimorum operâ ſe privare, quàm incauta credulitate illorum ſe fidei committere, qui ſuſpecti eſſe debebant. (*Guicc. 4. hiſt.*) Ergò

Quoties neceſſe eſt fallere, aut falli à ſuis
Patiare potius ipſe, quàm facias ſcelus.
(Senec. in Theb.)

Reputante Tiberio, publicum ſibi odium, extremam ætatem, magisque fama, quàm vi ſtare res ſuas.] Quorum Principum magnitudo non armis, non vera potentia nititur, ſed ſolâ famâ, ſolâ hominum opinione, ii nunquam vires ſuas ancipiti periculo committere debent: ne Elephantum more, qui ubi ſemel ceciderint, invalido ſunt ad reſurgendum niſu, amittant authoritatem, quam ipſis tribuebat publica gentium veneratio. Parum enim tuta ſine viribus majeſtas eſt; nihilque contem-

ptius,neque infirmius, ſi ſint qui contemnant. Indeque his talibus neceſſe eſt,pondere quod urget, flecti velle,ne ſi nolint, frangantur. Quanquam enim ſum̃am Princeps authoritatis & dignitatis rationem habere debeat;nec quicquam majeſtati tàm infeſtum ſit, atque contemptus; ut Princeps ſine authoritate juſtè ſine cauda pavo dici poſſit: ineptiſſimi tamen illi REPUTATIONIS etiam in minutulis quibuſq; jactatores meritò habendi ſunt, quibus dignitatẽ Principis ſine regni ſalute ſalvam eſſe poſſe ſtolidè perſuaſum eſt. quique paparùm cogitant, his talibus cõſiliis dominos plerumq; regnorũ jacturâ multari,nec everſo principatu Principẽ eſſe poſſe. Quantò ſatiùs eſt,rei ſummam, cedendo,aliquid de jure ſuo remittendo, non omnia intempeſtivâ auſteritate denegando, ſervare, quàm eandem pertinaci & inconſultâ ſuperbiâ peſſũdare, omnẽ ſecum dignitatis exiſtimationem in caſum ruinamq; tracturam.

Opti-

Optimi ducis eſt, nō ſolū vincendi, ſed & cedendi tēpora poſſe perſpicere(*Polyb.* I.) nec minùs boni Imperatoris, ſapienter quàm fortiter agere. Non eſt flagitioſū, urgente neceſſitate hoſti cedere; multò autē fœdius, ſtādo pugnādoq; temerè Remp. in periculum conjicere(*Thuc.* 8.) Vincere apud ſapientes cedere eſt.(*Euſtath. lib.* 5. *de Iſmeniæ & Iſmenes amoribus.*) Inde laudandus eſt meritò Philippus Alexādri pater, quod circa regni primordia rerum infinitâ multitudine in diverſas trahēte partes, finitimis undiq; in Macedoniam irrumpentibus, quia omnibus par eſſe nō poterat, alia bella interpoſitâ pactione cōpoſuit, alia redemit, facillima aggreſſus. Et Polybio valdè probatur Hamilcar Carthaginenſis, quòd quamdiu aliqua Carthaginenſium rebus ſpes ſuperfuit, nullo unquam labori pepercerit, nullum periculum ſubterfugerit: ubi verò rebus patriæ nullam ſpem relictā vidit, prudenter tēpori cedens, de fœdere cū

L .Luctatio Coſ. convenerit. Manuel quoq; Imperator Conſtantipolitanus ſapientiſſimè Joannem filium ob intempeſtivè generoſos ſpiritus reprehendit: in eas anguſtias eſſe redactam priſtinam Urbis atque imperii majeſtatem dicens, ut ea non tam Imperatore quàm Oeconomo opus habeat *Georg.* (*Phranzes Protoveſtiar.* 2. *hiſtor.*)

Eandem in veteribus legibus inſtitutiſque tuendis obſervatio valere debet. Nam cùm in eas anguſtias pervenerimus,' ut aut violatis legibus ſalva Reſp. aut ſalvis legibus interitura ſit Reſp. poſthabitis legibus neceſſitati parendum, &, *dormiant hodie leges*, dicendum. Majores noſtri res ſuas, ad ſeculi, quale tunc erat, genium curavêre. Nobis pro diverſitate temporum, in quæ incidimus, interdum pro ſalute eſt, à mente eorum, & conſiliis abire. Ut & profanæ ſuperbiæ putem, ubique negligere avitam prudentiam: & abſurdum reverentiæ genus eſſe, quod nos per-

perpetuò illorum inſtitutis velit addicere. Athenieſes in ſanctius ærarium mille talenta ſepoſuerant, ſancitâ capitis pœna, ſi quis de ea eroganda cenſuiſſet. (*Thucyd.* 2.) At iidem acceptâ in Sicilia ingenti clade, ad extremas deducti neceſſitates, antiquatâ lege, contrahendis copiis, & inſtruendæ claſſi pecuniam illam omnem inſumpſerunt. (*Thucyd.* 8.) Non igitur immeritò culpatur Cato Uticenſis, quod cum patria in ultimo verſaretur diſcrimine, nimis antiqui moris retinens, ita omnes ſuas actiones inſtituit, quaſi fato delatus eſſet in Platonis Rempublicam, non autem verſaretur in fæce Romuli. Nocuit etiam antiquus rigor & nimia ſeveritas Galbæ, cui jam paria non erant urbis vitia. Conſtat potuiſſe conciliari animos militum quantulacunque parci ſenis liberalitate: ſed cum intempeſtiva ſeveritate legi à ſe militem, non emi, pronunciaſſet, vita & imperio excidit. (*Tac.* 1. *hiſt.*)

Porrò non in legibus tantum obſervandis, veteriq; more tuẽdo, nec in hoſtes tantùm, ut diximus, & qui æquo cũ Principe noſtro jure, ſimiliq; dignatione cenſentur, hoc monitum valeat: ſed & in cives, qui ſive provocati, ſive inconſulto animi impetu, in Principem peccaſſe videbuntur. Quare, ſi nimis laxè ac licenter populus habitus eſt; reſtringatur. nimis duriter; indulgeatur, offenſus eſt hoc aut illud contra conſuetudinem & im̃unitates tollendo; in priſtinum reponatur, rapacibus & invidis hominibus officia demandata ſunt; removeantur. Cùm Athenis de Mitylenæis, qui ad Lacedęmonios defecerant, exſcindendis conſultaretur; prudentiſſimè Diodorus monuit, non eſſe nunc diſceptãdum, ſitne juſtum, puniri ſeditioſos: ſed ſitne id utile Reip. Non, inquit, ſi peſſimè egiſſe Mitylenęos liqveat, niſi è rep. ſit, damnari eos jubebo; nec etſi maximè veniam mereantur, eã niſi reip. ſalutarem dari ſuadebo. (*Thucyd.*

*tyd.lib.*3.) Cùm Joannis Galeatii Viſcõtii milites, qui Piſis in præſidio collocati erant, civium contumeliis irritatorũ factione urbe pulſi eſſent: Galeatius increpando militum proterviam, laudandoq; cives, quod neceſſitate adacti militum injurias ulti eſſent; Piſas retinuit, aſperioribus modis habitas cõfeſtim ad hoſtes Florentinos tranſituras. (*Leon. Aret. in hiſtor. Florent.*) Quò magis reprehẽſione dignus eſt Philippi II. Hiſpaniarum Regis rigor apud Hieronymum Coneſtagium, (*4. de bell. Belg.*) Maximiliano Cæſari reſpondentis, propugnaturum ſe omni ratione ac modo authoritatẽ ſuã: facturumq; prius rerum ſuarum jacturam, quàm ut quicquã de reputatione ſua decedere patiatur. Sed quanquam regi nocuerit hæc aſperitas, eventus docuit. & conſtat inter omnes, qui ferale iſtud Belgicũ bellum deſcripſerũt, Alexandri Farneſii prudentiâ & moderatione atq; conſiliis à priorũ *Gubernatorũ* ratione diverſis, reliqvias Bel-

giiRegi ſervatas: quēadmodū ex diverſo auſteritati AlbaniDucis, quæ populorū illorū nec totā libertatē, nec totā ſervitutē ferre aſſuetorū rabiē concitavit, tot malorum cauſas adſcribunt penè omnes (*Thuan. Coneſtag. Ioh. Bapt. Cin.&c.*) Atque ita ferè evenire videmus, ut poſtquam vehemens aliquis & imperioſus Appius rem imperio agendam cenſuit; laſcivire magis plebem quàm ſęvire, unoque arrepto aut altero quieturos cæteros arbitratus, ex amicis dubios, ex dubiis hoſtes fecerit; tandem ad Servilii aut Quinctii alicujus popularitatem confugiendum ſit; qui blandâ oratione & lenibus remediis animos concitatos mulcere, ſuſpiciones eximere, parteſque conciliare poſſit. Mirè huc facit ſaluberrimum illud conſilium, quod olim Maximilianus II. Imperator Henrico III. Galliarum Regi, Viennæ apud ſe divertenti dediſſe perhibetur: ſucceſſorem illius, qui cum civibus ſuis bella exercuit civilia,

vilia, necdum finita, primis regni auſpiciis debere omnibus pacem dare, amneſtiam ſancire, & clementiam, nova imperia inchoantibus ſemper utilem oſtendere. Sic enim funeſtam præteritorum memoriam ſepeliri, & eorum culpam ab univerſis in anteceſſorem rejici. (*Thuan.*58) Mocenicus quoque Venetiarum Princeps eundem Henricum, cùm Venetiis eſſet, ad inteſtinas diſſenſiones tollendas, ſubjectos beneficiis demulcendos, pacandoſque animos adhortatos eſſe dicitur. (*Andr. Mauroc.*12 *hiſt.Ven.*) Quod conſilium cùm Henricus neglexiſſet, qui vivo fratre Carolo digniſſimus imperio habitus & omnium votis expetitus fuerat, converſâ omnium voluntate ſtatim ingens ſui faſtidium fecit. Et conſimili eventu olim in Romano imperio Galbæ feralis in urbem ingreſſus, trucidatis in oculis civium tot millibus, ſtudia omnium ab ipſo in Othonem vertit. (*Tacit.* 1.*hiſt.*) Qui autem indulgenti-

am, clementiam, & temporibus ſervientem prudentiam tantoperè Principis majeſtatem oppugnare arbitrantur, vehementer profectò falluntur. Nihil enim eſt in ſumma fortuna majus, quàm poſſe, nihil melius, quàm velle longè lateq; propagare pomœria clementiæ atq; benignitatis. Nullâ dote, nullo genere virtutis mortalitas propiùs accedit ad naturæ divinæ ſimilitudinem, quàm miſerēdo humanæ imbecillitatis, ignoſcendo erroribus, & injurias obliviſcēdo. Quâ arte, quâ virtute majorem ſe divinioremq; ſubjectis facere Princeps poſſit, quàm ſi videāt, ſentiantq;, omnia illum ſaluti civium poſtponere? Creſcit hîc majeſtas, dum remittitur; major fit, dum negligitur. Præter hæc, cùm duo ſint imperiorum fundamenta, auctoritas & civium benevolentia quantum indulgentia majeſtati detrahere videtur, tantum ad amorem addit: qui conſervandæ publicæ rei non minùs inſervit, quàm illa. Et bona hîc cautio eſt, ſi quod

quodfaciendum eſt neceſſariò, ſpontè ſe facere Princeps præferat.&c.

--- *cupias,quodcunque neceſſe eſt.*
(*Lucan.*4.)

Nomine tantum & auctore opus.]Hęc illorum plerumque conſilia ſunt, qui propriis deſtituti viribus, alios ad bellum movere nituntur.Exulum maximè nunquam fida poſſunt eſſe conſilia. Nã cùm illorum ſpes deſiderio potiùs, quàm ratione menſurentur, plerumq; infelicem ſortiuntur exitum. Patriæ & avitarum poſſeſſionum recuperandarũ cupidine parùm penſi habent, quid juſtum, quid facilè ſit aut poſſibile expeditu.Id ſolùm cogitant, quo pacto alium moveant nunciis, literis, precibus urgent,mentiuntur,pejerant,omnia eſſe in expedito.veniat modò, tentet, audeat vincere nomine.tantum & authore opus.cunctos ab hoſte defecturos, & citrà ſanguinem plenam victoriã ſecuturã. Tali perſuaſione Philippus Macedonię Rex à Demetrio Phario Illyrio-

rum Rege, (*Polyb.*v.) Sebaſtianus Luſitanus à Mahumete Mauritano (*Thuan.* LXV. *Coneſtag.* I. *hiſtor. de conjunct. Luſit. &c.*] & Athenienſes ab Egeſtanis exulibus (*Thucyd.lib* 6.) inducti perierunt. Poſtremo Carolus VIII. Galliæ Rex ab exulibus regni Neapolitani, deſperatum illius ſtatum, amicosque & clientes ſuos jactantibus ad damnoſam ſibi poſteriſque expeditionem impulſus eſſe ſcribitur. (*Guicc.* I. *hiſtor.*)

Vt genus Arſacis ripam apud Euphratis cerneretur.] Semper alienis regnis turbandis, alliciendiſque populorum animis validum inſtrumentum fuere regia ſoboles, aut per alienam injuriam ſuo principatu pulſi. Indeque ſępiſſimè, qui novis Principatibus inhiarunt, quo peregrinæ dominationis invidiam lenirent, ex veteri Principum ſanguine quendam oſtendere ſoliti ſunt. Quomodo Procopius tyrannus Conſtantii Imperatoris filiam parvulam cum matre Fauſtina & in agminibus, & cùm pro-

propinquæ acies ſtarent, lecticâ ſecum circumtulit: ut pro imperiali ſanguine, cui ſe quoque junctum credebat, pugnarent audentiùs milites. (*Ammian.* 26.) Eodem cōſilio Petrus Aragonius, occupatâ Siciliâ, Conſtantiam uxorem, Manfredi, qui Siculis imperitaverat, filiam, ad confirmandos illorum animos præmiſit. (*P. Æmil.* 7.) ita Marobodus Suevorum Rex duodeviginti annos Ravennæ à Tiberio habitus, ſi quando inſoleſcerent Suevi, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur. (*Tacit.* II. *annal.*) Dum bella gliſcerent de ducatu Mediolanenſi inter Gallos & Hiſpanos; ut invidiam externi imperii mollirent victores, non aut ipſi, aut præfecti urbi & populo dominabantur ; ſed primò Maximilianum , mox Franciſcum Sforziam, carum iſti genti nomen, ſed qui præter titulum ex principali faſtigio penè nihil tenerent. Duces impoſuerunt. *Guicciar.* Parut. *in hiſtor. Venet.*) Et cùm Franciſcus ſine prole defun-

functus eſſet. Italiq; Principes ac Respublicæ ſuæ nationis Ducem Mediolanenſibus dari mallẽt quod Carolo Cæſari non placebat; ut in ſpeciem ſaltem eis ſatisfaceret, Ferdinandum Gonzagam Italum Principem Mediolano Præfectum dedit. (*Iulian. Goſelin. in urta Ferd. Gonz.*)

Conſilits & aſtu res externas moliri, arma procul habere.] Iſtæ pacis artes, & externarum rerum ſine ferro molitio à debilioribus neceſſariò, à majoribus conſulto uſurpantur. Nam multum ad ſuſcipienda conſilia valet, ſeipſum noſſe, atq; imperii ſui vires excutere; ut qui bello ſe imparem animadvertit, pacis artibus ſe tueri ſciat. Et magnorum quoq; principum ea interdum conditio eſt, ut aſtu potius, quàm armis res hoſtium ſubvertere rebus eorum magis conducat.

I. Qvod qvibus modis utrobique fiat, videamus. Qvibuſdam profuit, conſtanti pace arcere vim, qvam armis non po-

potuerunt. Intrantibus Romanis fines Tuſculanorum, non demigratum ex propinqvis itineri locis, non cultus agrorum intermiſſus: patentibus portis urbi togati obviam frequentes exercitui proceſſêre: commeatus exercitui comiter ex urbe in caſtra & ex agris devectus: in urbe patentes januæ, & tabernæ apertæ: intenti opifices ſuo qviſqve operi, & ludi literarum ſtrepere diſcentium vocibus: nihil uſquam non pavidis modò, ſed ne mirantibus qvidem ſimile. Victus igitur hoſtium patientiâ, Camillus, ad Senatum Tuſculanorum, ſoli, inqvit, adhuc Tuſculani vera arma, veraſqve vires, qvibus ab ira Romanorum, veſtra tutaremini, inveniſtis (*Liv.6.*) Simili modo Amalaſuntha Gothorum Regina Juſtiniani legatis reſpondit; nolle ſe armis contendere: nec fore decoram de non adverſante victoriam. (*Procop. 1. Goth.*)

Proxima huic debiliorum ſapientia eſt,

eſt, potentiorum patrocinium ſubire.

II. Piſani, Aretini, & Florentini olim, cùm ab externis hoſtibus metuerent, ſuarum urbium dominium in annos V. Roberto Regi Neapolitano tranſcripſerunt: & alio tempore Florentini in decennium Carolo Calabriæ Duci ſe addixerunt. Senenſes Joanni Bohemiæ Regi, & Genuenſes triennio antè Carolo Franciæ Regi ſe dediderunt. (v. *Orland. Malavol. Hiſt. Sen. hinc inde.*) Lucenſes, & Genuenſes hodieque Hiſpaniarum Regis patrocinio tutiores ſe putant, qvam parato & ſemper in caſtris exercitu.

III. Florentini pleraſque belli tempeſtates pecuniis à ſe depellere ſoliti ſunt. Auro libertatem contra ferrum defendebant. A quo inſtituto cùm ultimis illis bellis, quibus Medicæi in urbem reſtituti ſunt, per avaritiam receſſiſſent, rempublicam perdiderunt. Conſtat potuiſſe quadraginta millibus aureorum numûm Cæſarem, & exiguâ ſummâ

mâ Neapolitanum Pro-regem ſuæ urbis patronos facere: ſed ſeu negligentia, ſeu perverſo P. Soderini conſilio factum eſt, ut aliud placeret. Unde Medicæi Hiſpanis viribus ſubnixi, conjuratione ſuæ factionis, in urbem redierunt. (*Guicciard.* XI.)

Pluribus placuit, quod ſuis viribus non potuerunt, fœderatâ ſibi junctâq; alienâ potentiâ obtinere. Coëunt igitur plures adverſus unum, quem metuunt omnes. Belli Peloponeſiaci, quamvis alii erant prætextus, ea fuit cauſa, quo Athenienſium vires cæteris Græcis formidoloſæ erant. (*Thucyd.* I.) Sic Lacedæmonii Siciliæ Regem in commune contra Perſas bellum hortabantur: quòd victis reliquis Perſæ ad Siculos quoque arma translaturi ſint. (*Herod.* 7.) Sic Perſeus, ſic Mithridates adverſus Romanam potentiam movebant alios in communia fœdera. (*Saluſt. in Fragm.*) Nec tamen expreſſis ſemper fœderum contractibus in ſalu- IV. V.

tis

tis & libertatis ſuæ defenſionem ita coëunt principes & reſpublicæ; ſed & tacita interdum inter qvoſdam eſt conventio, ne qvem nimis magnum velint. Qvâ in re nobilitata eſt maximè Laurentii Medicæi prudentia; qvi cùm Reipubl. ſuæ periculoſum animadverteret, ſi unius ex Italiæ Principibus opes nimium augerentur; omni adhibito ſtudio, ut res Italię in eâ æqvitate conſiſterent, ne in hanc magis qvàm in illam partem propenderent, procurabat. qvod qvidem qvia ſine pacis conſervatione obtineri nullo modo poterat, ſummo ſtudio annitebatur, ne alicubi ſemina bellorum ad maturitatem pervenire poſſent, ſed in ipſa herba opprimerentur. (*Guicc. 1. hiſt.*) Hieron. Syracuſarum Rex populi Romani ſocius atque amicus, metu Romanæ potentiæ, Carthaginēſibus omnia, qvibus in bellum opus habebant, liberaliter ſubminiſtravit. (*Polyb. 1.*) Lanojus Neapolitanus Prorex dixit, ſolemne eſſe Põtifici-

bus,

bus,timere&odiſſeImperatores:(*Guicciard.* 16.)Et Andreas Maurocenus (2. *Ven. hiſt.*) ait, Imperatorum potentiam ſemperPontificibus adverſam eſſe. Et AndreasGrittus, numqvam Imperatorem Romanum in Italia tam parvum habiturum nidum affirmabat, qvin ex eo univerſosItali nominis ſit oppugnaturus:&Pontifici non abs re tam timēdum *in temporalibus* Cæſarem, qvàm *in ſpiritualibus*.Turcam.(*Guicciard.* 7. *hiſtor.*)Ergò qvanqvam nullę contraCæſaris majeſtatem fœderum tabulæ publicè extent:tamen illò tendunt Italorū Principum conſilia,ne unqvam priſtina Imperatorum potentia ibi reviviſcat. Qvod idem de Germanicis Principibus atq; civitatibus ſcribitGvicciardinus(7.& 13.*hiſtor.*) nolle eas eſſe Imperatoris opes,qvibus ingratiis ad imperata facienda cogi poſſint. Plus eſt, qvod qvidā ſcribit, ideò nec in tempore nec juſtis viribus, in bello Turcico Germanos Cæſari adeſſe; qvòd verean-

reantur, ne is recuperatum Hungariæ regnum non imperio, ſed ſuæ familiæ vindicet, & hoc modo major virium Auſtriacarum jam antè formidandarum acceſſio fiat. Et M. Antonius Gratianus libro tertio de bello Cyprio, Germanos objectos Turcis fines tueri, quam proferre malle ait: & audacius fortiuſque Trajanus Boccalinus, ſatius eſſe Germanis atque optabilius, amittere Viennam, quàm recuperare Budam. Ergò ſuſpecta ſemper eſt non hoſtium modò, ſed & amicorum fœderatorumque potentia: & quiſque à tantæ potentiæ vicino non aliud beneficium expectat, quàm quod Ulyſſi Polyphemus apud Poëtam promittit, ſcilicet, poſtremûm & poſt omnes devoratum iri. Dudum nos Hetruſci politici & veterum exempla docuerunt, Principes qui alienis imperiis in vario dominos diſtractis inhiant, conjunctis ſibi minoris potentiæ Regulis majores oppreſſiſſe; quibus ſubactis nullâ prio-
rum

rum fœderum, nullâ auxiliorum aut beneficiorum habitâ ratione, ambitioſas & avaras manus ad ſocios extenderunt. Romani, latini nominis populos, poſt ſubactos illorum auxilio cæteros populos regeſque in ſervitutem redegerunt. Quos potentiæ ſuæ inſtrumentum habuerunt, pòſt fruſtrà renitentes, idem, cujus aliis gentibus ipſi cauſa fuerant, jugum ſubire coëgerunt. Itaque non Italia modò, ſed & Aſia Africaque tanquam ſuâ opinione extra periculum, Romanæ potentiæ incrementa, ſibi olim gravi pondere incubitura, cum in herba opprimere potuiſſent, fatali ſocordia nutriverunt. Lugubris adhuc recordatio eſt, cùm Pannones Imperii Græci ruinam, illos quoque ſua mole afflicturam, riſerunt: & Ludovicus XII. Galliæ Rex: non ægrè ferentibus Florentinis, Mantuæ, Ferrariæ, Faventiæ, Piſauri aliarum civitatum Regulis Italiam quanquam non diu retentam, penè univerſam occupavit. Ex

quo

qvo clarum eſt, in illis regnis qvæ multi principes inter ſe diviſerunt, unius cladem cæterorum eſſe ruinam, & inſtrumentũ ſervitutis omnium: honores uni factos, affinitates, fœdera, annuas penſiones eſſe fidei ſollicitamenta, hamos toxico illitos, & artificia, qvibus ſopiti paucis deinde numis, aut vana ſpe vendant libertatem montibus auri nõ compardaãm. Nimirum omnibus pereunt, qvæ ſinguli amittunt; *& ſinguli dum pugnant, univerſi vincuntur.* (*Tacit. in Agric.*) Una hîc omnium ſalus eſt, Syrenum cantus auribus excludere, & armorum communium, ut ita dicam, aquâ extingvere ignem, qvo proximus ardet Ucalegon. Hiſpana potentia tam omnibus ſuſpecta eſt, ut vix illi ſe moveant, qvin univerſus orbis, omneſqve gentes arma induant. Qvæ res omnia conſilia cœptaqve Hiſpanis difficiliora reddit. Tot anni ſunt, ex qvo Batavi jugum eorum excuſſerunt. Vereri debebant alii, ne peſſimæ rei exemplum alii ſibi

ſibi jus facerent. Omnes eò laboraro debebant, ne orientem morem pellendi Reges inultum ſinerent.

Ne ſancta quiſquam ſceptra violaret dolo,
Regi tuenda maximè eſt Regum ſalus,
(in Oedip)

Sed tantum abfuit, cæteros Principes Hiſpanis jus ſuum adſeruiſſe, ut Britanni, Franci, Germani Batavos milite, pecuniaqve juverint; & hodieqve multi ſalutem ſuam cum Batavis conjunctam arbitrantur. Ajunt bellis illis cum ſubjectis populis, tanqvam neceſſario cauterio, nimias opes potentiæqve Hiſpanicæ velut humores exhauriri.

Alia potentium principum ars fuit, odia aliis populis ſubjicere: qvomodo Romani Armeniam ſpecie largitionis turbandis animis præbuerunt. (*Tacit.* 12.*annal.*) Ita Manuel Comnenus diſſidia inter Pontificem & Fridericum Imperatorem aluit: nec ulla VI.

erat

erat in Italia cæteriſque Imperatoris ditionibus civitas, in qua non addictum ſibi hominem haberet Manuel. (*Nicet.7.*

VII. Simile huic artificium eſt, hoſtem excitare ei, cujus in nos impetum timemus. Hoc modo Michael Palæologus à Carolo Cæſare bellum metuens Siciliæ Regem & Venetos ad bellum illi faciendum exemplo (*inquit Nicephorus Gregorius lib.*v.*hiſt.*) Artaxerxis, qui Ageſilai impetum formidans Thebanos& Athenienſes ad bellum ei inferendum impulit.

VIII. Referendum huc eſt Alcibiadis conſilium, quo Perſarum Regem inſtruxit: eatenus bellum inter Græcos ſuſtinendum, ne inopiâ deſeratur. Domeſticis bellis Græciam obterendam: inferiores auxilio juvandos, non tam ut vincant, quàm ne ſuccumbant. (v. quæ dixi ad lib. I. vetb. *nam ſpes, inceſſerat.*) Quo conſilio Hiſpanum quoque ſpecie tuendæ religionis contra Henricum

cum III.&poſt adverſus Henricum IV. commoviſſe regni proceres ajunt, & proponendo nunc hunc, nunc illum pro Rege, mittendoqve auxilia prompta magis quàm magna, operam dediſſe, ne aut victoriam daret, aut belli deponendi neceſſitatem imponeret. Ita diſſentientibus ſeque mutuò conſumentibus Gallis ſe arbitrum pacis ac belli fore, & quos ſuis non poſſet, ipſorum armis victurum arbitrabatur. Sed animadvertêre fraudem Galli, & Hiſpanorũ amicitiæ nunciũ miſerunt.

Iterum aliud ſophiſma eſt, quod paulò ſ.propoſui ad verb.*ut genus Arſacis,&c.*& item alud de quo dixi ad lib. 1.verb.*Pompejum imagine pacis &c.*

Barbaris cunctatio ſervilis: ſtatim exequi regium videtur.] Et ſanè interdum imperioſa vehementia plus poteſt, quàm lenta indulgentia. *Prima hoſtibus prodit tempora belli, qui quos armis pellere promptum erat, epiſtolis increpat.*(*Tac.* 3,*hiſt.*)Ita Cyrus Armeniis & Romani

tertium bellum Punicum (*Appian. in pun.*) ſimul indixerunt ac intulerunt, nullo hoſti relicto ſpacio. Ageſilaus Spartanorũ Rex, cùm transmiſſo Helleſponto iter faceret per Thraciã, nulli barbarorum, ut daretur tranſitus, ſupplex fuit, ſed miſſis ad ſingulos nunciis, quærebat, utrum per hoſtium an amicorum regionem iret? cumq; Macedonum Rex, ſe cum amicis conſulturum reſpondiſſet: conſultet igitur, inquit Ageſilaus, nos interim iter faciemus, (*Eraſm. in apophth.*) Cùm Popilius ad Antiochum à Senatu Romano miſſus mandata ſua expoſuiſſet, & Rex deliberaturum ſe dixiſſet, Popilius virgâ quam in manu gerebat, circumſcripſit Regem: ac, priuſquam hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum Senatui. Obſtupefactus Rex tam violento imperio, faciam, inquit, quod jubet Senatus. (*Liv. 25. Iuſtin.*) 34.) Foxius Gallicæ militiæ dux, is qui ad Ravennam occubuit, cum caſtra Bononiâ Brixiam verſus moviſſet,

ſet, ex itinere Mantuano per internuncios mandavit, ut claves arcium, quæ tranſitus munirent, ſibi transmitteret. Miſit Mantuanus. nec enim aliud conſiliũ tẽpore excluſus capere poterat. Superiob. annis Bavariæ Dux (cIↄ.Iↄ.cxx) quinq; dierum ſpatio dato ſuperioris Auſtriæ proceribus intra quos, velint nec ne Cæſaris mandatis parere, deliberarent, interim nõ elapſis adhuc illis qvinqve diebus, exercitum ad provinciæ limites admovit: qva re perculſos ad omnia obedientes Auſtrios habuit. Qvæ qvanqvam Alberico Gentili videantur vafræ, & injuſtæ actiones; qvod etiam in privatorum litibus poſtulato in jure tempus concedatur expendendi ſecum, cedere magis an contendere conducat; mihi tamen utriusque rei ratio multum diverſa videtur. In privatis enim actionibus nullâ ex dilatione fraus, nullũ damnũ eſt actoris, qvô jus ejus imminuatur: at in iſta bellorũ concertatione, ante qvam ſe firmet hoſtis,

aut vires paret, obviam eundum; cum omnis mora hîc ſit cum irrecuperabili damno conjuncta. In bello bis peccare non licet. Oportet, inquit Niceph. (*lib.* 5.) occurrere imminentibus malis, & prævenire. Sed in his tamen ego eum tantum finem probo, quò celeritate iſtâ hoſtis terreatur, & promptiùs ad pacis petendæ neceſſitatem adigatur. In illum, enim, qui juſſa, quanquam præſenti armorum vi coactus, facturus eſt, arma ſtringere, bellicæ juſtitiæ non convenit.

Miniſtros Arſacis multo auri &c.] Vetus eſt, non noſtri tantùm ſeculi ars non auro minùs quam ferro bella gerere.

Horridam ſuorum aciem, picta auro Medorum agmina &c.] In ſcholis inter alias politicas quæſtiones etiam hanc excutiunt: ſit ne miles auro arrgētoq; ornandus? Credo parùm ad ſummam facere, utrumvis dicas.

Metu magis quàm benevolentia ſubjecti]

ēli.]v.quæ dixi ſ.hoc lib. verb. *mirumque amorem &c.*

Quàm ſi qui externorum &c. miniſtri ſceleribus.]Et tamen his talibus, quales hîc Tacitus deſcribit, hodiè bella geruntur à Principibus noſtris propriâ deſtitutis militiâ.Sed quam ab illis expectes obedientiam, quam conſtantiam aut fortitudinem? quæ inter illos valeat diſciplina caſtrenſis? licentia, proterviâ,ſeditionibus tantùm ſe nobilitant.Carthaginenſibus periculoſiſſimum fuit bellum cum mercenariis ſuis.(*Polyb.*1.) An. Chriſti cIↃ. ccc. xxxix. equites Germani,cum à Ludovico Imperatore ſtipendiis ſuis fraudarentur, Lucam occuparunt,quam poſtea Gerardino Spinulæ Genuenſi xxx cIↃ. florenis vendiderunt.An.cIↃ.ccc.LVII. Germani milites bellis Neapolitanis exerciti,duce quodam Laudo,totâ Italia vagantur, incendiis, cæde, præda cuncta miſcentes. Senenſes incolumitatem ſuam XIII cIↃ. Pontifex Inno-

centius Sextus L.cIↄ.aureorum redimere coacti ſunt. Ex horum ſucceſſu annis ſeqventibus licentiam aliæ qvoq; prædonum manus ſibi ſumſerunt. Alii Capelletos, alii, qvi Britanni erant, Albos, alii Stellatos, alii Sanctos ſe vocabant. Qvibus tandem Braccius, Sforzia, Piccininus, egregia bello, ſed venalia nomina', operam ſuam majora offerenti ſtipendia addicere ſueta, ſucceſſerunt. Hodiernæ militiæ ſcelera ut nimis nota dicere ſupervacuum eſt.

Quoquo modo dicta vulgari malebat &c.] Paulus III. Pontifex, qvo ſuæ per urbem famæ gnarus fieret, ſingulis diebus propoſitas apud Paſqvinum famoſas chartas ad ſe deferri juſſiſſe dicitur.

Deferri cenſus, pati tributa] dictum latè ad lib. 4.

Quotiens concordes agunt, ſpernitur Parthus: ubi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem, adverſum omnes valeſcit.] Plerumqve externa auxilia vocanti exitio-

ſa

ſa fuiſſe ad librum primum dixi; qvod nunc exemplis monſtrandum eſt: Seluciensés à Parthis, (*Tac. hic.*) Cari à Cyro, (*Xenophon 7. Cyrop.*) Rhegini & Meſſanenſes à Romanis, (*Polyb.* 1.) Carthaginenſes à Gallis, Hiſpanis, Liguribus, Balearibus, Græcis, (*Polyb.* 1.) Græci à Philippo Macedone, (*Iuſtin.*) Britanni ab Anglo Saxonibus (*Vbbo Emm.* 3. *hiſtor. Friſ.*) Hieroſolymitani à Saladino (*Guil. Neubrig.* 3. *hiſtor. Angl.*) Hiberni ab Anglis (*Guil. Neubr.* 11. *hiſt. Angl.*) Apuli à Normanis, (*Io. Bapt. Pigna.* 8. *hiſt. Ateſt.*) Itali à Gallis & Hiſpanis (*Fr. Guicciard.* 1. *hiſt.* Demetrius Palæologus Peloponneſi Princeps. (*Pigna* 8.) & Conſtantinopolitani à Turcis, (*Georg. Phrantzes* 4. *hiſt.*) Friſii occidentales à Saxonibus (*Vbbo Emm.* 34.) aut oppreſſi aut inſidiis appetiti ſunt, M. Tullius (*in fragm.* 3. *de Repub.*) gloriatur, populum Romanũ ſociis defendendis in id faſtigium, in quo tunc erat, conſcendiſſe. Et Alcibiades

apud Thucydidem (*lib.6.*) Athenienſes auxilia ſociis & externis ferendo ad tantam potentiam perveniſſe ait. Gothi adverſus Herulos à Zenone Auguſto in Italiam miſſi, cum omnium populorum ſervitute eas opes ſibi pepererunt, quæ tot cladibus concuſſæ vix tandem conciderunt. Longobardi à Narſete acciti pulſis nobiliſſimis familiis ſedes ibi ſuas adeoque ſuperbum condiderunt imperium, ut Narſes ſi diutiùs vixiſſet ſub ea mole expiraturus fuerit. Nec levia detrimenta accepere Pontifices Romani ab Anglis, cùm eos mercede conductos bellum adverſus Romanæ ditionis occupatores gerere juſſerunt: ſcilic. tam validis illorum copiis, ut quocunque loco conſtitiſſent, impunè debaccharentur, amicis plerumque qàm hoſtibus graviores, & promiſcua præda raptoque viventes. (v. *Blond. in hiſtor. ab inclinat. imp. Io. Bapt. Pign hinc inde, Scip. Amirat. in hiſtor. Flor. lib.* 13. *& alibi*) Claudo veteri apo-

apologo, quo ajunt equum, ne cervum ejuſdem pabuli conſortem haberet, hominis imperio ſeſe ultrò ſubjeciſſe: atque illum quidem prato abactum, hunc ex eo tempore vindici ſubjectum fuiſſe.

Plebem primoribus tradidit ex ſuo uſu] Civitates, quæ populi imperio regebantur, cum à principibus ſubjugantur, nullo felicius modo continentur, quàm ſi ſumma rei à populo ad Senatum à Principe conſtitutum, vel in unum aliquem ipſi Principi id beneficium debentem, conferatur. *Nam populi imperium juxta libertatem, paucorum dominatio regiæ libidini propior eſt*: & facilius eſt multòque tutius, unius aut paucorum inniti fidei, quàm populo, omni momento variabili, ſe reſque ſuas credere. Hoc modo Carolus V. Florentinam Remp. ad Medicæos, Auguſtam aliasque Germaniæ civitates à populo ad Senatum, quem ipſe fecerat, tranſtulit. Singulare regiæ dominationis arcanum!

Adſidendo caſtellum] relatus eſt hic locus lib.2. verb. *genere pugnæ & armorum &c.*

Ea ſententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdageſen &c.] Quærunt utrum ſit optabilius, bonus Princeps, ſed qui bono amicorum conſilio deſtituatur, aut prudentes amici mali aut inſipientis Principis. Ego illum ſequor, qui pro certiſſima regula tradit, Principem ſæpè ſinè amicis benè ſtatuere: Senatum autem ſub imprudenti & fatuo Principe nunquã benè conſulere poſſe: niſi unus aliquis ex Senatu ſit, in quem translatâ omnium negotiorum curâ, Princeps acquieſcat.

Nihil abnuentem: dum dominationis adipiſceretur] v. quæ dixi ſ.lib. 3. verb. *nam vulgatum erat &c.*

Occidentem ab eo deſeri, Orientem ſpectari exprobravit,] v. quæ dixi ad lib.4. verb. *æquari adoleſcentes &c.*

Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet] non ignarus

ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. (Tacit. 12. ann.) *Non opus eſt cunctatione, ubi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas.* Tacit. 1. hiſt.) Indeq; traditur regula à politicis doctoribus: quando eò quis redactus eſt, ut ſive quieſcendo, ſive agendo eadem illi ſuperſtent pericula; ſemper ea, quæ agunt, conſilia apprehendenda eſſe. Quippe dum ocioſa contemplatione rerum exitum opperimur, manent accidentia cauſæque periculi, quales fuerant: cùm è contrario, qui audacter contrait, aut invenit, quod depellere periculum poteſt, aut, ſi fruſtrà inſudavit, monſtrat tamen animum ſe habuiſſe obſiſtendi.

Morum quoque tempora illi diverſa.] Rarò Principes imperii ſui curſum æquabiliter ad metam decurrunt, inclinant ferè & deteriores fiũt. Nota ſũt exempla Alexãdri Magni, Philippi Macedoniæ, Herodis Judeæ Regis, Neronis Romanorũ Imperatoris, de Tiberio ſignanter Tacitus hoc loco: *egregius*

vita famaque quoad privatas, vel in imperiis ſub Auguſto fuit; occultus ac ſubdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuere. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; inteſtabilis ſævitiâ, ſed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitque. poſtremò in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantùm ingenio utebatur Idem Tacitus de Galbâ: *major privato viſus, dum privatus fuit; & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* (1 *hiſt.*) Et de Veſpaſiano; ſolum omnium ante ſe Principum in melius mutatum eſſe (*Tac.* 1 *hiſt.*) In recentiori hiſtoria illuſtre hujus rei documentum eſt Clemens VII. Pontifex. Leo qui primus Pontificatûs dignitatem in Medicæam familiam intulit, & ſacræ purpuræ reverentiâ ſe ſuamque familiam, quæ ab excelſo loco in imum deciderat ſuſtinuit, ut ſecundam fortunam revertentem expectare potuerit, homo erat profuſiſſimæ liberalita-

tis. Hic inter alia, in quibus maxima eſt uſus felicitate, non parùm propitiam habuit fortunam, quod Julium patruelem, quem ex Rhodio equite, quamvis illegitimis nuptiis ortum, in ſacrum collegium cooptavit, apud ſe tenuit. Cum enim is naturâ gravis, ac maximis quibuſque negotiis par, atque à voluptatum illecebris alienus haberetur, ideoque Pontifex ipſo in omnibus magni momenti rebus uteretur; multos errores, qui ex Leonis facilitate oriebantur, moderabatur aut emendabat. Quæ cauſa erat, ut multi Leonem ab Julio gubernari, ipſumque tanto oneri imparem crederent. Hinc quicquid ſevere actum, quicquid magno animo ſuſceptum erat, Julii impulſu fieri cenſebatur. Sed quàm vana fuerint de utriuſque ingenio hominum judicia, mox cognitum eſt. Nec enim Julius Leone & mox Hadriano defunctis, Pontificatum adeptus, expectationi hominum reſpondit. Non rerum no-

va-

varum cupiditatem, aut animi magnitudinem, & magnorum operum ſtudium demonſtrabat: & apud Leonem miniſter potius conſiliorum, quàm rector fuiſſe deprehendebatur. In conſiliis ſuſcipiendis ſumptuum vitandorum præpoſtero ſtudio & inſitâ quadā hęſitantiâ ſemper erat dubius atque ſuſpenſus. Unde cum ad conſiliorum executionem ventum erat, quodvis vel minimum momentum, quæcunque vel leviſſima difficultas ſufficiebat ad reducendum illum in eam confuſionem, in qua fuerat antequam cōſultaſſet. Et indè quoque ſæpius re jam conſtituta ad rejectum paulò antè conſilium relabebatur. Qua in implicata natura, & perturbata rerum adminiſtrandarum ratione potius à miniſtris regi duciq; quàm ipſe conſilium capere videbatur. (*Guicciard.* 16.) Cæterum hujus rei cauſa in Clementis ipſius natura ingenioque eodem ante & poſt ſuſceptum principatum fuit. Quamobrem autem quidam

Prin-

Principes vi dominationis convulſi & mutati ſint, ſolerter Lipſius indagat in notis politicis. Prima eſt, quod initio principatus major pudor eſt & famæ ſtudiū: quod paulatim cedit proterviæ & contemptui ex omniū obſequiis ſū-pto. Alia, infirmitas humani ingenii: eoque magis in Principe, quē nihil tenet, quā honeſtum, pudor & metus Numinis. quo reſpectu quidam dixit, (*Amm. Marcell.* 30.) poteſtatis amplitudinem nudare ſemper animorum interna. Eſt enim imperiū ſublime quiddam & excelſum, ſibiq; inſidentem altius effert, adverſus rationem ferociens. (*Theophylact. Simocatt.* I. *hiſt.*) Accedūt adulatores, inſita aulæ peſtis. Quid miremur, Principes violentâ adulationis procellâ inclinatos, quò ſpontè jā volunt, iis vocibus credere, quas ſolas accipiūt: præcipuè nemine ruinā ſuſtinente, ad quā tanta vis impellit. Nam illi ſapientes, quos negotiis adhibent, ſeu verentur fruſtrà monere, ſeu medicamentum,

quam-

quamvis infundat ſalubritatem, ingratum eſſe ſciunt, his vulneribus non adhibent manum: aut certè vitia diſtinguunt, quibus ſe ipſum Rex maculat, ab iis quibus perdit Rempublicam: & contenti utcunque mederi publicis, non reſtituunt Principi oculos, quibus ipſe ſuam ſortem & blandientium fallaciam damnet. Quis familiarium Reges admonet, ſi avaritia infames ſunt ſi nimio venationum ſtudio omittunt reip. curam, aut cùm libidinis exemplis inficiunt ſeculum, vel inconſultis amicitiis publicam invidiam concitant? Laborant omnes virtutum nomina his cupiditatibus fœdare. Cura futuri, laborum aſſuetudo, comitas, liberalitas appellantur. Niſi igitur majorem Regibus genium, quam qui populum informat, natura dediſſet, quotuſquiſque ex his plagis evaderet, quæ vel ipſa conſuetudine placent, quia naſcentium cunas circumdant, nec eas meminerunt ſibi poni? Senectutis etiam vitium eſt,
ti-

timidum eſſe,& plus juſto ſuſpicacem, indeque crudelem. Putant enim ſenes, alios lætari ſuis infortuniis:& quia multos à ſe læſos recordantur; malè quoque de ſuorum fide ſentiunt ideòque ſuibus ſimiles ab Æliano dicuntur: quos ſi quis manibus tãgat, protinus gruñire occipiunt, malè ſibi ominantes; quod nec vellera habeant, nec lac, nec aliud præter carnes. Etiam non raro accidit, ut Princeps, qui ſæpiùs conjurationibus & inſidiis appetitur, ex bono malus fiat. Conjurationes enim timorem incutiunt. qui timet ſecuritati ſuæ proſpicere cogitur, quod ſine multorũ exiliis & cædibus fieri nequit Cædes deinde & proſcriptiones popularium odia cõcitant: ex odio Principis exitium ſequitur. Et hæ quidem cauſæ in ipſo Principe ſunt. Eſt alia in nobis ipſis. Temerè enim initiò, & de malis aut ambiguis benè vana credulitate, & inſita pleriſque hominum levitate ſperamus. Nec igitur mirum eſt falli nos & decipi.

Sanè

Sanè hiſtoriæ Florentinæ ſcriptor ſapienter monet, Principi non eſſe optabilem nimiam de ſe expectationem: cui ſi non ubique reſpondeat, in contemptum & mox odium degenerare inconſultum iſtum affectum. Denique ex perpetuâ geſtorum infelicitate & fortunæ contumaci adverſitate tædium ſæpè omnium rerum & faſtidium oritur. Tunc fortunæ & ſubjectis, quamvis immeritis, ſuccenſet Princeps, & dat vela ventis, privatim oblectamenta quærit in conviviis, ludis, mulierculis, morionibus: publicum decus omne aſpernatur.

FINIS.

Gratias tibi, Domine IESV!

ORATIO,

Quâ Sereniſſimo Venetiarum

PRINCIPI,

IOANNI CORNELIO,

Nomine Nationis Germanicæ,

quæ Patavii ſtudiis operatur,

Novum honorem gratulatus eſt IV.

Idus Iul. cIↃ IↃ c xxv. *Venetiis*

in Excellentiſſimo Collegio

CHRISTOPHORUS FORSTNERVS
AVSTRIVS.

Illuſtriſſimo, Excellentiſſimo

DOMINO,

D. DOMINICO MOLINO, &c.

Chriſtophorus Forſtnerus Auſtrius S. P. D.

ORATIONEM, *quam apud* SERENISSIMUM VENETIARUM PRINCIPEM *in Excellentiſſimo Collegio pro natione noſtra habui, ad te mitto: non ut cedat in partem ſolutionis ejus debiti, quo tibi maximo obſtrictus ſum: ſed ut ſit grati animi velut chirographum, & infinitæ obligationis qualecunque pignus. Et cùm tot extent tua non in me modò, ſed in quamplurimos* Germanorum, *beneficia, tot merita; inde ſe omnes correos debendi tibi meritò, lubenteſque mecum conſtituent. Sanè ego ſuavi conjecturâ mihi, meæque genti blanditus ſæpè ſum, te naturæ quadam ſimilitudine, & ſanguinis cognatione in noſtri amorem, & favorem ferri. Docuit enim*

enim nos, (nec vana fides eſt) Laurentius Pignorius V.Cl. in Notitiis *hiſtoricis ad Solymeida* Torquati *Taſſi, nobiliſſimam* Molinorum Familiam *à fortiſſima Normannorum gente, quæ origine Germanica Neuſtriæ, Britanniæ, Apuliæ, olim dominata eſt, deſcendere. Vt inde omnes te meritò, tanquam domeſticum numen, & popularem Heroa veneremur. ego præcipuè: qui beneficentiam tuam plus aliis ſenſi.* Certè *meæ ad* Cornelium *Tacitum (ad cujus majeſtatem, ac ſeveritatem non niſi animus illuſtres, ac eximias aſſurgere Heinſius tuus ait) Notæ politicæ te ſuum ſecundũ parentem profitentur: ut ſi quid inde ad Rempublicam, aut rem literariam boni perventùrum eſt; ejus gratiam non minùs tibi, quam mihi poſteritas rependere debeat. Quantum enim aberat, quin fœtus ille in ipſo partu periret? niſi tu difficultates ſubortas diſcuſſiſſes.* Ignoſces *igitur,* Illustrissime, & Excellentissime Domine, *magne Patrone, quòd pro tam magno beneficio rem tam parvam tibi* red-

reddo: quam tamen, ut dixi, non in ſolutum cedere, ſed ingentis obligationis qualequale teſtimonium eſſe cupio. Vale, ILLUSTRISSIME DOMINE, & *Reipub. nobisque diu vive.*

Patavii Cal. Septembr. cIↄ. Iↄc. XXVI.

CHRI-

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII ORATIO GRATVLATORIA

Ad Sereniſſimum

JOHANNEM CORNELIUM VENETIARUM PRRINCIPEM.

SERENISSIME PRINCEPS, AVGVSTISSIMI PATRES.

MIRAMINI, haud dubium eſt, Nationem noſtram in publico omnium gaudio, & reliquarum gentium applauſu tacitam hucuſque, & nullâ ob publicum bonum, quod orbi Chriſtiano ex novo SERENISSIMI JOANNIS CORNELII honore contigerat, lætitiæ ſignificatione egiſſe. Nam qui majoribus, quàm alii, beneficiis devincti vobis eramus; quibus ſolis ex duabus & viginti, qui Univerſitatem Patavinam componunt, Nationibus

onibus ſcjunctim coram vobis orare ſingulari veſtro favore conceſſum eſt: primi utique officio defungi, lætitiamque collegii noſtri conteſtari debebamus. Sed ignoſces, SERENISSIME PRINCEPS, quod ad tuarum virtutum ſplendorem caligantes animorum noſtrorum oculi, in illarum contemplatione defixi ſtupuerunt: nec ab illo ſtupore tam citò ſe colligere poterant. Præterea cum anni tempus itineribus faciendis commodum, & innata genti noſtræ peregrinandi, variosque populorum mores, ritus, artes cognoſcendi lubido quoſdam Romam, alios aliò abduxiſſent: noluimus tibi, SERENISSIME PRINCEPS, honorem habere pauci, qvem debebamus univerſi. Nunc autem, cum Italici cœli ardores, & ſua qvemqve peracta negotia Patavium (cujus civitatis aërem nobis ſalubriorem, ac vicinitate Germaniæ penè cognatum putamus) compuliſſent: nefas duximus, ultra gratulationis officio ſuperſedere. Non

Non expectabis, SERENISSIME PRINCEPS, à nobis virtutum tuarum, laudumque præconia. Nam quamvis eæ tales tantæqve ſint, quæ te mortali conditioni exemptum etiam in vivis agentem nová apotheoſi in Divos tranſcribere poſſint: tamen nec hujus loci, nec temporis, nec inſtituti nunc noſtri eſt, panegyricum dicere: & mea in dicendo mediocritas, ne dicam infantia humilioribus argumētis aſſuevit. Quāquam etiam, ſi liceret, reprehenſione quadam mihi dignus videreris: quod durum mortalitati impoſuiſti onus: quam poſſe ad tantam perfectionem pervenire, tuo exemplo docuiſti; ad ſuperos uſque virtutis conſortio evectus, ut nemo poſthac humanæ naturæ imbecillitate errores ſuos tueri poſſit. Sed impræſentiarum nec laudare digna oratione virtutes tuas potero: nec Turpillianum timebo, ſi ab earum accuſatione deſtitero. Unum ſi dixero, te auguſtiſſimi hujus SENATUS Principem

eſſe:omnia dixero. Hæc laudum tuarum ſumma eſt, hoc faſtigium, hæc certiſſima virtutum tuarum fides. Mirantur alii urbem veſtram felici miſerorum fugâ in hanc, quam videmus magnitudinem creviſſe: mirantur ſplẽdidiſſimas domos marmoraque & aurum, & tecta operoſis minis pendentia: mirantur forum ingentibus ſpaciis apertum, ædeſq; publicas, & armorum, naviumq; perpetuam fabricam: deniq; in ſtuporem rapiuntur, cum terras velut æquoris victrices ligneis fundamentis in hanc audaciam ſuccreviſſe vident, vixque oculis ſuis credunt. Quæ quanquam per ſe mirabilia ſint: unum tamen eſt portento proximum, quòd veſtra Reſp. per tot mala, & cæteri orbis ſervitutem, ſoſpes, atq; ingentibus inimicitiis ſuperſtes, in hunc uſque diem non memorabilior eſt imperio, quàm libertate. Roma quingentos annos libera vixit. Sparta octingentorum annorum libertate gloriatur. Venetiarum urbs raro,

ro, imò nullo exemplo ſupra mille ducentos annos vitam cum libertate produxit. Quod igitur vobis non allapſa ſunt ea mala, quæ alias Reſpublicas perdiderunt; quod ab externis hoſtibus tutos nulla tyrannis delibavit; quod nec Syllas, nec Marios, aut Pompeji magnitudinem & ad veſtrum fatum gentem Juliam inveniſtis: id omne, poſt Deum immortalem, in ſolidum prudentiæ hujus auguſtiſſimi ordinis acceptum ferẽdum eſt. Roma armorum inſano amore incenſa omnium actionum ſuarum finem gloriam belli habebat & imperii amplitudinem. Quo ſanè inſtituto factum eſt, ut non modò aliorum in ſe cohortos impetus ſuſtineret, ſed & ipſa alios laceſſeret; certiſſimo ſemper cum imperii incremento. Inde poſt perpetrata circummurana bella, poſt repreſſam igneam Pyrrhi regis vim, poſt ſuperatum deniqve Pœnum Hannibalem, alioſque Reges, ac populos; cum imortali gloria gentes multitudine innume-

rabiles, locis infinitas, imperio ſuo ſubjecit. Verum inter illam portentorum felicitatem, inter tot victorias & trophæa, quæ ubique, quo rerum natura diffunditur, figebant Romani cùm gentibus jugum imponeretur, cùm Reges triumpharentur, interim domi peribat Reipub. libertas. Nec enim ut juſti, temperantes, modeſti eſſent cives, ut cum armis ferociam ponerent, ut deniqve quietè in civitate agerent, multum curabatur. Quo fiebat, ut ex continuis bellis majora, quàm quæ libertas ferret, ingenia, præferoces ac turbarum cupidæ naturæ, nimiæ privatorum opes, & unius civitatis partes factioneſq; enaſcerentur: in curia in foro cædes, civilium bellorum tentamenta. mox arma à civibus ſumpta non pro libertate; ſed pro Sylla, pro Mario, pro Pompejo, pro Cæſare, nec unquam poſtea, niſi de dominatione certatum: quam poſtremò C. Cæſar everſa libertate invaſit.

Veſtra autem, SERENISSIME PRINCEPS,

ceps, Sapientiſſimi Patres, majeſtas non ſolum armis decorata, ſed etiam legibus eſt armata: nec major belli, quàm pacis cura. Bella quidem etiam geſſiſtis maxima; hoſtes viciſtis potentiſſimos: fines imperii terra mariq; extendiſtis quàm latiſſimè. Sed hoc vobis cum Romana potentia commune eſt, illud proprium, quod civitatem habetis ſaluberrimis legibus & prudentiſſimis inſtitutis ita munitam, ut non tutior ab externa vi, quàm privatorum ambitione exiſtat. Nulli vobis Periandri, nulli Cæſares timendi ſunt. Ingens in omnibus, & penè incredibilis patriæ amor; ferventiſſimum libertatis ſtudium; in Senatu tam numeroſo mirabile, & ſimillimum oblivioni ſilentium; rigidiſſima legum cuſtodia & ſubita eorum, quæ contra vetera inſtituta irrepunt, emendatio. Hac cura, hac induſtriâ, hoc indefeſſo, & ardenti ſtudio mortalitatem effugiſtis: & Remp. qualis cum optima fuit, talem hodieq; cum

immortali prudentiæ veſtræ laude, & orbis ſtupore habetis.

Hujus igitur EXCELLENTISSIMI SENATUS, cujus ſapientiâ Reipub. hujus ſtat ſalus, cujus prudentiâ Italiæ quies, & tranquillitas conſervarur, te caput eſſe, SERENISSIME PRINCEPS, id verò egregium eſt, ſummumque, quod in tuam laudem dici poſſit. Nam ut ea ſumma in Rep. dignitas eſt: ita tam honorificum de te Sapientiſſimi Senatus judicium, tam magnifica opinio amplissimum ſunt divinarum tuarum virtutum teſtimonium. Quas quidem, cæteraque, quæ in te egregia ſunt, ſatiùs duco mirari adorareque, quàm jejunâ & impari laudatione libare. Nam FAMILIÆ TUÆ vetuſtiſſimam nobilitatem, majorumque tuorum pro Repub. domi foriſque fortiter, benèque geſta, quomodo dicendo adæquem? Si vel minimam eorum partem percenſere velim:

Ante diem clauſo componat veſper o-

lym-

lympo. Id ſolum quantum eſt quòd CATHARINA CORNELIA JACOBO LUSINIANO CYPRI REGI nupta, florentiſſimum olim regnum illud, quod ex mariti teſtamento habebat, Venetæ Reip. donavit. Sunt quibus nihil ſatis antiqvum ſatiſqve egregium eſt, niſi quod à proditoribus, & erronibus Trojanis per incertiſſimas conjecturas repetatur. Tua gẽs, SERENISSIME PRINCEPS, nulla ambitione, certa annalium fide nixa, à Nobiliſſima CORNELIORUM Romanorum ſtirpe deſcendiſſe ſe gloriatur. Porrò, ut ab eo, quod viro Principi primum, ac pręcipuũ eſſe debet, incipiam, quis tuam in Deum pietatem, religioniſq; ſtudium pro dignitate laudare valeat? Pleriq; rerum domini religionem nihil aliud putant, quàm regnandi inſtrumentum quod bellis, & cupiditatibus ſuis prætexant, quo gentes laudant, quo populorum diviſiones alant, foveantque. Alia tibi mens eſt, SERENISSIME PRINCEPS:

cui amorem timoremque Dei optimam, eandemque ſecuriſſimam (quicquid alii Mezentii judicent) regendi populos artem perſuaſum eſt. Inde tua in cultib. divinis aſſiduitas; inde in miſeros, & egenos pronus favor, & liberalitas, & penè profuſio. Jam verò juſtitiam tuam, temperantiam, & in ſumma fortuna eximiam moderationem, humanitatem, cæterasque egregias tuas dotes, quantò in aliis Principibus rariores, tantò magis tibi decoras, qui ſatis prædicem? quibus verbis, qua orationis vi ſatis exprimam? Loquantur pro me tot honores (vera in veſtra Rep. meritorum argumenta.) tot dignitates certatim in te collatæ. Nam poſt primos honores obitos ſummos quoſque magiſtratus ordine geſſiſti: Patavio, Veronæ, Brixiæ, præcipuis imperii veſtri urbibus, inſigni cum integritatis & prudentiæ laude, ſummo cum imperio præfuiſti: cumque, quod ad nos quam maximè pertinet, quodque

nos

nos tibi æterna beneficii recordatione devinciat, Patavinæ Univerſitatis Reformator eſſes, ſingulari ſemper Nationem noſtram favore proſecutus es. Poſtremò, cùm in hoc, quo nunc emines, ſolio collocatus eſſes: quàm faventes omnes habuiſti? quis plauſus erat? quanta omnium lætitia? quæ gaudentium, gratantiumque exultatio, & penè dixerim, intemperies. Nos quoque, quanto tumultuantem gaudio animum utcumque compoſuimus, nunc adſumus, noſtro defuncturi officio, noſtrumque conteſtaturi adfectum. Tibi igitur, SERENISSIME PRINCEPS, ſummum hunc honorem, Sereniſſimæ autem Reipub. talem ac tantum Principem ex animo gratulamur: Deumque veneramur; ut ſancta hæc Reſp. virtutis templum, ſchola prudentiæ, inoffenſæ hactenus libertatis oculatiſſimus Argus, & contra peregrinam ambitionem validiſſimum propugnaculum, veræ denique dignitatis, & opulentiæ a-

lumma ſub JOANNE CORNELIO vigeat, floreatque quàm feliciſſimè quàm diutiſſimè. Gloriam ejus, fortitudinem ſuſpiciant timeantque Chriſtiani nominis hoſtes, ipſa eam Salus ferat: præveniatq; vota felicitas, ſi quid optaverit. Tbi denique; SERENISSIME PRINCEPS, ſeculi gemma, longævam vitam, ſeramque immortalitatem precamur. De qua ne dubites, obſecro. Virtutes tuas orbis nunc loquitur: famam olim præſtabit æternam hiſtoriæ genius.

Dixi.

F I N I S.

CHRISTOPHORI
FORSTNERI
AUSTRII,
OMISSORVM IN NOTIS
AD TACITVM,
Liber ſingularis.

Illuſtriſſimo Domino

D. PETRO HENRICO à STRALENDORF L. B. PRO CANCELLARIO IMPERII ROMANI,

Chriſtophorus Forſtner. Auſtrius S.

Illuſtriſſime Domine. Magnam rem auſus ſum hoc libello. De Principum, quos hæc aut ſuperior ætas tulit, conſiliis & actionibus prudentiâ vel errore aliquo inſignibus judicium mihi ipſe ſumpſi. Ea licentia excuſare ſe tibi non poteſt niſi ingenuitate & modeſtiâ ſuâ. Nemini infenſa eſt, vel obnoxia: nec aut petulanter exultat, aut rurſum fœdâ adulatione ſe demittit. Innoxia libertas eſt, & fortaſſe, plus quàm in cenſurâ decet, verecunda. Hujus mei judicii, ego te, Domine, Iudicem facio, cui præter mortalitatis legem hactenus ſoli contigit NUNQUAM ERRASSE. Ratiſpon. Prid. Cal. Septemb. M. DC. XXX.

CHRI-

CHRISTOPHORI FORSTNERI AUSTRII,

Omiſſorum liber.

Ad librum I. Annalium.

§. *QVantò quis ſervitio promptior: opibus & honoribus extollebantur.*] Intempeſtiva libertas plerumque eſurit. Obſequium dominantibus magis probatnr. Pertinet huc Henrici III. Galliæ Regis conſilium, qui cum ſe bello contra Proteſtantes nihil proficere cerneret,dolcretquc; pace, otio, Regni fœlicitate debellandos cenſuit. Nimirum in illo ſereno omnia à Regis benignitatc pendere: nullas ex turbis ſpes eſſe aut præmia: quantò quis Regi obtemperantior, opibus & honoribus extollendum.Igitur, non tam odio eos,quam contemptu proſequutus eſt, honorum aditu,&ſpe regiorum munerum omninò præcluſa.Procerum filios in

in aulam miſſos ab interiori amicitia gratiaque ſeponebat: ſubornato interim Eſpernonio, qui religionis cauſa id fieri per amicitiæ ſpeciem in arcano moneret. In urbibus, his, qui Magiſtratum gerebant, ſi Proteſtantes eſſent, negotium moleſtis litibus faceſſebatur; quarum cognitionem ipſe Rex ſibi ſumebat, ferebatque contra hos tales ſententiã. Interceſſit his conſiliis Henrici Guiſii ambitio: qui cum pace nullum ſui in regno uſum fore metueret, Regem invitum in bellum traxit.

§. *Eadem magiſtratuum vocabula.*] Quomodo hoc eod. libro Tacitus de Tiberio: *Cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere Repub.* Iterum: *Interceſſit Valerius Agrippa: increpituſq́ eſt Galli Aſinii oratione: ſilente Tiberio, qui ea ſimulacra libertatis Senatui præbebat.* Et lib. 3. Annalium: *Tiberius vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis ſenatus præbebat, poſtulata provinciarum ad diſquiſitionem Patrum mittendo.* IV.

An-

Annal. *ſua Conſulib. ſua Prætoribus ſpecies.* Eod. lib. *multa adſeveratione, quaſi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro* Con-*ſul, aut illud* Reſp. *eſſet, coguntur Patres.* XIII. Annal. *manebat nihilominus imago quædam Reipublicæ.* Cætera in Notis dixi.

§. *Trucem Agrippam, & ignominia accenſum.*] Aſpera plerumque & immitia illorum regnandi initia ſunt, qui, dum privati eſſent, injuriis exacerbati, earum ſenſum in ſolium inferunt. Benè, & in ſpem boni principatus appoſitè Nero diſſeruit, *Iuventutem ſuam armis civilibus, aut diſcordiis domeſticis minimè imbutam, nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis afferre* (*Tacit. XIII. Annal.*)

Præterea hîc monendi ſumus, eos exercituum duces, qui rebelles civium ſpiritus contuderunt, imprudenter domitis provinciis Præfectos imponi, Nam truces fore, & belli contumaciâ accēſos credere par eſt. Cujus rei lugubre

bre exemplum ſunt Belgium & Ferdinandus Albanus. Conſultius igitur, novos mittere Præſides, qui *ſine hoſtili ira, & ſuperbiâ victoris clementer deditis conſulant.*(*Tacitus XIV. Annal.*)

§. *Legiones, Provincias, claſſes, cuncta inter ſe connexa.*] Quamdiu libera urbs egit, atque à Senatu populoque Duces legebantur: fuëre ſemper in armis Italiæ populi, quibus terræ ſibi mariſque imperium pepererunt. Poſteà verò, quàm Cæſar Auguſtus bellis civilibus confectis rerum potitus eſt, omnia Italicis arma ademit: militumque multas legiones deſcripſit, easque certis auctoramentis habuit ſtipendiarias; quæ Romanum à barbaris nationibus tuerentur imperium. Tum fluviorum magnitudine atque foſſarum, montibuſq; aſperrimis, deſertiſque locis atque imperviis circumſeptos Imperii limites communivit. (*Herodianus lib. 2.*) Legionum claſſiumque numerum recenſet, lib. IV. Annal. Tacitus. Auguſti conſi-

lio

lio inſtitit Theodoricus Oſtrogothorum & Italiæ Rex, qui exarmatis Italis, & Caſtello Verrucâ ad Atheſim munito, apud Auguſtam Prætoriam Herulos collocavit. (*Orlandus Malavol. in hiſtor. Senen. Hieronymus Rub. in Hiſtor. Ravenn.*) Sultani Ægyptii non aliam, quam Mamaluchorum militiam habebant. Ii autem omnes, ut Leo Africanus, & ex eo Petrus Bizarus ſcribunt, Chriſtiani pueri erant, Sultanis venditi: qui adjuratâ patria religione Saracenicis moribus, inſtitutis, armis erudiebantur. Turcæ denique Spahorum equitum, & Ianizarorum peditum fide & fortitudine, quam pepererunt, imperii molem conſervant. Cæteri, ut Renatus Luſinga tradit, non armis, non equis, ac ne cultris quidem, qui mucrones habeant, uti poſſunt. Ex quibus conſtat, libertati propius eſſe, & Reipub. magis proprium, omnes in univerſum cives, & ſine diſtinctione armatos atque bellicæ rei peritos habere: quales

Ro-

Romani fuerunt. Regiæ verò dominationi ſecurius eſt, præterquam illis, qui pace belloque perpetua ſtipendia faciunt, armorum uſum omnibus interdicere. Quod Auguſtum, Theodoricum Regem, Sultanos Ægyptios & Turcarum imperatores factitare ſolitos dixi. Sed quæ ab armorum immodico ſtudio (ſive penes univerſum populum illud fit, ſive principum arte inter paucos retineatur.) mala, quæ item inde bona timenda ſperandaque ſint, dixi ad lib. IV. Annal. (*plerumque inopes & vagi &c.*

§. *Inter ſe connexa.*] Maximorum Imperiorum incommodam molem eſſe, ad lib. IV. Annal. (*verb. Princeps proferendi imperii incurioſus*) pluribus aſſerui. Sed hoc maximè locum habet, ſi disjunctæ ſint inter ſe locis, moribus, ingeniis ſubjectæ provinciæ: ſi noſtris ditionibus interjecti hoſtes aut æmuli. Quâ ratione Perſicum regnum debile Xenophon, & noſtri Politici Galliæ

re-

regnum, ut benè compactum corpus Hiſpaniæ viribus & potentiâ minimè cedere dicunt. Romani ad vaſtiſſimi Imperii conſervationem limitem legionibus, Caſtella præſidiis muniebant: Colonias, ad imbuendas legum officiis devictas gentes deducebant. Etiam *receptum erat, ut haberent inſtrumenta ſervitutis, & Reges* (*Tacitus in Agric. de hoc arcano dixi ad lib. 6. verba: ut genus Arſacis &c.*) quibus integra regna, florentiſſimaſque gentes regendas dabant. Idem amicitiæ vinculum cum populis quibuſdam ipſis intercedebat: quos fœderatos, ut Reges amicos appellant. Tales memorantur Maſiniſſa, Juba, Attalus, Eumenes, Pruſias, Cogidunus, *Antiochus inſervientium Regum ditiſſimus* (*Tac. II. Annal.*) Maſſilienſes, Hedui, aliique Hiſpaniarum Rex patrocinio Genuenſium, & affinitate cum Allobrogum Principe contractâ regnorum ſuorum diffuſam magnitudinem connectere tentavit: quod an aſſe-

aſſecutus ſit, aliorum judicio relinquo. Sanè non ſemel infida Allobrogis amicitia apparuit: & Genuenſes aurum magis Hiſpanicum, quàm Hiſpanorum Imperium amare videntur. Quod autem Joh. Boterus Hiſpanum maris dominum validâ claſſe cũctis regnis provinciiſque præſtò eſſe poſſe, & ideò nec disjunctas eas aſſerit; id me non capere fateor. Quid enim? quomodo in utraſque Indias, aperto ultimi, & quod ſine terris putabatur, maris ſecreto Batavi & Angli penetrare potuerunt? Cur tot ex Indiis redeuntes Hiſpanicæ naves ab iiſdem interceptæ? Quomodo ante non ita multos annos Gades ipſæ vi expugnari, & trucidatis præſidiariis incendi potuerunt? Sanè aut inſignem Senatus Hiſpanici væcordiam eſſe oportet, aut vires ſibi deeſſe fateantur neceſſe eſt, qui hoſtem toto mari vagantem non coërcent.

§. *Proſcriptionem civium, diviſiones agrorum.* Quod hic ſcripſi, vi parta Imperia

peria non niſi per vim ſervari: & *periculum & miſericordia*: illuſtratur Vellei Paterculi his verbis: *Laudandum experientia conſilium eſt Panſæ atque Hirtii, qui ſemper prædixerant Cæſari, ut principatum armis quæſitum armis teneret. Ille dictitans, mori ſe quam timeri malle, dum clementiam, quam præſtiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus eſt. (III. hiſtor.)*

§. P*ompejum imagine pacis.*] Perſto firmus in eo, quod hic ſcripſi, plus Hiſpaniæ Regem contra fœderatos Batavos duodecennalibus induciis, quam quadraginta annorum bellis profeciſſe. Nam inde diſcordiæ, negligentiæ, ac incuriæ aperta feneſtra, & per eas majori vi, quàm per ruinas urbium & machinarum bellicarum violentiam labefactata eſt res Belgica. Præſagi malorum fuerunt jam olim Batavi, cum Anno à Chriſto nato cIↃ IↃ XCII. numos cuderent, cum inſcriptione: *Tuta ſalus bello.* Et: P*ax patet inſidiis.*

Eod.

Eod. loco dixi, Turcas veteranum ſemper militem, noſtros novum inexpertumque in aciem educere. Huic incommodo ut mederetur Rodolphus Imperator, ſuperioribus annis Ratisbonæ in comitiis in continuũ quinquennium militem ab Imperii ordinibus petiit: addito, Matthiam Corvinum Regem parvâ quidem, ſed lectiſſimâ & ſub ſignis aſſiduâ fortiſſimorum militum manu, quæ ab armorum colore Nigra vocabatur, ſæpè ingentes Turcarum exercitus fudiſſe.

§. *Poſt Antonium Tarentino Brudunſinoque fœdere.*] Clemens VIII. Pontifex Henrico IV. Galliæ Regi fœdus cum Eliſabetha Angliæ Regina, alleganti reſpondit: Principes ſibi omnia permittere, quæ ſibi utilia putãt: & eò rem deveniſſe: ut ob fœdus neglectum nemo reprehendatur. Laudabat quoq; Franciſci Mariæ Urbini Ducis dictum, privatum quidem ob non ſervatum jusjurandum meritò culpari. Principibus autem

autem regni ſervandi cauſa licere contrahere, nec contractum implere, inire fœdera, eaque negligere, mentiri, prodere, & quæ his ſimilia ſunt. Quod Oſſatus Cardinalis in epiſtolis ſcriptũ reliquit. Henricus IV. Galliæ Rex, cum in eo eſſet, ut pacem cum Hiſpanis faceret, Anglis fidem repoſcentibus reſpondit: Reges non aliter inter ſe pacẽ & fœdera facere, quàm cum hac tacita cõditione, ut quod rebus ſuis utile eſt, ſemper amplectantur: quod perniciosũ eſt, cautè devitent. Itaq; à ſe exigi non debere: ut bellum periculoſi eventus cum Hiſpanis, quàm cum iiſdem pacem rebus ſuis ſalutarem habere malit. Vide quæſo, ut omnibus in oro fides eſt: quam tamen rebus ſuis damnoſam nemo ſervare velit! Omnes Machiavellicam perfidiam ore deteſtantur; conſiliis & actionibus ſuis exprimunt.

§. *Cum proferri libellum, recitarique juſſit.*] Cæteris, quos recitavi, principibus qui breviariũ Imperii ſibi confecerunt,

runt, adde Guilielmum primum ex Normannis Angliæ regem, qui quicquid Gentium ſuo pareret imperio, cunctas ſimul urbes, oppida, vicos, pagos, Epiſcopatus, cœnobia, quantum quiſque terræ poſſideret, quantum quotannis vectigalium acciperet, milites quoque, qui ſtipendia facerent, ac ſingula juga boum paſſim omnibus locis recenſeri, inque tabulas referri juſſit. (*Polydor. Virg IX. hiſt. Angl.*) Quod dixi, ex præteritâ regnorum conditione de hodierno ſtatu judicari non debere, exemplis demonſtrandum eſt. Itali Pariſiorum urbem octingenties mille hominibus habitatam credunt. (*Franciſc. Bocch. de magn. Rom.*) & tamen an. poſt Chriſtũ natũ cIↃ Ic LXXX. peſte graſſante adeò deſolata erat, ut plebs per vicos aliàs frequentiſſimos trocho luderet. (*Thuan.*) Genuenſes aliquando ſexcentarum viginti ſeptem navium claſſem in mare deducebant. (*P. Bizar.*) Ex urbe Patavina olim in ho-

hoſtem educta centum viginti millia (*Iac. Cavac.*) Quæ utique preſenti conditioni minimè reſpondent.

§. *Pollioniſque Aſinii patris ferociam retineret*] Non muto, quod integras familias rebellione infames in hiſtoria notavi. In Anglia tamen non tam ad infamiam, quam generis claritudinem pertinet, majores habuiſſe magnarum conjurationum duces aut conſcios. Et eorum, qui majeſtatis crimine damnati ac ſupplicio affecti ſunt, liberis ad honores aditus minimè præcluſus eſt. Quàm prudenter, non dico.

§. *Tum primum è Campo ad Patres translata comitia.*] De hoc regiæ dominationis munimento dixi ad lib. VI. (*verb. plebem primoribus tradidit.*

§. *Intermiſerat munia ſolita.*] Non in militia modo & caſtris ſalutaris cautio eſt, labore ſubigere militem: ſed in univerſum inter ſingulares publicæ tranquillitatis tuendæ modos & hîc traditur, expeditionibus bellicis occupatos

tenere ſubjectos populos, ne in alia facinora ocioſus ardor erumpat. Ita Romani quanquam Faliſcorum obſidionem rem longi temporis & immenſi laboris eſſe haud ignorabant: tamen ne domi reſides tribunitiis concionibus ad res novas impellerentur, quibus nulla ex honeſto ſpes, & omne in turbido conſiliũ: implicari quamvis difficili bello populum ſatius duxerunt. Et hoc remedio plerumqve utebantur, ad motus turbulentos ex civitate ejiciẽdos ut Plutarchus ſcribit in Camillo. Dionyſius Syracuſarum Tyrannus, grave otiũ regno ſuo ratus, copias in Italiam trajecit (*Iuſt. XX.*) Et Demetrius occupato Syriæ regno novitati ſuæ otium periculoſum ratus, ampliare fines regni & opes augere finitimorum bellis ſtatuit. (*Iuſt. XXXV.*) Porrò Dionyſius Halycarnaſſæus VIII. Antiq. prò regula tradit, prudentes Reip. gubernatores ſemper alere bellorum ſemina: quippe ſatius eſſe foris confli ctari, quã domi. Qui in cauſas

ſas accuratiùs inquirunt, cur Hiſpania hodiè nullis bellorum civiliũ fluctibus agitetur: cum ex cõtrario Gallia ab iiſdem ferè nunquam interquieſcat, inter alias eam quoq; meo judicio mirè probam adducunt: quod Hiſpania perpetuò bellis externis inſudet: cum Gallia ferè ſolis civilibus armis robur ſuũ viresque impendat. Nec regnum Hiſpanienſe ab inteſtinis tantum diſcordiis trãquillum hæc cauſa præſtat, ſed & ab externâ vi tutum reddit. Nullibi non Hiſpana arma ſunt: omnibus bellis immixti Hiſpani ſunt: omnia tentant, omnia movent Hiſpani. In Italia, Gallia, Germania, ubiq; poſtremò Hiſpani ſummæ rei arbitrium ſibi ſumunt, nullibi quàm domi ſuæ imbecilliores. Ita dum omnes occupatos tenent, dum bello alios exercent, dum diſſidiorum ſemina aut ipſi ſerunt, aut callidè fovent: procul externa arma ab Hiſpania tenent, & ſecuri ex litore alienum naufragium contemplantur: Duos tamen hic ſco-

pulos offendo. Nam qui hoc pacto à ſubjectis ſibi ſecuritatem procurant, dum externos temerè laceſſunt, ruinam ſibi ſæpè accerſunt. Injuria enim vindictam provocat. Ita ſæpè fit, ut qui alieno inhiant, ſua perdant. Hæc enim bellorum ſpargendorum ſolertia non minutorum dominorum, ſed potentium principum eſt, qui uno loco acceptam cladem è veſtigio reſarcire poſſunt. Cęteri aliis artibus inſiſtunto. Deniqve meminerit, qui hæc leget, internæ pacis conſervandæ hunc eſſe, non amplificandi regni modum. Sæpè enim accidere ſolet, ut qui pluribus manum injicit, nihil apprehendat. Alter ſcopulus, quem hic ſigno, eſt: ſemper nimium armorum ſtudium perpetuitati regnorum & Rempub. adverſum fuiſſe: quâ de re quam ampliſſimè dixi ad lib. IV.

§. *Ferrum parabant: ni miles Nonanus, preces & adverſus aſpernantes minas interjeciſſet.*] Non erit alienum hoc loco quærere, an Princeps civium ſuorum in ſe

ſe mutuò ſævientium alteri parti, cujus æquior cauſa videbitur, ſe jungere, an ſpectator potiùs alieni furoris eſſe debeat? Sanè, ubi ſperari poteſt, Principem interventu ſuo alteram partem perterrefacere, & hoc modo ad officium cogere poſſe: quin conſilio & adverſum aſpernantes minis, deniqve vi civili bello finem imponere debeat, dubitandum non eſt. Quomodo Ferdinandum Gonzagam Germanorum & Hiſpanorum militum jamjam in mutuam cladem eruptura diſſidia, minitando, iis ſe cum Italis acceſſurum, qui pacem reſpuerent, compoſuiſſe Julianus Goſelinus tradit. Sed ubi dubius exitus eſſe poteſt, & longo bello materia: nemini uni adeò indulgere Princeps debet, ut ipſe in partes & factionum odia deſcendat. Nam *& indecorum eſt attrectare, quod forſitan non obtineatur*, & utrique parti coli, nec ſuſpectum haberi, quàm alteram ſibi hoſtem facere præſtat. Quò pertinet, quòd Leonem

 X. Pon-

X.Pontificem imprudenter egiſſe nonnulli differunt, cùm damnata Lutheri cauſa, quæ initiò Pontificis majeſtatem in dubium non revocabat, Sylveſtro Pricrati & ſociis acceſſit. Quin imò ſatiùs fuiſſe, libertatem calami, quem utique utrinque Pontificis cenſuræ ſubjiciebant, in Monachis ferre, ſibiq; ſemper integrum ſervare judicium, quàm prçcipiti damnatione alterius exaſperare ingenium. Et hęc diſtinctio ſervanda erit, quotieſcunqve altera diſſidentium partium Majeſtatem principis manifeſtè non oppugnat. Nam ſi id fiat, omninò alteri factioni Princeps nomine, auctoritate, vi ſuâ robur addere debet. Quâ in re Henricum III. Franciæ Regem graviter erraſſe cenſent, qui cum Guiſianam factionem ſibi & regno perniciem machinari non ignoraret neutri tamen favere, quàm Henrici Navarræi partibus accedere maluit. Sed quia hac de re dicere occepimus: porrò explicemus, an duobus inter ſe principibus

bus bella gerentibus, qvi uni horum vel utriq; vicinus eſt, medium ſe gerere, aut accedere alteri debeat? Sed profectò ad hanc qvæſtionē vix poteſt ſimpliciter, & ſine multâ cautione reſponderi. Illud certum eſt, magnum & ſuæ potentiæ vi nixum, principem utrumq; tutò facere: Nam ſi uni ſuas vires jungat; prona erit victoria, & certus victoriæ fructus. Ex diverſo, qui nimia virium imbecillitate alienæ injuriæ exponũtur, ſive alterius partis amicitiam, ſive neutrius profiteantur: vix unqvam impedient, qvin prędavictoris & ludus eſſe cogantur. Nam priori caſu, ſi belli fortuna tibi & fœderato contrà dederit, uterqve tantum habebitis, qvantum victoris libidini placuerit: ſin viceritis; ad leoninæ ſocietatis legem victoriæ commodum ſocio, tibi labores, ſangvis impenſæ cedent. Poſteriori caſu utramq; partem. etſi non verbis, re tamen hoſtē ſenties. Tranſitum militibus & commeatum concedere, inſolentiam & avaritiāDu-
 cum,

cum,licentiam militum perferre neceſſe habebis. Nec hujus patientiæ ullum eſt precium.Nam quæ uni imputas, eadem illius hoſti conceſſa gratiam omnem corrumpunt.Poſtremò,qui vincet, ideò te pro hoſte habebit, quia amicus non fueris.

§. *Triſtiſſima quæque maximè occultantem.*]Dixi ſupra(*hoc lib.verb.Latique interdum nuntii*) velociſſimè plerumq; de principum morte famam diffundi: ideoque exceſſum eorum ſupprimendum:donec proviſis, quæ in rem ſunt, de certo ſucceſſore tranſactum ſit.Sed & cæterorum quoq; negotiorum publicorum,cladium,victoriarum caſus fama portentoſâ celeritate procul diſſitis locis ſæpè nuntiaſſe memoratur: quod non niſi Spirituum Geniorumque per aërios tramites incredibili pernicitate volantium,miniſterio fieri potuit. Plura ex veteri hiſtoria exempla prudens prætereo.Ex recentiori, clariſſima duo recenſebo.Florentinis,grave bellum erat

rat cum Gregorio XI. Papa: quod non niſi poſt triennium Pontificis ipſius morte finiri potuit. Anno poſt mundi Redemporẽ natũ M.CCC.LXXVIII. Serezanam Papa, Florentinorum Procuratores, aliorumque Italiæ principum, oratores, pacis conficiendæ cauſa convenerant. Cumque Florentiæ ſummum in omnibus & impatiens deſiderium pacis eſſet, & quicunque per portam, quâ Serezanâ venitur, ingrediebantur, anxiâ curâ de negotii ſucceſſu per plures dies interrogarentur: tandem VI. Kal. April. circa ſecundam noctis horam immanibus pulſibus porta civitatis cohorruit. Accurrunt vigiles, & quis? unde? quare hoc temporis veniat? quærunt. Reſpondet ille quiſquis erat oleæ ramum manu prætendens, Serezanâ ſe venire, proſperæ rei nuncium. Aperta igitur porta, nuncius quidem nullus, cæterum oliva ibi appenſa videbatur: & illicò quaſi certæ pacis rumor totã urbem pervagabatur. Subita

igitur hilaritas : & ubique concurrebant: manibuſque, ut quiſque advenerat, plauſis, novam tranquillitatem, ſibi gratulabantur. Inde feſtus clamor, choreæ, ignes, & cætera lætitiæ oſtentamenta Conſtitit poſtea, ipſa horâ, quâ Florentia iſto ſpectro turbata eſt, Pontificem Serezanæ mortuum: & ſublato è rebus humanis hoſte, pax tantopere deſiderata populo Florentino contigit. Hanc, aliaſque id generis hiſtorias narrat in diſput. politicis Apollinaris Calderinus Ravennas. Ego his geminam addo ex Thomæ Fazelli hiſtoriâ rerum Sicularum (*lib. XXVI.*) Syracuſæ à Saracenis graviſſimâ obſidione premebantur. Adrianus Braſinus patricius à Baſilio Imp. ad ſuccurrendum miſſus, ignavo mari & malacia in Peloponneſo apud Hieracis portũ detinebatur. Quæ cauſa fuit, vi captæ interim urbis : Ejus rei nuncium Adrianus eodem die in Peloponneſo habuit. Quippe paſtores paludem portui, ubi ſtationem Græci habe-

bebant, proximam accolẽtes pridie captas Syracuſas conſtanter aſſeverabant, interrogati, unde id ſcirent? à dæmonibus in ſuâ palude habitantibus id ſe accepiſſe reſponderunt. Cùmq; Adrianus paſtoribus fidem adhibere nollet, & ipſe ad paludem acceſſiſſet. percontantibus paſtoribus Spirituum voce ipſe triſte reſponſum ſuis auribus accepit. Nec multò poſt, qui ex clade evaſerant; dæmonum indicium confirmârunt.

§. *Nullis certis mandatis.*] Satius eſſe, quædam miniſtrorum, in bello maximè, prudentiæ relinquere, quàm nimium ſtrictis mandatis rerum gerendarũ occaſiones corrumpere, recenti exemplo docemur. Immanis ille virium maritimarum apparatus, quem in Angliam effudit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, non aliam magis ob cauſam ſucceſſu caruit, quàm quòd Medinæ Sidoniæ Dux Claſſis Imperator, ſemper Regis cõtraria mãdata cauſatus, omnes rei benè gerendę occaſiones omitteret. Nã ut

terreſtri expeditione ducis poteſtas certis limitibus circumſcribi poſſit:Ita in maritimis tàm ſtrictè itineris & rei peragendæ ratio præſcribi non poteſt. Maximè fortuitorum capax mare eſt. Opportunitas venti, temporis, cœli, fluxus ac refluxus, tenebrarum, lucis, & locorum profunditatis diverſa conſilia expoſcunt.

§. *Vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes*]Ferdinandus Catholicus Hiſp. Rex omnes ſuas cupiditates colore religionis texit. Et tamen jurisjurandi religionem hic tantæ pietatis Princeps adeò neglexit, ut ipſe Conſalvus Magnus non ſemel in magnorum virorum coronâ de fluxa ejus fide conqueſtus feratur. Inde ejuſdem jocus in vulgus emanavit, dicentis: ejus ſe Numinis metu adſtricturum Principem ſuum, cujus majore reverentiâ tangeretur. Quo dicterio parum ſinceram in eo de religione Chriſtianâ opinionem, adeoque Judaiſmo infectam (quâ labe ho-

hodieque ex Luſitanis plurimi laborare dicuntur) notabat (P. *Bizar. XIII. hiſt. Genuen*) Idem Ferdinandus cum aliis principibus acturus, non ex optimatibus oratorem legebat, ſed ab alicujus monaſterii ſolitudine extractum: quod hodieque Hiſpaniæ Regibus uſitatum eſt. Ita præter reciſos Legationis ſumptus fidem quoque ejuſmodi feciales & reverentiam negotio conciliant.

§. *Quanquam rudis dicendi, nobilitate ingenti.*] Oſtentatio multiloquentiæ, & verborum anxius delectus in Principe neſcio quid ſcholaſticum ſapit. Indigna tanto rege oratoria erat, cum Jacobus Magnæ Britanniæ Rex orationem ob temporis brevitatem minus elegantem in Comitiis regni excuſaret. Eſt aliquid in Principum ſermone ipſa horriditate, libertateque, cui à dicentis dignitate gratia accedit, commendabile; aliquid denique, quod niſi in magnis viris (quos quia magna faciunt, parùm verbis

bis valere, parùm intereſt) non laudes. Henricus IV. Galliæ Rex promptâ ac profluenti eloquentiâ erat, & quę deceretPrincipē. Melchior Cardinalis Cleſelius, ſive loquatur ſive ſcribat, vehemēti qvadā naturali ac omni fuco aliena eloquentia pollet. Nihil arti, omnia naturæ & negotiis exercito ingenio debet.

§. *Extractum cubili Cæſarem tradere vexillum, intento mortis metu ſubigunt.*] Non carebit utilitate adnotare hîc, quibuſdam Principibus, quibus ſuorum fides ſuſpecta eſt, uſitatam cautionem, *mutare cubilia*. Abas Perſarum Rex qui ſuperiori anno deceſſit, ſingulis diebus plures ſibi lectos in diverſis cubiculis parari juſſit: unde nemo, ubi Rex dormiret, ſcire poterat: maximè, cum una nocte pluries ſurgere, & ab uno loco in alium tranſire ſoleret. Quæ providentia Henricum quoqve III, Angliæ regem morti eripuit. Nam cum miles quidam incognitas ob cauſas Regi infenſus per feneſtram noctu cubiculum Regium ingreſ-

ingreſſus eſſet,& ferro pulvinar, Regē ſe fodere ratus iteratis ictibus percuſſiſſet: commodùm accidit, quòd Rex ea nocte alibi dormiret: uti libro decimo ſexto hiſt. Anglicanæ tradit Polyd. Virgilius. Similis cautio fuit, qua uſus eſt Ladislaus Neapolis Rex, quē in caſtris raro ſolum, ſed prout in militum cōtubernia incidiſſet, cum gregalibus, pane, caſeo, allio veſci ſolitum, refert Scipio Amiratus, (*in lib. de vita Ladislai.*) nō tā, quod populare rebatur, miſceri militū vulgo, quam quod à venenis, quæ aurea regū pocula miſcere ſolent, hoc modo ſe tutum arbitrabatur. Deniqve ſcitum eſt, quod idem Amiratus in parallelis ſcribit: Heleonoram Toletanam Coſmi Magni Hetruriæ Ducis uxorem, primis imperii annis& invalidis adhuc novi principatus fundamentis longiſſima noctium ſpatia luſu & alea tranſegiſſe: non prava ludendi libidine, ſed contra crebras, quæ tum in maritum detegebantur, conjurationes.

§. *Quia*

§. *Quia plerumque ad conçilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.*] Abas Perſarum Rex, de quo modò dixi, jucundiſſimâ comitate exterorum regum gentiumque legatos apud ſe habebat. Tartari animalium cornibus pro poculis utebantur: Igitur in his Tartarorum legatis vinum miſcebat. Moſchovitas largis compotationibus ad hilaritatem provocabat. Hiſpani equis donabantur. Hiberis (quos Georgianos hodiè appellamus) ſuilla caro, quâ mirè delectantur, apponebatur, quanquam eâ veſci Mahumedis lege interdictum ſit. Apud eoſdem Iberos honoris & reverentiæ genus eſt, propinatos ſcyphos humili manu tradere: cùm ex contrario Perſis in more poſitum ſit, alterius ori quàm proximè admovere, ac penè infundere: ſed & hac in re patrium morem omittere, & quæ grata exteris, uſurpare Rex ſolebat.

§. *Et quidam bonorum caſi.*] Nihil tam ſuâ naturâ bonum & ſanctum eſt, quod

non

non corrumpat hominum improbitas! Publicis nominibus privatos affectus tegimus. Majeſtatis judicium, aliorumque criminum perſecutio res eſt ſanctiſſima: & tamen, quoties illa medicina in toxicum evaluit? Inimicitiæ, aut judicantium avaritia, quot hominis vita & fortunis everterunt, hodieque evertunt? Domitius Corbulo, plurima per Italiam itinera fraude mancipum, & incuriâ magiſtratuum interrupta & impervia clamitando executionem ejus negotii ſuſceperat. Sed id haud perinde publicè uſui habitum, quàm exitioſum multis: quorum in pecuniam atque famam damnationibus & haſtâ ſæviebat(*Tacit. III. Annal.*) Inter initia Imperii Flaviani, cùm nihil æquè fatigaret, quàm pecuniarum conquiſitio: non jus aut verum Mucianus in cognitionibus, ſed ſolum magnitudinem opum ſpectabat. paſſim delationes, & locupletiſſimus qviſqve in prædam correpti. *Tacit. II Hiſtor.*) In Franciâ, regnan-

gnante Henrico II. ſeveriſſimâ proſcriptione ibatur in illos, quos vulgus per mutatam religionem inviſos, Hugonotas appellat: non religionis curâ: ſed ad ſatiandam cupidinem Dianæ Valentiæ, amicæ Regiæ: cui Rex damnatorum ex cauſa Hæreſeos bona donaverat. Poſtremò tributa & vectigalia publica rerum gerendarum nervos eſſe, quis non lubẽs admittat? ſed quis ex diverſo adeò noſtrorum imperitus morum eſt, ut neſciat, ex illâ meſſe uberrimos fructus non tam ad Principem, quàm exactores, quæſtores, canonicarios, opinatores pervenire? His commodum, Principi invidia cedit.

§. *Nam ſpes inceſſerat diffidere hoſtem.*] Quas factiones externum principem in alieni regni poſſeſſionem introducere hîc dixi, eædem plerumque inſtabilis hautque diuturni Imperii cauſa fuerunt. Cave enim credas, proditione alieni domini jugum quemquam emere velle. Inimicitiæ ſunt, æmulationes, metus

tus ambitio, quæ peregrinam amicitiam commendant: quas ubi cauſas removeris: qui tuâ opera non ultrà egebunt, odiſſe te incipient, ex ſaturatis odiis, & ſubverſis æmulis aut conciliatis: gravis eſt amicitia, quam ut neceſſariam ante ambiveramus. Ut taceam, quòd vel nimia cupiditatum ſuarũ profeſſione, vel ſuperba beneficii conſcientia, vel alia aliqua cauſa ſuſpecti plerumque fiunt, aut inviſi, quos ut tutelares Genios paulò antè colueramus. Carolus VIII. Galliæ Rex à Ludovico Sforza, ut ſe contra Aragoniorum potentiam muniret, in Italiã accitus fuit. Ubi metus ceſſit, & ſuſpecta Caroli fortuna erat: Ludovicus ipſe cum fœderatis ejiciendo ex Italia Carolo egregiam operam navavit. Nuper Philippus II. Hiſp. Rex unicũ labantis religionis in Gallia fulcrũ vulgò audiebat. Guiſius, Meduanius, Mercurius, Aumalius, Nemoroſius in hunc, ut fidei columẽ reſpiciebant: hũc velut Meduſæ caput Henrico Navarræo oppo-

opponebant. Et tamen, cum ille ſui, Erneſti Aurii, & Claræ Iſabellæ Eugeniæ filiæ in novi Regis electione, rationem haberi vellet, & nimis properè animi ſui cupiditates renudaret; repudium Hiſpanicæ amicitiæ miſerunt, quotquot antè ei innexi erant. Angli olim penè univerſum Galliæ regnum habebant; à Philippo Burgundo, potenti Principe, qui patris necem ultum ibat, velut in poſſeſſionem miſſi. Rex emota mente Anglum filiæ maritum, & Genero regnum, Carolo filio poſthabito, in dotem dederat. Videbatur Deorum hominumque conſenſus eſſe & conſpiratio in Anglicanam fortunam: cum ecce ſubitò in pejus omnia labi, cunctaque retrò ferri Henricus, ille Regum flos, illud belli fulmen, & ſuorum delicium, in medio victoriæ curſu, fatis oſtenſus tantùm moritur; infanti regni bellique hærede relicto. Moritur & Carolus Galliæ Rex, (cogita, quàm facilè Deo ſit, partium vertere fortunam.)
ob

ob læſa m mentē eo rerum ſtatu, nō inutilis modò regno, ſed perniciofus. Ita non tantum hoſtis morte, ſed & ſui Regis exceſſu res Gallica reſpirabat, pro fatuo Carolum ſapientem impoſterùm Regem habitura. Is cunctando publicam rem reſtituit, fortunæ minimum permiſſo. Avaricum Biturgium, quod tutiſſimum è præſentibus, arcem belli elegerat, conſiliis & aſtu, armis procul oſtenſis, res hoſtium moliens. Interea Puellæ Aurelianenſis ductu, ſive prudenti fraude, quod Juſtus Lipſius mavult, in ſcenam producta) Aurelianum obſidione liberatum; cūctis ad præſentiſſimum Dei auxilium animos recipientibus. Porrò & vivo Henrico Rege, & eo mortuo in Comitis Sarisberienſis & Io. Talbotti virtute, fortitudine, prudentia Anglicarum partium fortuna maximè conquieverat. Horum alter in Aureliani obſidio tormenti ictu occiſus: alter poſteà captus eſt. Igitur ſeneſcentibus Anglorum viribus, cum

præ-

prætereà Burgundus à Carolo Rege, promiſſis,precibus,omni ambitu ad reconciliationem invitaretur: deniq; accedente indignatione, quod, cum Aurelianenſes nõ Anglis,ſed Burgundo ſe debere vellent, interceſſiſſent Angli: diſſiliit fœdus & amicitia. Simul Angli Galliâ cedere coacti ſunt.

§.*Spes inceſſerat,diſſidere hoſtem.*]Unũ adhuc ſuprà notatis addam; Turcicæ potentiæ ut initium cauſamque, ab armorum ſtudio,ita occaſionem exPrincipumChriſtianorum multitudine, æmulatione,diſcordiiſque fuiſſe. Ita non modò per noſtra diſſidia invaluerunt, ſed & hodiè per eadem tuti ſunt illi barri.Dudum funus eſſent, & ſolum in hiſtoria nomen,ſi vires & conſilia jungeremus. Græci Imperatores Occidentis Principum arma inTurcas pro recuperandâ Palęſtinâ ſtricta,omni arte,molimine, fraude ſemper hebetare ſtuduerunt.Cujus rei nõ minima cauſa fuit religionum interGræcosLatinoſque diſ-

fe-

ferentia: qva ſiebat, ut alteri alterorum periculum vel læti, vel ſine curâ contēplarētur. Expulſis igitur Palęſtinâ Chriſtianis, Turcæ arma in ipſos Conſtantinopolitanos verterunt, dignū perfidiæ prçmiū: acceſſêre odia inter ipſos Byzātinos Principes accenſa, qvibus occæcati, Turcas ipſos, ut ex hiſtoria Joh. Cantacuzeni & Georgii Phranzæ conſtat, in mutuam perniciē acciverunt. Qvod itē non ſine perpetua nominis ſui infamiâ factitârunt ſuperiorum temporū Principes: Alfonſus II. Neap. Rex, Ludovicus Sforza, Iſabella Hungariæ Regina, Franciſcus I. & Henr. II. Franciæ Reges. Porrò quę Chriſtianorū diſcordia Turcis immanis potentiæ occaſio fuit; eadē facit, ut de illâ deſtruenda nemo cogitet, & qviſqve in lucro deputet, non laceſſi. Cauſæ diſſidiorū ſunt vel ab odiis inteſtinis, vel à poſitu terrarum, qvibus hic aut ille imperat, vel deniq; à mutuis ſuſpicionibus. Satis loqvūtur odia, qvibus nos mutuò proſeqvimur, tot bella,

quæ

quæ potiorem Europæ partem in hunc uſque diem infeſtant, affligunt, exhauriunt. Pleræque nationes, nullis privatis ſimultatibus, ſed Principum inclinationem & utilitates ſecutæ, velut juſſas inimicitias acerrimè exercent. Hiſpani Gallos, & hi illos, & utroſque Angli, & univerſi Italos, & Itali univerſos infenſos averſoſque habent. Et quod lugubrius eſt, unius nationis homines in bella pluſquam civilia & profanis odiis decertata exarſiſſe aut meminimus, aut videmus. Neſcio quæ inſaniæ, qvæve furia noſtras mentes lymphavit? Belgæ Hiſpanici imperii vel aſſerendi vel excutiendi cauſa in Belgas, Galli contra Gallos, & adverſus Germanos Germani infauſta arma aut ſtrinxerunt olim, aut tenent hodieque. Sic occupatos quæ ſalutis publicæ & juſtiſſimi belli in Chriſtiani nominis hoſtes cura ſubire poſſet? Nunquam de bono publico aut de communi periculo cogitare vocat iis, qui in ſuam tantum ultionem, in ſuam

am avaritiam, ambitionemque explendam vigilant. Richardus II. Angl. Rex in Syriam olim exercitum duxit, & ad eos metus Sultanum adegit, ut jam Hieroſolyma tradere, & ſic cum Chriſtianis paciſci cogitaret: cùm ecce Philippus Auguſtus, Gallorum Rex, reverſus & ipſe è Syria, & Richardo infeſtus, cum exercitu in Normanniam, quæ tùm Anglici juris erat, movet: & Richardum tùm publici orbis rebus intentum ad rerum ſuarum tutelam in Europam revocavit. Vix ſeculum inde effluxerat, cùm Philippus Valeſius omni regni ſui mole ad hæc bella transmarinæ pietatis converſus eſt. Et aderant in auxilium Navarræ, Aragoniæ, & Bohemiæ reges, multique prætereà mortales, quos pietas tangebat. Jam in anchoris claſſis ſtabat, quæ quadraginta armatorum millia veheret: trium annorum commeatus additus. Exercitus terra iturus trecentorum millium erat. Tam gravem apparatum tantamque

ſpem mundi intervertit Eduardus *III.* Anglorum Rex, tunc primum Franciæ ſceptrum, tanquam matris *Iſabellæ* hæreditatem aggreſſus vindicare. Sic in noſtra viſcera acti ſumus; & à nobis ſuperati, triumphos Saracenis Turciſque congeſſimus.

Præter mutuas inimicitias, Chriſtianorum conſilia fœduſque in Turcas disjungit periculi à comuni hoſte impendentis major, aut tanquam ex longinquo minor & incertior vis ac metus. Quò fit, ut propiores tam voraci incẽdio aut miſerè abſumantur, aut iniqvis pactionibus ſalutem redimant. Diu eſt, quod Pannones & Auſtriacæ ditiones (Italorum Gemanorumq; auxilia mediocria erant) tanti hoſtis impetum ſuſtinuerunt: cæteris Principibus Chriſtianis ſecuritati ſuæ indormientibus, Gallis, Anglis, Batavis fœdus qvoqve cum Turcis intercedit, non eâ opinor neceſſitate, quâ Veneta Reſp. coactam cum Turcis amicitiam colit. Nã populus

lus ille mediis undis velut innatans,neqvit arare terram,quæ urbi panem ſuggerat:& inſulæ in mari ſparſæ,vix in tertiam anni partẽ frumenta proferre dicuntur: quę minimo à Turcis petũt ſũptu. Prætcrea mercaturis creviſſe urbẽ illam ſcimus:qvas intercidere,& conſequenter ruere urbẽ neceſſe, cõmercio cum Turcis, & navigationibus in Orientem ſublatis. Deniq; præcipua hujus fœderis neceſſitas eſt, quòd Veneti ubiq; Turcis finitimi primi eorũ impetus excipere neceſſe habeãt quibus cũ ſoli reſiſtere nequeant,&in reliquorũ Principum Chriſtianorum ut res ſunt, fœderibus parũ ſpei ſit:ſatius ducunt,qualemcunq; cũ potentiſſimo Principe pacem habere,quam certiſſimo cum rerũ ſuarum damno bellum. Nunquã enim aut moverunt arma,aut depoſuerunt ſine imperii ſui diminutione. Tertiã diſſidiorum inter Chriſtianos Principes velut nutricem eſſe dixi, mutuas ſuſpiciones, ob quas nulla tã ſancti fœderis

ſpes eſſe poſſit. Nam qui ex fœderatis vel portuum commoditate vel aliâ opportunitate bellum expeditiùs proſequi, aut bello capta faciliùs tueri poterit: reliquorum æmulatione nunquam carebit. Auſtriaci Principes commodo ditionũ, quibus imperãt, ſitu, armis, pecuniâ, milite penè ſoli Turcicæ potentiæ opponi poſſent. Sed plerique fortunas ipſorum augeri non æquis viſuri ſunt oculis: imò infringi illorum vires omnes præoptabunt. Adeoque auxilia Imperii Principum tuendis potiùs, quàm proferendis finibus mittuntur: ut Trajanus Boccalinus alicubi ſcribere non ſit veritus: Satius eſſe Germanis, amittere Viennam, quam recuperare Budam.

His igitur obicibus publicum bonum, & communis periculi depulſionem retardantibus neſcio ſanè, quid in noſtris armis, fœderibus, viribus ſpei ponendum: Legatos belli redemptores hucuſque in aulam Byzantinam miſimus:

ſimus:ſcilic:ne furiis noſtris intercederet hoſtium miſericordia, neve ferrum in noſtra viſcera ſæviens, ex manibus nobis eriperent inimici. Sancte Deus, Fortis, Magne, Terribilis! Peccatorum hæc à te noſtrorum pœna eſt. Tu quidem fędam gentem, cum tibi viſum fuerit, infortunio & excidio mactabis. Hoc gementes ſub tam feræ Tyrannidis mole exſpectant à te Chriſtiani, hoc templa tua, quæ veſani deleverunt: hoc denique Juſtitia tua, cujus eſt tot innocentium ſanguinem fuſum, barbarorum libidinem, & cætera nefanda belluarum iſtarum flagitia vindicare. Sed hoc non faciunt fœdera noſtra. Domine: Tu armabis manum ejus, quém elegeris, Tu facies, Domine Sabaoth.

§. *Achajam ac Macedoniam onera deprecantes levari inpræſens pro conſulari imperio, tradique Cæſari placuit.*] Cum Auguſtus ex S.P.Q.R. voluntate imperium ſingulare, quod minùs legiti-

mum antè videbatur ſibi uni ſtabiliiſſet:quo regni occupandi omnem à ſe depelleret ſuſpicionem:nequaquã totius imperii curam ſibi uni depoſcit: ſed provincias omnes cum populo diviſit. Quæ pacatæ erant & imbelles,ac à finibus imperii longiùs aberant,militumq; præſidio nonindigebant,populo tradidit:eas verò,quæ militaribus copiis inſtructæ erãt,quo exercitus omnes, quibus ſua magnitudo innitebatur, in ſuâ poteſtate haberet, ſibi retinuit, tanquam eas quoque pacaturus, & deniq; populo rediturus.In eas, quæ populi erant,Proconſules:quæ Cæſaris, Legati Præſideſque, mittebantur. Cæterum, ut rectior ambitio eſſet, poteſtatẽReipub.conſtituendæ & provinciarum ordinandarum in decennium tantùm aſſumpſitAuguſtus.Decennio tranſacto, cum adhuc non ex ſententia compoſitæ res eſſent,in quinquennium, ac deinde etiam in tertium decennium, & petiit & impetravit, ita ut ſucceſſione quin-

quinquenniorum,&decenniorum perpetuò imperium adminiſtraverit. (*v. Onuphr. Panv. III. Comment. de Repub. Rem.*)

Ad librum II. Annalium.

§.*Cæterum Tiberio haud ingratum accidit.*]Occidere, privare oculis, aut naſo,in Monaſterii ſolitudinem detrudere viros eminentes, & regnandi ſuſpectos,Tyrannica cautio eſt. Cui adde, quod Normanici generis in Sicilia Reges ſuper effoſſos oculos nervos ſuper talum magnis viris incidere, eoſq; perpetuo poſtea carceri mancipare ſolebant: quod ex Thomæ Fazelli hiſtoria conſtat.Cautionē àChr.BeſoldoV.C. Doctore meo,præſcriptā: adigere magnos viros ad ducendas uxores & ſuſcipiendos liberos:ancipitem eſſe, & tam nocere poſſe,quam prodeſſe dixi. Rationem dicti in notis habes.Certè Hēricus Guiſius Gaſpari Schōbergio monenti,moderationem ſervaret, Regis

potentiæ ne nimium inſultaret, plebejo favori ne fideret, ad uxorem liberoſque reſpiceret, reſpondit: *Non ſe duxiſſe uxorem, nec liberos ſuſcepiſſe, ut eſſent, qui ejus conſilia interturbarent* (*Thuanus*: XCIII.) Carolus Emanuel, qui nunc Allobrogibus imperat, Saluciarum Principatus invadendi eam rationem habuit, quod Deum tam pulchrâ & numeroſa ſobole minimè ſe auxiſſe diceret, ut ditione, quàm à majorib. acceperat, exiguâ contentus eſſet (*Thuan. XCII.*) Denique ſunt, quibus de magnis hominibus audacter, & plerumque in deteriùs judicare mos eſt, qui Mauritio Naſſovico, fœderatorum Belgarum ſummo Imperatori non conſtitutam integritatem fuiſſe putant, ſi ex unâ & legitimâ uxore liberos ſuſtuliſſet. Eodem loco neceſſarium præceptum poſui, magna imperia haut diuturna ſinere. Quo pertinet, quod Philippus II. Hiſpan. Rex teſtamento filium juſſit, Proreges Indiæ Occidentalis crebrò mutare:

tare : quique revocabuntur, conſilio Indiarum adhibere, alteroſque alteris per vices ſuccedentes,quaſi exploratores apponi.Ita futurum, ut nec diuturnâ abſentiâ corrumpantur,& potiùs de gloria inter eos per æmulationem, quàm de privato compendio per factiones ſit certamen.

§.*Suum militem haud perinde vulneribus, quàm ſpatiis itinerum, & damno armorum adfici:at ſi mare intretur, promptam ipſis poſſeſſionem,& hoſtibus ignotam: ſimul bellum maturius incipi.*] Vires maritimæ magnum pondus addunt expeditionibus bellicis. Nam ſine his nec miles cogi in tempore, nec commeatus & inſtrumenta belli convehi tam commodè poſſunt: milites quoque & jumenta per inopiam & labores fatiſcunt.Denique rerum bello neceſſariarum ſubvectio terra longè majores requirit ſumptus,quàm mari. Unde fit ut cum Turcarum Imperatores cum Hungaris & Perſis bellum habent,eundo &

redeũdo non modò major æſtatis pars, ſed etiam tot milites miſeriis & itinerũ incommodis abſumantur, ut ferè nunquam lucrum impenſæ reſpondeat. Nec tamen iis aſſentimur, qui maritimam potentiam terreſtribus viribus præferunt, quos ipſa ſatis experientia refellit. Neq; enim aut Cretenſes olim, aut Polycrates Sami Rex, qui mille naves armatas habuiſſe dicitur, aut Rhodii aut Phœnices, aut deniq; Veneti, Genuenſes, Piſani, Britanni, Batavi, quamvis mari potentiſſimi aut fuerint, aut adhuc ſint, in terra continenti unquam latè protulerunt imperium. Ex diverſo Romani, Carthaginenſes, Saraceni Græcos Imperatores, Auguſtus Sextum Põpejum, maris dominio ſolâ terreſtri militiâ, quam in naves tranſtulerant, penè nullo negotio pepulerunt. Ut proinde falli illos manifeſtum ſit, qui majorem fore Venetorum potentiam putant, ſi poſthabito Longobardicarum urbium imperio, maritimis rebus, quo cœperant,

rant, ſtudio incumbere perrexiſſent. (*vide Boter.X.della ragion di ſtat. & lib.*I. *dell.Rep.di Venet.*)

§.*Flumen Viſurgis.*] Ad hæc verba adnotavi, moris eſſe, ut cùm duo Principes conveniunt, is, qui dignitate antiſtat, prior ad conſtitutum locum veniat. Honoris enim ſpeciem eſſe, quod alter poſterior, & ad hunc accedere videtur. Conſimilis obſervationis eſt, quod Arnoldus Oſſatus Cardinalis in epiſtolis tradit, Principũ oratores, qui poſteriores advenerunt, à cæteris, quamvis majorum legatis primos honoris causâ adiri, ſalutarique.

§.*Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea ſpecies dolore & ira affecit.*] Templum Diuo Claudio apud Britannos conſtitutum, quaſi ara æternę dominationis aſpiciebat. (*Tacit.XIV. annal.*) Genuenſes Alfonſo Regi quot annis auream pelvim ex pacto mittebant. Hanc cum ille, convocatis omnibus proceribus & populo inſpectan-

te, non ſecus ac devictarum gentium manubias in ſublimi ſolio, triumphantis ſpecie recipere ſoleret; Genuenſes inde deficiendi ab ipſo cauſam ſumpſerunt. (*P. Bizar. XII. hiſt. Genu.*) Prudentiùs Sereniſſimus Sigismundus Poloniæ Rex, Sereniſſimum Maximilianum Auſtrium à Samoſcio captum Cracoviam adduci vetuit: ne tantæ dignitatis Princeps potiùs in triumpho duci, quàm cuſtodiri videretur: neque incenſis ſemel contumelia animis ad reconciliationem via præcluderetur. Ad id, quod odia ultra inimici mortem non extendenda dixi, ſpectat, quod Eliſabetha Angliæ Regina Mariæ Scotæ ipſius ſententia damnatæ, & poſteà capite truncatæ exequias c. florenorum cIɔ. ſumptu inſtruxit. (*Thuan.* LXX*XVIII.*)

§. *Nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperantur.*] Retuli hoc loco inter cauſas, propter quas diuturniora noſtrorum tẽporum bella ſunt, & cur noſtri Principes quanquam

po-

potentiſſimi , non ut veteres parvo temporis ſpatio extendere regnorum ſuorum terminos potuerunt, tormentorum bellicorum incom̃odam molem & pondus. Sed huic difficultati tollendæ facit Abæ, qui ſuperiori adhuc anno Perſarum regnum tenuit, conſilium: Sermo erat inter Regis familiares de expeditione Ormuzanâ, quam tùm ipſe animo agitabat: videbaturque impedita pleriſque ac penè impoſſibilis; quòd naves regiæ portandis majoribus tormentis, quę ad arcem feriendam neceſſaria erant, ineptæ eſſent. Quibus Rex, Monachis aliquot Luſitanis coram, reſpondit: Si non potero trajicere integra tormenta; metallum in fruſtra conciſum transportabo, fundamque tormenta in ipſa Inſula. Conſilium non aſpernandum Ducibus, quibus ſuperare montes, aut minoribus navigiis tranſire maria neceſſe eſt.

§. *Ita moderans, ne lenire neve aſperare crimina videretur.*] Præmia ipſe Princeps

ceps tribuere, pœnam non niſi per magiſtratus irrogare debet. Quod Philo Hebræus pulcrè docet in libro de Abramo, his verbis: *cum illi ſapēti* (Abrahamo) *oblata eſſet trium virorum ſpecies: duos tantum ad exciſam regionem eloquia divina dicunt veniſſe, ut delerent ejus incolas: cùm tertius indignos adventu ſuo duceret.* Is *quantum equidem intelligo, erat ille, qui verè Eſt: æquum judicans, ut bona per ſe ipſum largiretur, contraria verò exequenda ſuis potentiis relinqueret: & ſic ſolorum bonorum author præcipuus, mali verò nullius exiſtimaretur. Id quod mihi videtur, & reges ad imitationem naturæ divinæ facere: dum per ſeipſos gratias porrigunt, pœnas per alios ſanciunt.*

§. *Et quanquam multi è domo Principis ſuſtentaſſe opibus, juviſſe conſiliis dicerentur haut quæſitum.*] Retuli in notis ad librum primum Theodoſii Auguſti moderationem, qui cæſo Valentiniano rebellium duce, de conjuratis quæſtionem agitari noluerit. Hujus conſilii ratio-

tionem redditAmmianus Marcellinus: *ne formidine ſparsâ per multos, reviviſcerent provinciarum compoſiti turbines.* Interdum alii reſpectus à pœnarum immaturitate abſtinendum ſuadent. Quidam crudelitatis famam horrent: alii ex paucorum cæde ſurgentia pluriũ odia verentur. Viennæ urbis magiſtratus liberiores de Ladislao Rege Pragæ veneno ſublato in Eizingeri, qui eum in Boemiam deduxerat, invidia jactas voces cohibuêre: non tam Eizingeri amore, quàm ne Boëmi irritarẽtur: quos pacatos ſibi vicinos, quàm infenſos malebant. (*Æneas Sylv. hiſt. Boem. c. XXI.*) Jovius autor eſt, quanquã veneno perempti Leonis X. Pontificis multa & magna ſuppeterent argumenta, tamen in autores ĩnquiri vetitum: ne in nomen magni cujuſdam Principis inexpiabili cum invidia quæreretur.

§. *Inviſus Tiberio, quod eum Rhodi agẽtem nullo officio coluiſſet.*] Franciſci Simonetæ exemplo commonſtravi, Principes

cipes

cipes ferè reconciliari, & depoſitas iras in miniſtros primarios vertere,ac velut ex pacto alteros ab alteris inviſos ſibi ad pœnam depoſcere. En tibi alia duo hujus rei documenta Hadrianus IV. Pontifex opere procerum Apulorum & Calabrorum, Guilielmo Regi, cùm eas provincias ademiſſet, non multò poſt,inconſultis omnibus, cum Rege pacem fecit: Proceribus, qui ab eo defecerant,neceſſitate, fugâ, ſibi ſalutem quærendi,impoſitâ. Ex quibus Robertus Capuæ Princeps ad Lirim fluvium à ſuis proditus, oculis privatus, & in carcerem conjectus miſerè periit. (*Fazell.XXVI.*) Friderici Siciliæ & Caroli Neapolis Regum bella compoſita ſunt, additâ lege, ut Proceres, qui ad alterutrum Regem tranſierant, omni patrimonio, quod in violatis regnis poſſederant,in perpetuum privarentur.(*Fazell.lib.XXIX.*)

§.*Tiberius dimoverat Syria Creticum Silanum.*]Notavi hîc, Venetos in majori-

joribus ſuæ ditionis civitatibus Juſtitiæ curam, cæteramque civilem adminiſtrationem, & armorum præfecturam nunquam in unum aliquem conferre. Cui addendum eſt, quod Arnoldus Oſſatus Cardinalis in Epiſtolis præcipit: Urbis præfecturam, & arcis in eâ ſitæ cuſtodiam nunquam uni alicui committendam. Idem Oſſatus monet, nunquam provinciarum præſidibus concedi debere, ut ipſi civitatibus provinciæ ſuæ Rectores, aut præſidiis Præfectos imponant. Ipſius Principis id munus eſſe: eaque in re, ut in pleriſque regnandi capitibus graviter erraſſe Henricum III. Gallorum regem, quod, cùm maximarum provinciarum adminiſtrationem gratioſis in aula hominibus tradidiſſet, iiſdem, civitatibus, quos vellent, Juridicos, qvoſqve vellent Tribunos centurioneſqve arcibus imponere permiſerit.

§. *Offenſus urbi, propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo judicio falſi*

falſi damnatum precibus ſuis non concede- rent.]Refragari quanquam injuſtis deſideriis ſuis, injuriam potentes putant. Piſo Athenienſibus iratus erat,quod eum infra juſtitiam colebant. Rodericus Gomezius Sylva, ille in Philippi II. Hiſpan. Regis gratiâ adeò potens , Piſcaræ Marchioni,tunc Siciliæ Pro-Regi,duos,qui ſe proximo ſanguine contingebant,in opulentarum nuptiarum ſpem (ſplēdidiſſimę enim in illo regno dotes dicuntur)commendaverat. Cum autem,niſi vis adhiberetur, confici negotium nō poſſet;& Pro-Rex ab omni injuſtitia abhorreret: duo illi,læſos ſe, quod Pro-Rex poteſtate ſuâ uſus non eſſet,arbitrati,& jus malevolentiam interpretantes, ex Inſula ſe in Hiſpaniam proripuerunt , queſtibus aulam & Sylvam implentes. Nec à periculo longè aberat Pro-Rex: cùm ipſum opportuna mors rebus humanis exemit.

§. *Ambigua gens antiquitus , non modò ingeniis,ſed ſitu terrarum ; quo noſtris provin-*

vinciis latè prætenta, penitus ad Medos porrigitur: maximiſque imperiis interjecti, & ſæpè diſcordes ſunt; adverſus Romanos odio, & in Parthum invidia.] Similis morum Armeniorum deſcriptio extat lib. XIII. Annalium in his verbis: *Armenii ambiguâ fide utraque arma invitabant; ſitu terrarum, ſimilitudine morum Parthis propiores; connubiisque permixti, ac libertate ignota, illuc magis ad ſervitium inclinantes.* Hodiè non valde abſimilis Armeniæ Hungaria eſt: inter duo maxima imperia, Romano-Germanicum & Turcicum poſita. Cum neutris gentis illius mores conveniunt: Turcæ tamen veteres hoſtes, & religione diverſi, quotidianis deniq; injuriis infeſti, ſine exceptione inimici habentur. Adde vel præcipuam cauſam (quâ ab Armeniis, quos ignotâ libertate ad ſervitiũ inclinare Tacitus ait) differũt Hũgari qvod nõ alia in iſto regno ingẽtior nobilitati cura, quã ne qvid de iis prærogativis decedat, quas à tam mul-

multis ætatibus intemeratas habent. Turca autem in unam ſervitutem omnis claritudinis ſanguinisqve familias premit. Inde ex neceſſitate in Imperio & Auſtriaca Domo quæſitum contra inimicam potentiam ſubſidium; & reges ex Germania ſumpti: quos tamen inde petere, quàm habere, hucuſque maluiſſe videntur. Nam nec Ferdinando I. nec Rudolfo II. nec Sereniſſimo noſtro Ferdinando II. pacata ſemper illius regni poſſeſſio fuit. Suſpicax optimatibus ingenium, quod opum & potentiæ conſcientia, ac vicini Turcæ prompta auxilia acrius irritant. Stephanus Botſcajus non vi, non armis ſubigi potuit: pace obſtrictus eſt. Nuperrimè Buthianus cum Turcis incendio, cæde, rapina ad Viennæ uſqve ſuburbia impunè evagabatur. Rodolfus Imperator, ſublato è medio Andrea Bathorio Cardinali per Michaelem Valachiæ Principem: ipſum Poſtremò Michaëlem turbidorum conſiliorum inſimulatum immiſſo

miſſo milite occidit. Sigismundo Bathorio, ex ampliſſimo principatu in unum Moraviæ hypocauſtum deportato otium fecit legendis, qvibus impensè delectabatur, Senecæ & Lipſii epiſtolis, atqve ſtudendi puritati latini ſermonis. Nec cum Moſe Siculorum fortiſſimo Duce ad ultimum amicitia conſtitit. Qvi reverenter de actis tanti Principis judicabant, infelicitatẽ temporum accuſabant; qvibus ſine cædibus & injuria optimè meritorum Principum regnum ſervari non poſſe videbatur. Alii acriùs, familiare Auſtriis eſſe, dicebant, in novis regnis parandis ſic indigenarum & primariorum virorum opibus & opera ad res firmandas uti, ut poſteà pro beneficio maleficium reddant; & ſubeunte faſtidio eos tanqvam ſuſpectos, occaſione qvæſita, de medio tollendos curent. Cæterùm, qvod Tacitus (XII. *Annal.*) *barbaros Roma petere Regem, quàm habere malle*, eorumqve *acres impetus cunctatione langue-*

gueſcere, aut in perfidiam mutari, dixit; præter id, qvod de Pennonum gente nunc retuli, aliud exemplum occurrit in Moſchorum populo. Stephanus Bathorius Poloniæ fortiſſimus Rex Livoniam illis & Pleſcoviã armis abſtulerat: & ad majora aſpirabat Theodoſius, qui Baſilio Patri in magno illo imperio, ſucceſſerat, nullo judicio juvenis, & nullâ rerum experientiâ erat. Itaqve ad externas illi opes reſpectabant. Nec longa conſultatione opus. Domus Auſtriaca propria potentia, fœderibus & haut occultis in Polonum ſimultatibus tantæ fortunæ capax videbatur. Theodoſium juventa incautum, ut regno inhabilem, vel è vivis tollere, vel monaſterio includere animus erat. Igitur ſecreti nuncii Pragam ad Rodolfum Cæſarem mittũtur, reſq; tam magna in aula Imperatoris ſummo cum ſilentio agitabatur. Et jam parum ab exitu res abeſſe videbatur: cum maximè alieno tempore Stephani Regis mors intervenit; magno

qui-

quidem imperitorum gaudio, qui domus Auſtriacę ęmulum, ac penè profeſſum hoſtem mortuum publicè lætabãtur. Verùm prudentiores, & quibus hujus ſecreti notitia, exceſſu Stephani Auſtriacos à tantâ ſpe excidiſſe, haud vanè augurabantur. Nam Moſchi metu, qui ipſos ad conſilium petendi ex Germania Principis adegerat, ſoluti, omiſſo negotio domum abierunt.

§. *Petere interim, ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad diſcordias traheret.*] Ita de Rheſcuporide Thraciæ Rege hoc eodem libro Tacitus inquit: *Damnatum in Senatu, ut procul regno ſuo teneretur. Et Antiſtio Veteri è primoribus Macedoniæ, ut turbido, & Rheſcuporidis conſilio permixto aquâ & igni interdictum eſt: additumque, ut inſulâ teneretur, neque Macedoniæ, neque Thraciæ opportunâ* (*Tacitus III. Annal.*) Hoc argumento Plautum & Syllam Neroni inviſos reddidit Tigellinus: nobilitatem eorum

rum *& propinquos,huic Orientis,illi Germaniæ exercitus* commemorans. (*Tacitus XIV. Annal.*) Et Valerius Aſiaticus Claudio ſuſpectus fuit, qvod *genitus Viennæ,multiſque & validis propinquitatibus ſubnixus turbare gentiles nationes promptum haberet.*(*Tac. XI. Annal.*) Cæſari Ateſtino inter alias tranſactionis cum Clemente VIII. Pontifice leges, ea qvoqve dicta fuit:ut intra præſtitutum tempus omne patrimonium, fundoſqve, qvos in Ferrarienſi ditione habebat,divenderet. Henricus III. Galliæ Rex Britanniæ Armoricæ præfecturam Philippo Emanueli Lotharingo Mercurii Duce conceſſit contradicentibus prudentioribus, & præcipuè Philippo Huralto Cevernio: Qvod Mercurianus ab uxore Maria Luxemburga tanqvam Penteuriæ Domus hærede Jus in Britanniam ſibi vendicaret. Et cùm poſteà Henricus IV. Carolo Gviſio Provinciæ præfecturam detuliſſet: idem Cevernius regni Cancellarius

rius interceſſit: regni arcanum eſſe dicens, ne ulli procerum, qui jus in aliquâ provinciâ haberet, præfectura ejus attribueretur atqui notum eſſe, ab Jolanda, Renati Andini, Siciliæ Regis F. prognatos Lotharingos jus in Provinciæ Comitatu ſibi ſemper vindicaſſe. Denique quibus mortalium actiones profanis tantùm finibus metiri ſolens eſt, Sigismundum Bathorium Transylvaniæ Principem imprudenter feciſſe diſputant, quod cum Rodolfo Cæſare contra Turcas fœdus fecerit: & pro fœdere cum Turcis rupto uxorem ex Domo Auſtriacâ, atque in dotem bellum Turcicum acceperit! Ita enim ei belli cum potentiſſimo hoſte gerendi neceſſitatem impoſitam: nec in Cæſare ſatis virium & auxilii: Denique iis qui Tranſylvaniam Regibus Hungariæ ſubjectam olim fuiſſe dicebant, aditum eſſe factum. (*Adde quæ ſcripſi ad lib. VI. verb. Vt genus Arſacis &c.*

§. *Arctâ cum* Rege *amicitiâ, eoque ac-*

 commo-

commodatiorem ad fallendum.] Pari fallaciâ Archelaum Cappadociæ Regem Tiberius matris literis Romani elicuit (*Tacitus V.h.lib.*) & Otto III. Imperator Creſcentium in Mole Hadriani obſeſſum fide per Tanaum hominem ſibi familiariſſimum præſtitâ ſeſe dedentē, ſuſpendio necavit. Deniqve Henricus IV. Galliæ Rex Bironum per Petrum Fugæum Eſcurium, & præſidem Janinum, quibus ille multum tribuerat, alter etiam caſtrorum metatoris munere ſub eo defunctus erat) in aulam ad ſupplicium pertraxit.

§. *Remmius Evocatus priori cuſtodiæ Regis oppoſitus, quaſi per iram eum gladio tranſigit. Vnde major fides, conſcientiâ ſceleris, & metu indicii mortem Vononi inlatam.*) Nota hæc facinoroſorum ars eſt. Henricus VII. Angliæ Rex Johannem Lincolnienſum, quem fabulam de Pſeudo Eduardo cudiſſe ſuſpicabatur, ut de ſociis ex eo reſciſceret, interfici vetuerat. Interfectus tamen eſt in

prælio

prælio à conſciis, metu indicii. (*Polyd. Virg XXVI. Angl.*) Comprehenſo Scarano quodam Turcâ, qui Cantacuzeno Imperatori inſidias ſtruxerat, cùm qui circumſiſtebant ad eum trucidandum proſilirent; edixit Imperator, pro hoſte habiturũ, qui ei manus intulerit: ſumpturumque in argumentum communicati cum eo conſilii, (*Ioh. Cantacuz. lib. III. Hiſt.*)

§. *Miſſi à Piſone incuſabantur, ut valetudinis adverſa rimantes*] Suſpectũ eſt omne nimium officium: & vix unquam ſuſpicione caret ab hoſte profecta amicitiæ oſtentamẽta, Cùm Domitianus Cn. Agricolam ægrotantem crebrius per nuncios viſeret, & libertorũ primi, & Medicorum intimi, quotidiè adeſſent, nõ tàm curam illud quàm inquiſitionem fuiſſe Tacitus ait, (*In Agric.*) Fredegundis Chilperici Galliæ Regis primò pellex, mox juſta uxor, Prætextatum Rhotomagenſem Antiſtitem in templo ſacra peragentem percuti-

endum curavit;lethali quidem vulnere, ſed cui aliquandiu ſupervixit. Mœſta eo ipſo venit viſere:ſive ut exploraret, ſive ut oculos in ejus angore paſceret. Atque ibi bellè,ut putabat,diſſimulans, queſtus & iram miſcuit, quòd in talem virum tantum patratum eſſet facinus, & author lateret. Sed prætextatus vicinâ morte liberior:minimè, inquit, latet;& teſtor me ejus ſcelere percuſſum, quæ Reges occidit. Ea Fredegundis erat.

§.*Obſiſtente* Sentio *civile bellum incipi.*]Eadem penè verba eundem in ſenſum tendentia ſunt lib.1. *Si auxilia & ſocii adverſum abſcedentes legiones armarentur:civile bellum ſuſcipi.* Seditiones & rebelliones,prætcrquam uno caſu(quē notavi ad hunc lib. II. *verb.* C*unctaque ejus facta, cum prohibere &c.*) adhuc in herba, & antequam adoleſcant, vireſq; acquirant,armis,aut quovis modo opprimi debēt:certo tùm ſucceſſu,& nullo regiæ majeſtatis periculo. Verùm du-

dubiis rebus & ubi ambiguus exitus eſſe poteſt; omnia prius tentanda ſunt, quàm arma:nec niſi ex neceſſitate civile bellum ſuſcipiendum. Videtur igitur minus prudenter feciſſe Sereniſſimus Sigiſmundus Poloniæ Rex, qui, cùm Carolus Sudermanus Patruus adhuc omnia ad Regis obſequium, regnique commodum referret, ac, ut verbis fidem faceret, eodem tempore naves bellicas, quæ regem ex Poloniâ inSueciam tranſportarent, Dantiſcum miſiſſet;non niſi inſtructo cum exercitu in regnum venire maluit. Inde ſuſpicionibus & querelis patefactus locus, & denique regii obſequii ejuratio. Prudentius Grimoaldus Longobardorum Rex adverſus Lupum Forojulienſem Ducem defectionem molientem, ne Longobardos civilibus armis imbueret,Cacanum HunnorumRegem concitavit.(*Sigon.de Regn.Ital.*)

§.*Haut ignavo ad miniſteria belli Iuvene Piſone, quanquam ſuſcipiendum bellum*

lum abnuiſſet.] Meo tamen conſilio & judicio conſultiùs fecerit Princeps, abſtinere miniſtrum ab executione cõſilii quod non probavit. Vix enim magnis cœptis debitam alacritatem adhibet, qui de exitu non benè ſperat.

Ad librum III. Annalium.

§. *Nam vulgatum erat, miſſam à Cn. Sentio famoſam veneficiis.*] Sæpè mihi mirari contigit improbitatis ingenium, cùm veneficii varias ſpecies in hiſtoria legi: Ecce, quam ſolerti ſcelere Britannicum ſublatum Tacitus refert. Claudius veneno delectabili boletorum cibo infuſo necatus. Otto III. Imperator chirothecis veneno illitis peremptus. Conradus Friderici II. F. infecto venenis clyſtere à Manfredo fratre extinctus. Ladislaus Neapolis Rex ex coitu cum puella ab ipſo patre, pretio conducto, venenatâ periit. Et ô ſcelus! etiam ſacrum panem, in omnium malorum, atq; adeò æternæ mortis antidoton

ton ab ipſo Deo nobis datum, maleficis ſuccis tinxit, eoque Henrico VII. Imper. vitam ademit, unius monachi immanis audacia. Taceo, quæ quotidiè funera faciunt, facis venenatæ fumus; corrupta floris ſuavitas, fatalis cultelli illita acies, & quæ alia inhumana hominum excogitavit immanitas! Magis juvat cautiones hîc referre, quas vitando huic malo præſcribit Excellentiſſimus Medicus, amicus noſter Ludovicus Septalius. Initio ait, nihil aut parum præſidii eſſe in iis, qui prægustare Principum cibos & potus ſolent. Nam & illos, ſi fidi ſunt, falli poſſe: nec veneni vires momento ſe exerere: denique perimere poſſe copioſum cibum potumque, qui guſtu tantum exploratus ſine noxa ſit. Quod ſi ipſi hi tales ſceleſti eſſe malunt; mille modos eſſe, quibus fallant: poſſe præſumendo medicamenta ſe adverſus noxiam vim munire: poſſe ventrem priùs multo cibo implere, dein vomitare virus: poſſe illam partem

libare, quam veneni immunem ſciunt. Cæterum præcepta Septalii hæc ſunt:

I. Princeps in miniſteriis ſecretioribus puerorum magis operâ, quàm adultorum, & horum, quàm ſenum, (niſi & illi exploratæ fidei ſint,) ùtitor.

II. Pauci ſunto, qui hæc intima miniſteria curent. Nam inter multos ſemper unus erit, ſceleri paratus.

III. Induſia, cæteraque linea ſupellex à fidiſſimis aſſervator: ſitque infecta fumo odorifero ex foliis lauri & roſarum.

IV. Reconditas & atrâ bile involutas mentes caveto.

V. Aleæ deditos fugito.

VI. Uno ciborum genere nimis impensè ſe delectari ne monſtrato. (*adde quæ dixi in his paralipomenis ad lib.* 1. *verb. Extractum cubili Cæſarem.*)

VII. Boletos, fungos, ranas ne edito: ne ſub prætextu, quod his cibis ſuâ naturâ maligni aliquid inſit, tutius veneficia patrentur. VIII.

VIII. Plerumque appoſitum ſibi panem, quæſito colore duriorem eſſe, aut non ſatis coctum, mutato.

IX. Si cibus aut potio peregrinum oluerit, aut ſapuerit, exſpuito.

Hæc Septalius: qui idem falli eos ait, qui ſe ovorum ſorbilium eſu tutos putant: Nam & his venenum facillimè infundi. Quod qui fiat, equidem non me intelligere fateor. Illud ſanè ſcio, Dei & Genii tutelam eſſe, quæ non à venenis modo, ſed cæteris quoque inſidiarum dolis ſecuros nos & inviolatos præſtat. Abſque his nulla cura, nulla diligentia, nulla deniqve cautio profecerit.

§. *Inter irritamenta domus foro imminens.*] Invidiæ irritamentum Piſonis domus foro impoſita hîc dicitur. Quæ eadem res ſæpè affectati principatus argumentum fuit], aut rebellionis cogitatæ ſuſpicionem præbuit. Valerius Poplicola ex eo, quod Romæ in ſumma Veliâ ædificarat, atroci invadendæ

Reip.crimine notatus eſt.(*Liv.II.*)Genuæ olim privatorum turres depreſſæ ſunt, & ad altitudinem LXXX.pedum redactæ.(*Sigon.XV.de reg.Ital.* P.*Bizar. I. hiſt.Genuenſ.*Et ante illa tempora iidem Genuenſes Piſanos hoſtes ſuos pertinaci obſidione coëgerunt, ædes ſuas uſque ad unam contignationem demoliri (*Sigon.XI.de reg.Ital.*)

§.*Atque utinam ego potiùs filio juveni, quàm ille patri ſeni ceſſiſſet.*] Cantacuzenus Imperator, in hiſtoria gloriæ ſuæ adſcribit, filios habuiſſe, quorum haud rarò conſilium exquirebat, & ſequebatur. Scipio Amiratus in Parallelis tradit; Philippum Valerium jamjam cum Patre, Coſmi Medicæi juſſu capite trūcandum, his verbis uſum: alii quod patrum monita negligant, ego, quod nimis patris authoritati obſecutus ſum, àd mortem adigor.

§.*Sibi tamen adverſus eum integras.*] Principes nullo ſe pacto, nullo fœdere aut reconciliatione cum perduellionis

reo

reo teneri putant. Cùm apud Sixtum V. Pontif. de Henrici Guiſii in urbem Pariſiorum adventu referretur, exclamaſſe ajunt: ò temerarium hominem, qui omnis ſalutis ſuæ poſthabitâ curâ irritatum Principem vitæ & mortis ſuæ arbitrum fecit: dein cum à Rege benignè acceptum intellexit, clariore voce inclamaſſe: ô fatuum & ignavum Principem, qui inimicum hominem exitio ſuo natum ſibi è manibus elabi paſſus eſt. (*Thuan. XC.*) Cætera vide ſis in Notis.

§. *Quàm ſolus & nullis voluptatibus avocatus mœſtam vigilantiam &c.*] Nimium frequens Principale ſecretum, aut in arcanarum libidinum, aut ſævæ cogitationis argumentum plerumque trahitur. In Tiberii ſeceſſu fœdæ libidines & crudelium conſiliorum digeſtio erat: in Julio III. Pontif. nulla publici curâ marcidæ voluptates: in Henrico III. Franciæ rege, cùm ſolus eſſet, atrox & magni alicujus facino-

ris prævia meditatio: hyberno maximè tempore, quo Melancholiâ plerumque vexabatur. Tunc enim domeſtici tractabile ejus, reliqvo anni ingenium moroſum & difficile experiebantur: tunc parci ſomni erat, & totam noctem vigilans, aut temporius ſurgens: IV. viros à ſecretis epiſtolis, & Cancellarium tractandis aſſiduè negotiis fatigabat. Deniqve parum illo tempore à furore aberat. Naturam ejus Cevernius, qui pueritiæ ejus admotus erat, optimè noverat: qvi & forè prædixit, ut, ſi Gviſius eum ultrà laceſſere pergat, ab eo ſine ſtrepitu in cubiculo quodam die interficeretur. (*Thuan. XCV.*)

§. *Romana Civitas olim data.*] Id niſi virtuti olim Romæ precium erat. Veneti qvoqve ſummis Principibus volentibus, cupientibuſqve, jus ſuæ civitatis tribuerunt. Ut ineptus ſit Cantacuzenus Imperator, qvi lib. IV. ſuæ hiſtoriæ Crali Triballorum Principi exprobrat, qvod ſe in Senatum Venetum adlegi paſſus eſſet.

§. *At*

§. *At hercule nemo refert, quod Italia externa opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidiè volvitur.*] Certè Claudianis temporibus qvindecim dierum alimẽta non ampliùs urbi ſuperfuiſſe. Tacitus refert: (*XII. Annal.*) cùm magnâ Deûm benignitate,&modeſtiâ hyemis rebus extremis ſubventum eſt. At hercule olim ex Italiæ regionibus longinqvas in provincias commeatus portabant: nec tunc infæcunditate laborabatur. Sed Africam potiùs & Ægyptum Romani exercebant: navibusqve & caſibus vita populi permittebatur. (*Tacitus XII. annal.*) Verùm hodiè, qvanqvam italia aliqvot locis, ut apud Benacum, in Gallia-Ciſalpina & Campania, amœna & fertilis ſit, ſupra cæterarum regionum felicitatem: tamen alibi tellus frequentiâ montium aſpera eſt, aut nimiò & maximè ſterili æſtuaret. Malis qvidem aureis, puniciſqve, & diverſa ficuum ſtirpe, olivis qvoqve abundat: ſed fru-

frumento à Siciliâ & ex Oriente, denique à Belgicis Anglicisque navibus advecto (ipſi Gedano. Lubecâ, Hāburgo petunt) vivit. Ut inde dicendum videatur, quod hodiè navibus & caſibus Italiæ vita permiſſa eſt, non tam hominum ignaviâ & agriculturæ neglectu quàm ſoli infœcunditate fieri. Quod nec Turcis ignotum eſt: qui ſuperioribus annis Amurathi Imperat. ſuo, poſt res in Perſia cōpoſitas, quò arma verteret, ambigenti, ſuadebant pluribus partibus eod. tempore, maturâ jam meſſe vim in Italiam faciendā eſſe. Ita populos in urbes compulſos, annonâ deficiente ad deditionē, & imperata facienda nullo negotio cogi poſſe. Nam vix in pace, cùm meſſis per otium colligitur, ad tot populos alendos eam ſufficere, & è Sicilia ac Oriente, atq; longinquis ad Septentrionem poſitis regionibus frumētum difficillimis ſubvectionibus coëmere. His accedere, quod homines ferè in Italia opificio vivunt: quo per bella ſub-

ſublato protinus ſeditiones & defecti-
ones ſecuturas: & prægrandes illas civitates fame & egeſtate preſſas facilè eò adductum iri, ut tributum pactæ, legem ab Othomanidis accipiant. (*Lazarus Superant. in Othom.*)

Hiſpaniam autem non ſoli vitio ſterilem eſſe, ſed habitatorum & agricolarum infrequentiâ laborare verius puto. Erat enim olim fertiliſſima, & omne genus frugum feracisſima. hominibus quoq; abundabat. Nec vanum eſt Roderici Archiepiſcopi Toletani elogiũ, quod extat lib. III. rerũ Hiſpan. „Hiſpania quaſi paradiſus Domini verè principalibus fluminibus navigatur, ſcilicet Ibero, Doriâ, Tago, Anâ, & Bęti: montanis inter quælibet interjectis mediæqve valles ſui latitudine deſerviunt ubertati, & humore fluminum fæcundãtur, & pro magna parte rivis & fontibus irrigantur. Sed & puteorum ſuffragia rarò deſunt. Fœcunda frugibus, amœna fructibus, delicioſa piſcibus, ſapi-

da

„ da lacticiniis, clamoſa venationibus,
„ guloſa armentis & gregibus, ſuperba
„ eqvis, commoda mulis, privilegiata ca-
„ ſtris, curioſa vino, deſes pane, dives me-
„ tallis, glorioſa ſericis, dulcis melle, co-
„ pioſa oleo, læta croco, præcellens inge-
„ nio, audax in prælio, agilis exercitio,
„ fidelis domino, facilis ſtudio, pollens
„ eloqvio, fertilis in omnibus &c. Et cultoribus ac habitatoribus olim freqventem fuiſſe, ut vetera omittam, argumento eſſe poteſt, qvod Joh. Boterus (qvamqvam non ignorem, Ælium Antonium Nebriſſenſem in decadibus multò minorem numerum edere) ſcribit, Regem Granatenſem contra Ferdinandum & Iſabellam in aciem eduxiſſe ccIↃ. eqvitum. Porrò idem Nebriſſenſis ex ſolâ urbe Granata xxi cIↃ. pedites per ſeptem portas effundi ſolitos teſtatur. Qvod autem hodiè ad tantam hominum paucitatem redacta ſit Hiſpania, tribus non immerito rationibus adſcribas. Prima eſt bellum inter Mau-

ros

ros & Hiſpanos per aliqvot ſecula magnis odiis; & ſi Roderico Toletano credi par eſt, non minoribus viribus geſtum. Boterus rationem ſubduxit, intra tres menſes utrinqve cæſa ſeptingenta hominum millia Ex qvo noſſe poſſumus, qvantum ſangvinis ab utraqve parte ſeptingentorum annorum bellum hauſerit. Pax ſecuta, & barbarorum fuga non reddidit vaginæ ſuæ enſes Hiſpanicos, Bella Africana, Neapolitana, Mediolanenſia, Indica, Batava immenſum abſumpſerunt numerum. Altera ſolitudinis Hiſpanicæ ratio eſt, qvòd Ferdinandi Catholici & Emanuelis Luſitaniæ Regis edictis plus quàm octingenties mille Hebræi ex regnis illis exacti & in Turcarum oras deportati ſunt. Tertiò qvod & naturâ ſua & arte Regum, quibus otium ſibi periculóſũ amovere, & externa arma continuìs bellis procul Hiſpaniâ tenere inter regni arcana eſt, aſſveti ſunt Hiſpani odiſſe ocium, tractare arma, & perpetuò

tuò militiam ſeqvi (*vide, quæ dixi in his paralip. ſ. ad lib. 1. verb. intermiſerat munia ſolita.*)

Anglia qvidem felicibus paſcuis, & pabuli bonitate excuſat ut ſpontaneã, ſic utiliſſimam & ad ovilia factam ſterilitatem: & jam Henrico VIII. Rege cœperant rari coloni eſſe, caſæ ruſticæ cõplanari, ac ſolitudines agriculturâ neglectâ armentis & gregibus freqventari. Sed exitioſum hoc fuiſſe regno conſilium tunc qvoqve patuit: cautumqve ideò fuit Principis conſtitutione, ut domus dirutæ reficerentur, coloni reducerentur, ſepta paſcuorum refringerentur. Verùm tam ſanctum præceptum precium, ut ferè ſemper, & Vuolſæus, apud qvem venalia cuncta erant, reſcidit. (*Polyd. Virg. XXVII. hiſt. Angl.*) Poſt illa tempora, cùm Eliſabetha per ſummam iniqvitatem à prędeceſſoribus ſuis conceſſas Hanſeaticis urbib. immunitates reſcidiſſet, & lanæ Anglicæ pannorumqve commercium in Germaniam

am propagaſſet: adeò lucri dulcedo agriculturæ ſtudium in contemptũ neglectumq; adduxit, ut jam tunc Cæcilius Reginæ à ſecretioribus Cõſiliis regno exitium inde prædixerit. Nam valdè inde numerum hominum imminutum iri: pro mille agricolis, gregibus paſcendis decem ſufficere paſtores: qvi in otio & ſub umbrâ, lacte & ſemper ad os fiſtulá vivẽtes, bellicis laborib. prorſus ſint inepti. Et ſanè jam tum hominũ penuria in nobilium familiis, mercatorum tabernis, & artificum officinis, in militia deniq; laborabatur. Sed præſens commodum futuro damno potius habebatur.

§. *Dites olim familiæ ſtudio magnificentiæ prolabebantur.*] Hæc cauſa pleraſqve in Auſtria mea dites olim nobilium familias afflixit. Incredibile eſt, qvantum prodegerint in luxu menſæ, veſtis, eqvorum, domeſtici inſtrumenti. Sola Bacchanalium inſana pompa, in honorem Cæſaris (ita loqvebantur, inſtituta,)

ta,)integra patrimonia abligurivit. Inde lapidum & ſerici cauſâ noſtra pecunia ad exteras gentes translata eſt:Inde nobilium patrimonia, Caſtella, prædia, mercatoribus & fœneratorum improbiſſimæ nationi ceſſerunt: Inde nova ruſticis impoſita onera, & nihil avaritię ac rapinis intactum: Inde virtutum neglectus: & tantum, qvi per prodigentiam in aulâ noſcebantur, in honore & oculis erant: Virtus obſcura deliteſcere cogebatur. Tantò prudentiùs Sanctiſſimus Imperator noſter Ferdinandus in ſuperioris añi Bacchanalibus edixit, ne quis ex aulæ Proceribus in paratum ludicri feſti ulta C. florenos inſumeret. Sereniſſimus quoque Maximilianus Bavariæ Dux Elector aulam ſuo exemplo antiquâ parſimoniâ compoſitam habet. Abas denique, qui paulò antè Perſarum Rex fuit, quanquam ſerico regnum abundet, non niſi lineam veſtem Proceribus & populo concedebat: ipſe quoque non alio cultu conſpicu-

ſpicuus erat. Sericum aliis gentibus vendebatur.

§.*Sincerâ adhuc inter matrem & filium concordiâ, ſive occultis odiis.*] Ex eo quoque quòd Principum filiorum, etiam contra matres ſuas odia vetera, nec heri tantùm cognita ſunt, apparet: *cunctis affectibus flagrantiorẽ dominandi libidinem eſſe.* Reginæ plerumque vel tutelæ poteſtate, vel ſaltem quod matri in filium omnia licere putent, tyrannidem nimis intendunt, nec tam filium Principem eſſe, quàm ſe matrem, cogitant. Muliebre quoque faſtigium pro diminutione principalis poteſtatis accipitur. Nero in matris uſque necem duravit. Tiberius cum Livia, Michael Porphirogenitus cum Theodora, Galeatius Mediolanenſis cum Blanca Maria, matribus ſuis manifeſtas ſimultates exercuerunt. Ea Reginæ Matris Mariæ Medicææ cum Ludovico Rege diſſidia, regnum Gallicum aliquando diſtractura, publico bono in tempore com-

compoſita ſunt. Supereſt deniqve adhuc Princeps maximæ indolis, qvi miniſtris ſuis venatum ire recuſantibus, matriſqve imperium obtendentibus: ſibi rerum ſummam divino munere cõceſſam, matris precarium imperium eſſe reſpondit.

§. *Pompeji theatrum igne fortuito hauſtum Cæſar extructurum pollicitus eſt.*] Adnotavi hîc, qvæ ſint ædificia publica aut privata, qvæ Principis magnificentiam deceant: dixiq; inſaniam Neronis, qvi domum ædificaverit, in qva haut perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, qvàm arva & ſtagna, & in modum ſolitudinum, hinc ſylvæ, inde aperta ſpacia & proſpectus. Pyramides qvoq; in Ægypto regnum pecuniæ otioſa & ſtulta oſtentatio fuerunt. Tamen faciẽdi eas cauſa à C. Plinio hiſt. nat. libr. XXXVI traditur, qvæ mihi valdè probatur, *ne plebs eſſet otioſa.* Egregia tranqvillitatis publicæ conſervandæ ratio: *occupatum tenere populum, paſcereq́ plebem.*

bem. Potentiores honorum ſatietate, oppidani negotiationib.& mercatura, tenuiores victus qværendi occaſione ſubminiſtra in officio continentur. Inde Piſiſtratus, qvos in foro otioſè oberrantes videbat, ad ſe vocatos his verbis interrogabat: Si tibi boves aratores mortui ſunt: de me alios cape: ſin ſemina non habes, de meo dentur tibi. (*Ælianus variarum hiſtor. l X.c.XXV.*)

Ad librum IV. Annalium.

§. *Mox Tiberium variis artibus &c.*] Illorum, qui Sejano ſimiles in animo Principis omnia poſſunt, primam artem dixi, dominū ab intima rerum cognitione, qvam maximè poſſunt, excludere, atq; ad vitam molli ocio degenerē impellere, ſibiq; omnium adrogare arbitrium. Quò pertinet, quod Abas Perſarum Rex, cujus jam ſæpius mentionem fecimus, cum ab amico reprehenſus familiariter eſſet, quod nimia popularitate,

laritate, aſſiduoque ſui conſpectu majeſtatem minueret, quam Turcarum Rex pauciſſima ſui oſtentatione egregiè tueri ſciret, reſpondiſſe fertur: *Has voces à miniſtrorũ fraudibus & ambitione eſſe; quibus Principes in regiæ ſuæ ſolitudinem deportare inter artes ſit: quo ipſi tutius peccent. Veram regnantis magnitudinem eſſe, audire omnes, omnia ſcire, & jubere omnia.*

Ejus, quod ſcripſi, vicinos Principes ſolere tantæ potentiæ viros, clàm vel muneribus aggredi, vel omni honore cultuque penè ut æquales colere, exemplum eſt, Thomas Vuolſæus Anglici regni Cancellarius: quem Franciſcus I. Galliæ Rex literis ſuis modò dominum, modò patrem vocando, ſimulandoque, ſe plurimùm ejus conſiliis deferre, adeò ſuum fecit, ut homo vaniſſimus Tornaci reddendi negotium paulò poſt regi confectum daret. Porrò mira res eſt, ſed vera tamen, quod in Hiſpania ex auro Indico cla-

claves fabricari narrant, quibus omnium Principum ſacraria recluduntur:& quod majus adhuc eſt, & fidem ſuperat, Tagum aliquando Pyrenæos tranſcendiſſe, ſequo in Ligerim & Sequanam exoneraſſe, Gallia magno ſuo malo ſenſit. Dicam ſine ambagibus; aurũ Hiſpanicum in plerorumq; Principum aulis immane quantum ſplendore ſuo plurium oculos perſtringere dicitur. Et Principes quidem ſuo jure, quibuscunq; modis aliena ſecreta expiſcari ſe putant: Illorum autem qui muneribus, fumoq; honorum fidem ſuam immolant nunquam excuſanda perfidia eſt.

Quod Reges immenſis donis non amari, ſed ſi quid in illis, quos ſic extollunt, veræ amicitiæ fuit, imprudenti liberalitate extingui dixi: duabus Taciti ſententiis comprobatur, quarum prima de Vitellio eſt; III. hiſtor. *amicitias, dum magnitudine munerum, non conſtantia morum contineri putat, meruit magis quam habuit.* Altera ibidem: *Li-*

beralitas, ni adſit modus, in exitium vertitur.

Sejani artes, quibus ad tyrannidem, & ad eripiendum Tiberio imperium graſſatus eſt, hinc inde Tacitus recenſet, & ego velut in faſciculum collegi. Illuſtria magis erunt, quæ dixi, ſi, quas his apponam, binas hiſtorias cum Sejani actis contenderimus. Perennius quidam poſt Marci Antonini Philoſophi mortẽ, à Commodo, qui patri ſucceſſerat, Prætorio præfectus erat. Is Imperatorẽ juvenem & inſidiis facilem nactus, ſtatim ab initio ſceleratas ſpes concepit. Primum illud artificium fuit, voluptatũ illiciis adoleſcentem corrumpere, atq; ab omni publici cura avertere. Inde immenſam auri cupidinẽ ut expleret, paternos Commodi amicos & nobiliſſimum quemq; ac ditiſſimum calumniis, & fictis criminibus ad mortem adegit, bonaq; damnatorum ipſe invaſit. Filii denique ſui, ut Illyricis exercitibus proponerentur, impetravit. Iamque maturum

rum ſcelus videbatur. Imperator omnium ignarus, paterni ejus amici occiſi, prætorianæ cohortes, & Illyrici exercitus, quorum tùm maxima vis, per licita, per illicita corrupti, ingens pecuniæ vis, cætera denique parando regno ſubſidia & inſtrumenta: cum ſubitò patefacta conjuratio Perennio exitium attulit. (*Herodianus lib.* II.) Guilielmus, qui poſtea Mali cognomentum adeptus eſt, Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ Rex, Majonem quendam, patre ortum, qui Bari oleum vendere ſolebat, primum ab epiſtolis habuit, inde per gradus magnũ Regni Nomothetam, & poſtremò Admiratum fecit. Animus Majoni erat ſui obtegens, in alios criminator: arrogantiâ, avaritia, & cum cõduceret, prodigentia, poſtremò libidine cuncta offendebat, ac polluebat: nec malis, boniſque artibus mixtus: pravitate tantùm & nocendi vi valebat. Hic igitur ſummâ adipiſcendi libidine agitatus, quo facilius voto potiretur, Hugonem Pa-

normitanum Archiepiſcopum apud regem, apud proceres, & plebem variis artibus potentem conſiliorum ſocium adſciſcere ſtatuit. Ne autem ſceleris atrocitate deterreretur Hugo, diſſimulatâ regni cupidine, ignavum regem, impuberes ejus filios, peſſimam regni cõditionem facundè miſerari Majo occepit. Amoto rege, pueros regno, & regnum pueris tutò ſervari poſſe. Ita ſalutis publicæ curam ambitio obtentui ſumpſit: & juramento firmata eſt ſceleſta actio. Sed quia florẽtes in aula proceres, & honeſtis conſiliis locus moram cupitis afferebãt: cunctos, quos adverſos ſibi fore putabat, vi, dolove corripere aggreditur. Regẽ palatio clauſũ calumniis & ſuſpicionibus implet, ſævitiâ, im̃anitate imbuit: & præterquã ſibi & Hugoni omnibus aditum ad eũ præcluſit: ut inde rumores de morte illius divulgati Siciliam & Apuliam univerſam ſeditionibus & turbis cõpleverint. Præcipuus erat inter proceres virtute & fide

Got-

Gotfredus Montis Canoſi Comes. Hūc ut ab Rege abalienaret, Regi Neetum, naturâ & arte ſituqve munitiſſimam, ſimul & amœniſſimam ſedem, cujus præfecturam habebat Gotfredus, ei eripere perſuadet. Quâ injuriâ irritatus Gotfredus, ipſe quoque rebellibus acceſſit. Sed poſteà captum, orbatumque oculis, perpetuo carceri Rex addixit. Simon Polycaſtrenſis Comes variis criminationibus oppreſſus in carcere periit. Robertus Loricelti Comes, Robertus Surrentinus, Everardus Squillacenſis, Guilielmus Eleſinus, Boëmundus Tarſenſis, Robertus Bovenſis & plures alii variis petiti criminibus, & Everardus Squillacenſis ob id tantùm, quod Majonis conſilia, & eorum, qui receſſerant, deſideria ad regem detuliſſet, vincti, & ex iis, nonnulli vita, alii oculis & linguâ privati. Sublatis proceribus, Majo ſuæ factionis homines ſubſtituit. Simonem Sororium toti Apuliæ, & Neapolitanæ regioni, Stephanum fratrem

regiæ claſſi præfecit. Proximum conſilium fuit ſacerdotes beneficiis, milites Italos, Longobardos, Francos donis, populum largitione, & per ſpeciem clementiæ allicere: quoſdam pecuniâ, aut gratiâ juvare: inſerere ſæpius querelas, & ambiguos de Rege & nobilitate ſermones, duriora Regis edicta molliori interpretatione mitigare quęque alia turbamenta vulgi: denique eò vecordiæ procedere, ut diadema, aliaque regni inſignia novo regno parata multis palàm oſtenderet. Unde nova quorundam Apuliæ Magnatum in Majonis necem conſpiratio exorta eſt. Calabri quoq; hactenus immoti in turbas abierunt. Miſſus deniq; Majonis gener, Matthæus Bonellus, ipſe quoq; in partes clàm tranſiit, ſed quò diſſimularet defectionem, in aulam rediit. Nec minus interea de Rege tollendo Majo ſollicitus erat. Verùm dum de amovendo Rege, de filiorum ejus cuſtodia, de theſauris ſervandis, de ſedandis popu-
li

li rumoribus, ipſe & Hugo Archiepiſcopus conſilium capiunt: tandem de theſaurorum puerorumque cuſtodia, quam uterque ſibi deberi ajebat, contentio oritur; quæ in infeſtiſſimũ utrinque odium deſiit, & Majoni tandẽ exitioſa fuit. Febri decumbebat Hugo: cui cum pro medicamento virus miſcuiſſet Majo, neq; dolus Hugonem lateret: iiſdem artibus graſſandum ratus hominem per benevolentiæ ſpeciem lectulo aſſidentem, ſaluberrimi medicaminis virtutem cōmendantem variis ſermonibus in multam noctem detinet: & interea Matthæum Bonellum tempus parandæ diu cogitatę rei adveniſſe per internuncium monet. Igitur cùm infectâ tandẽ re Majo diſceſſiſſet: per tenebras à Bonello & ſociis excipitur, & lethali vulnere cōfoſſus trucidatur. Nec tamẽ morte ejus quies regno rediit. Longus tragœdię ſubſeqvutę ordo eſt. Bonellus denuò à Majonis factione apud regẽ delatus, & ad arma cōpulſus, nova Procerũ

fœdera, Rex à conjuratis captus, & mox à plebe Panormitana liberatus direpta gaza regia, Rogerius Regis filius, dum per feneſtram turris incauto proſpectu caput exerit, ſagitta percuſſus, Bonellus perpetuo mancipatus carceri, procerum mors aut fuga, urbium everſiones, quæque alia ſolita regibus, qui mobilitate civium pulſi, arma per dominationem reſumunt. Quæ omnia Thomas Fazellus, & Hugo Falcandus Hiſt. Siculę ſcriptores latè exequuntur.

Quod dixi miniſtros Principum commiſſa ſibi negotia ita plerumque gerere, ut ſui magis commodi, quam domini rationē habeant, Domitii Corbulonis, & Andreæ Auriæ ſummorum Imperatorum exemplis comprobatur. Corbulo nulla evidenti neceſſitate coactus exercitum Romanum à Tigranocertis deduxit: deſeruitqve per otium, quę bello defenderat: atq; diſtulit arma, ut Vologeſes hoſtis cum alio, qvam cū Corbulone certaret: Corbulo meritæ

pcr

per tot annos gloriæ periculum non faceret. (*Tac. XV. An.*) Andreas Auria, qvanqvã ad Nicopolim propè Actiacũ promontoriũ, an. à Chriſto nato M.D. XXXVIII. certa ſpes eſſet vincẽdi claſſẽ Turcicam, confligere tamen noluit. Amicitia illi cum Hariadeno Ahenobarba hoſtium Imperatore olim in Gallia contracta: multa hinc inde comeantibus nunciis inter illos acta. Duę roſtratæ naves, pridie quàm hoſtis ſe in conſpectum noſtræ claſſis daret, veſpere ex Ambracio ſinu egreſſæ: quarum una in Siciliã delata Panormi in portu aliquãdiu ſubſtitit, altera cum propè ad Auriæ prætoriã acceſſiſſet, poſtea ſe in ſinũ recepit. Augebat ſuſpicionem quod Auria triremiũ Hiſpanicarum malos, & antennas atro colore infici mandaverat: ſcilicet ut à cæteris internoſcerẽtur (*Mauroçen. V. hiſt. Venet.*)

§. *Dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi.*] Ut negari non poteſt, aliquos per virtutem ſibi ad honores gratum feciſ-

ſe: ita quibuſdã fortuna pro virtutibus fuit:&multis fata per caſũ & fortuita favorẽ aulæ conciliarunt, Tiberius veſcebatur in villa, cui nomen ſpeluncæ, nativo in ſpecu. Ejus os lapſis repentè ſaxis obruit quoſdã miniſtros: hinc metus in omnes, & fuga eorum qui conviviũ celebrabant. Sed Sejanus genu, vultuq; & manibus ſuper Tiberiũ ſuſpẽſus, oppoſuit ſe incidẽtibus atq; habitu tali repertus eſt à militibus, qui ſubſidio venerãt. Major ex eo, & quanquã exitioſa ſuaderet, ut nõ ſui anxius cũ fide audiebatur. (*Tac. IV. Annal.*) Aliud exemplũ habet in Icone animorũ Joan. Barclajus; Princeps, inquit, cum equo in itinere prolapſus afflicto latere febricula tentabatur. Quidã ex aulâ triſti perculſoq;, ut videbatur, vultu, tota nocte inſtitit inſomnis. Sive ars ſive pietas fuit, ita domini animum permulſit, ut nemo deinde gratioſior haberetur. David Rizius cantandi peritia primum in aula Scotica innotuit. Qui nuper in Britaniâ

niâ ſicarii manu cecidit, Buchingamiæ Dux ob ſaltandi ſcientiã à Jacobo Rege primùm in aulam, mox penè in ſceptri ſocietatem adſcitus eſt. Deniqve, tali caſu Concinus Mariæ Medicææ favorem, opes, dignitates, & cætera virtutis præmia obtinuit. Quærebat illa Regi ſponſo munus: equum tota Italia generoſiſſimum. Hunc in ipſa urbe Florentiâ Concinus habuit, obtulitque dono precium offerenti. Inde cum Lugduno cæteri ex Italis Proceribus domum remitterentur, ipſe in familia Reginæ retentus, perpetuam ejus gratiam, ſibi tamen poſtremò, non ſine aulæ Gallicæ magno motu, exitioſam habuit.

§. *Non Ignarus, q̃uantum ex Rep. peteretur.*] Explicavi hunc locum ad lib. I. (*verb. pridẽ inviſus &c.*) Illis adde qvod Gvilielmus I. Siciliæ Rex lege ſanxit, ne Virginibus nobilibus ſine ſua veniâ nubere liceat (*Thom. Fazell. lib.* XXVII. *hiſt. Sicul.*) Et Paulus IV. Pon. Joañæ A-

ragoniæ Aſcanii Columnæ qui Pontifici hoſtis fuerat, uxori filias ſuas ſine ſuo conſenſu elocare interdixit.

§. *Pacem exuere: noſtra magis avaritia &c.*] Vehementer falli Principes, qui à ditibus civibus ſibi periculum, ab exhauſtis, excarnificatis ſecuritatem promittunt, clariſſimè in notis oſtenſum eſt. Illa ſcitiſſimè illuſtrantur ſcitis Paraſiti Plautini verbis in Menæchmis.

Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis ſervis induunt compedes,
Nimis ſtultè faciunt mea quidem ſententia.
Nam homini miſero ſi ad malum accidit malum.
Major libido eſt fugere & facere nequiter.
Nā ſe ex catenis eximunt aliquo modo:
Tum compediti januam lima proterūt,
Aut lapide percutiunt clavum: nugæ ſunt meræ:

Quem

Quem tu aſſervare rectè, ne aufugiat
voles:
Eſca atque potione vincire decet.
Apud menſam plenam homini roſtrum
deliges.
Tum tu illi, quod edat, & quod potet,
præbeas,
Suo arbitratu, & affatim quottidiè.
Nunquam ædipol fugiet, tametſi capital
fecerit.
Facile aſſervabis, dum eo vinçlo vincies.
Ita iſthæc nimis lēta vincla ſunt eſcaria.
Quàm mágis intendas, tanto adſtrin-
gunt altius.

Præſcripſi ad hunc locum æquiſſimã cautionem ea tributi nomine exigere quæ quibuſquo locis viliſſima habentur. Hoc modo Romani à Friſiis (*Tac. hic.*) & Angliæ Reges ab Hibernis (*Polyd. Virg. XIII. hiſt. Angl.*) coria boum, & præterea Romani à Siculis frumentum, à Corſis cēram ſumebant. Veneti à Juſtinopolitanis vinum, à Polanis oleum exigebant. (*P. Marcell. in geſt. duc.*

Ve-

net.) Edgarus Angl. Rex Rudovallo Vallorum Principi vectigalis nomine in annos ſingulos tricenos lupos imperavit (*Polyd. Virgil. VI. hiſt. Angl.*)

Ad Exempla illorùm Principum, qui quod frugalitatem & largiendi modum quendam tenerent ad exercitus ſuſtentandos & viros præſtantes præmiis afficiendos, cæteramque regiam liberalitatem pecuniæ ſatis habuerunt, adde, quod Henricus IV. Gall. Rex, ille, qui initio regni paulò ante Arquenſem pugnam ſe Regem ſine regno, maritum ſine uxore, militum Imperatorem ſine pecunia dixerat, ærarium *XVII. millionibus* ditavit: & quod magis mirêre, tantundem Auguſtus Saxoniæ Dux & Elector comparſit.

Ad librum V. Annalium.

§. *Dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis &c.*] Jocos, qui multum ex vero

ro trahunt, acrem ſui memoriam relinquere, quod dixi hîc: idem à Macrobio in ſeptimo Saturnalium aſſeritur his verbis: Sunt ſcommata, quæ in ſuperficie habent ſpeciem contumeliæ, ſed interdum non tangunt audientes, cum eadem, ſi obnoxio dicantur, exagitent: ut contra ſunt, quæ ſpeciem laudis habent, & perſonam audientis efficiunt contumeliæ plenam. De priore genere prius dicam. L. Quinctus Prætor de provincia nuper reverterat, obſervatâ (quod mireris Domitiani temporibus) præturæ maximâ caſtitate. Is cum æger aſſidenti amico diceret, frigidas ſe habere manus, renidens ille ait: Atque eas de provincia calidas paulò antè revocaſti. Riſit Quintus delectatusque eſt; quippe alieniſſimus à ſuſpicione furtorum. Contra, ſi hoc dicerentur male ſibi conſcio, & ſua furta recolenti: exacerbaſſet auditum. Et quæ ibi plura in eundem ſenſum ſequuntur.

Ad

Ad Librum VI. Annalium.

§. *Ablata ærario &c.*] Nihil magis commune eſt, quam ad militem alendum, ad urbes, & oppida munienda, ad vim fluminum coërcendam, & cæteras publicas neceſſitates exigere, quod denique per vanitatem & luxum, atq; prodigentiam conſumant principes. Pauci ſunt qui Athalaricum Gothorum Regem imitari velint: qui cū pecunia pro mœnibus reparandis extorta provincialibus, in alios uſus adhibita diceretur, aut reſtitui illam, aut mœnia, ſi opus eſſet, refici ſcivit. Nimis enim inquit, abſurdum eſt, ſpondere munitiones, & dare civibus execrabiles vaſtitates. (*Hiero. Rubeus III. Hiſt. Raven.*)

§. *Vt genus Arſacis ripam apud Euphratis cerneretur.*] Maroboduus Suevorum Rex duo de viginti annos Ravennæ à Tiberio habitus, ſi quādo inſoleſçerēt Svevi, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur. (*Tac. II. Annal.*) Et Cn. Agricola,

cola, qui in Britannia exercitibus Romanis præſidebat, expulſum ſeditione domeſtica, unũ ex Regulis Hybernicis recepit, ac ſpecie amicitiæ in occaſionẽ turbandarum illarum gentium retinuit. (*Tac. in Agr.*) *Cætera dixi ad hunc locum, & ad lib.* 1. *verbo, cuncta inter ſe connexa.*

§. *Conſiliis & aſtu res externas moliri.*] De ſuſpecta Proceribus Germaniæ Imperatorum potentiâ ſatis multa ad hunc locum dixi. Porrò quanquam Pontificis autoritas omnibus Italiæ Principibus ſacroſancta, eſt: tamen ob familiarem, quam in Notis attigimus, Regibus æmulationem, nec illi angeri pontificiam ditionem æquis ferunt animis. Et Hiſp. quidem Rex non poteſt non expaveſcere potentem Pontificem: non modò, quod inter vicinos & accolas odiorum bellorumqve cauſæ facilè exardeſcunt: ſed &, quod injuriis laceſſiſſe Papas conſcius ſibi ſit, vindicemq; metuat: nec ignoret, exoſã eſſe Italis Hiſpanien-

uienſem dominationem: eamq; à nullo ſubverti promptiùs poſſe, quam à Pontifice. Venetis quoque nulla potentia placet, quæ nimia eſt: arbitrium rerum Italicarum, quod nunc vel ſoli, vel cum Pontifice conjunctum habent in alium, quicunque tandem is ſit, transferri nollent. Denique agrum Rhodiginum tenent, partem olim ditionis Ferrarienſis, atque adeò Pontificiæ. Magnus Hetruriæ Dux undiq; ditione Pontificis circumcluditur; & Papas in quædam Hetruriæ loca, in quibus eſt Burgus S. Sepulcri: Jura quædam antiqua ſibi aſſerere, ignorare nõ poteſt. Reliqui, minorũ, ut ita dicam, gentiũ Principes, ac Reſpub. pręſentem rerum ſtatũ amant, & unius prævalidas vires, quibus utiqve in prædam conceſſuri eſſent, magnopere verentur. Ad eundem locum hunc dixi, pleroſq; Principes opinari, bello inter Hiſpanum, & Batavos ſuam ſalutem contineri: illoqve velut neceſſario cauterio nimias Hiſpaniæ Regis opes

egeri.

egeri. Sanè Eliſabetha Angl. Regina, toto regni tempore vel patrocinii, vel fœderis prætextu conſtantiſſimè Batavos tutata eſt. Sueciæ Rex qvanqvã nihil ab Auraſionenſi ſperare poſſet: tamẽ eodẽ Auſtriacæ potentiæ metu ſpretis ingentibus Philippi II. Regis promiſſis, ei magnorũ navigiorũ, quibus abundabat, uſum denegavit. Ob eandem cauſã ſemel atq; iterum Auſtriaci Principes à Comitiis Poloniæ rejecti ſunt: ne accedente ad Bohemiam & Ungariam, tam latè patente regno, ejus beneficio Gedani potentes, interdicto commercio, negatoqve frumento, ad officium Batavos cogerent.

§, *Quàm ſi qui internorum, &c. Miniſtri ſceler. &c.* Notavi alibi in externum militem has cautiones, I. Numero inferior ſit ex noſtris civibus lecto milite: ut hujus metu diſciplinam pati diſcat II. ductores accipiat ex noſtris, quorumq; nobis explorata fides ſit. III. Caſtris cõtineatur: & in acie virtutem oſtendat:

dat:præſidia &loca munita civium fidei concredantur. IV. Aut ſi urbium cuſtodiam illis quoq; committere neceſſitas ſuadeat, vigilias nunquam ſoli, ſed civibus permixti obeant. V. Stipendia, eis juſto tempore & maximè poſito bello ſolvantur, ne magno cum ſubjectorum damno manendi prædandiq; occaſionem & prætextum inveniant.

Ac ſi ſtatim tnteriora, cæteraſque nationes petiviſſet, oppreſſa &c.] Turbaſſet hoſtes Tyridates, junxiſſet ſe amicis, firmaſſet dubios, & qui ad inimicos inclinabant mutare conſilia coacti fuiſſēt. Nunc aſſidendo caſtellum hoſti ſpacium dedit arma viroſq; cogendi: & amicos prodidit, & qui ad ipſum tranſiiſſent, ſi tuto licuiſſet, nūc metu ſubſiſtere, & nihil movere adacti ſunt. Barbarorū impetus acres cūctatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur. (*Tac. XII. Annal.*) Et denique generaliter dicendum eſt, meliori plerumq; conditione eſſe, qui invadit hoſtem, quàm qui ſuſti-

ſuſtinet. Nam & pulſu ſonituq; ac nube ipſa operit, ac ſuperfūdit, & turbat, omnia, disjicitq;, qui aggreditur, & proventus regni nervumq; belli gerendi adimit hoſti: fruges, & agrorum reditus, aut in ſuū ipſe uſū vertit, aut quo magis incommodet, corrumpit: iis quos in regno infenſos habet hoſtis, occaſionem præbet jungendi ſocia arma: deniq; aut vincit, aut parvo cum damno rerum ſuarum vincitur: maximè ubi procul à domo bellum geritur.

§. *Conſilium, cui impar erat, fato permiſit.*] Sæpè deſperatis rebus tempus medetur, & quæ ineluctabilia videbantur, fatum, & fortuna confecta dederunt. Florentini non ſemel in perdendæ libertatis articulo erant: cum ſalus, unde minus ſperabatur, affulſit. Ut cum Caſtrutius Caſtracanus ſubita morte ſublatus: iterum, cum Henricus Luxenburgus Imp. Bonconventi, & alio tempore, cum Gregorius Pontifex Serezanæ extinctus eſt. In eadē felicitatis parte ponen-

nenda fuit Joh. Galeatii ducis Mediolanenſis mors: & quod Albericus Cuneus, cum mox urbis potens futurus videretur, majore rerum neceſſitate in regnum Neapolitanum avocatus eſt. Alphonſus itidem Aragonius cum potiendæ Genuæ, quam obſidebat, haut dubiâ ſpe teneretur, morte ſuâ Genuenſibus victoriam peperit. Superioribus annis quorundam Imperii Principum conſiliis & molitionibus Henricus IV. Franciæ Rex, Cæſareo nomini & faſtigio deſtinabatur. Conſilii hanc fuiſſe ſeriem ajunt. Dignierius Allobrogum duci, Venetiſque & Liguribus junctis, Mediolanenſem ducatum, deinde qvicqvid reſtitiſſet, violentiâ disjecto, Hetruſcis, Romaniſqve ſupplementis adjunctis Neapolim & Siciliam invadere debebat. Ipſe Rex copias, quibus Catalaunici Campi horrebant, in duos exercitus diviſurus erat. Unum Mauritio Naſſovio, alterum ſibi reſervabat: qvorum ille Alberto Archiduci bel-

bellum illaturus, hic Britannicis auxiliis robuſtior Walliæ Principe ductore ad Imperium properabat. Anhaltinus Princeps, Marchio Brandeburgus, alii regem in Lotharingiæ finibus magno cum exercitu ſuſcipere debebant. Pulcherrimus hominum & fortunæ in Henricum conſenſus videbatur: cum ille improviſo, & ſanè nefario vulnere orbem fœderatorumqve ſpes deſtituit.

Qvæ addi debent iis qvæ alibi de humanæ prudentiæ incertitudine diſſerui.

NE

NE PAGELLÆ QUÆDAM vacarent, honorifica de Tacito teſtimonia quædam adjungere viſum eſt.

Plin. Iun. lib. 2 Epiſt. 1.

LAudatus eſt Verginius à Conſule Cornelio Tacito. Nam hic felicitati ejus ſupremus cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus.

In eodem libro Epiſt. 11.

Reſpondit Cornelius Tacitus eloquentiſſimè, & quod eximium orationi ejus ineſt, σεμνῶς,

Idem lib. 7. *Epiſt.* 33. *ad Tacitum.*

Auguror, nec me fallit augurium, hiſtorias tuas immortales futuras.

Flavius Vopiſcus in Imp. Marc. Claudio Tacito cap. 10.

Cornelium Tacitum, ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari juſſit: & ne lectorum incu-

incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in archivis juſſit, & in bibliothecis poni.

Sidonius Apollinaris in panegyrico ad Anathemium.

Qua Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro.
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus.
Qua Pompa Tacitus nunquam ſine laude loquendus.

Idem in Epigram.

Et te qui brevitate Criſpe polles:
Et qui pro ingenii fluente nulli
Corneli Tacite es tacendus ori.

Andreaas Alciatus I.C. in epiſt. ad Galeacium Vicecomitem.

Ut cæterorum hiſtoricorum laudi detrahere nihil auſim: ita Cornelium Tacitum nulli cedere conſtanter affirmo. Certat ſermonis gravitas cum elegantiâ, mavultque aliqua animo lectoris cogitanda relinquere, quam lon-

gis eum narrationibus oneratum dimittere. Qua ratione fit ut tametſi delicatioris ſtomachi lectorem, ejus nunquam ſatietas capiat, cum hujuſmodi viris etiam lactea Livii ubertas plerumque faſtidio ſit: ut, ſicut illi non niſi ineptè aliquid addideris, ita huic non niſi temere quicquam detraxeris.

Iuſtus Lipſius in Dedicatione Taciti, ad Imp. Maximilianum II.

Acer ſcriptor, Dii boni & prudens: & quem ſi unquam in manibus hominum verſari utile fuit, his certè temporibus, & hac ſcena rerum expediat. Hic mihi quiſque Principum aulas, Principum interiorem vitam, conſilia, juſſa, facta conſideret; & obvia in pleriſque noſtrorum temporum ſimilitudine, ab iiſdem cauſis Pares exitus animo præcipiat. Invenies ſub tyrannide adulationes, delationes, non ignota huic ſeculo mala: nihil ſincerum, nihil ſimplex, & nec apud amicos tutam fidem: frequen-

quentatas accuſationes majeſtatis, unicum crimen eorum qui crimine vacabant: cumulatas illuſtrium virorum neces, & pacem quovis bello ſæviorem. Accedit genus ipſum ſermonis minimè ſordidum aut vulgare, diſtinctum crebris & neſcio unde ex abdito erutis ſententiis, quas vel veritate, vel brevitate, vicem oraculi poſſis accipere.

Idem in allocutione iterata.

Magnus ſcriptor eſt (Tacitus) & qui proprie facit magnis: id eſt, iis qui tractant Reipub. clavum, aut à Conſiliis monitiſque tractanti adſunt. Quæ pars prudentiæ eſt, militaris ſive civilis: quis affectus hominũ, etſi occultus: qui caſus aut eventus rerum, quos iſte non palàm aperit, aut ſub velo oſtendit? Audeo & debeo aſſerere, hunc hominem videri in alta quadam ſpecula rerum humanarum fuiſſe & illinc gnarum ſcientemque proclamare. Hoc cave, hoc facito: Juvabit, aut lædet: Ille & ille effectus erit, &c. Non eſt

in Græcis, aut Latinis, & fidenter dicam, non erit, qui prudentiæ omnigenæ laude huic ſe comparet: adeò non veremur, ne quis anteponat. Singulæ paginæ, quid paginæ? ſingulæ lineæ, dogmata, conſilia, monita ſunt: ſed brevia ſæpè aut occulta, & opus ſagace quadam mente ad odorandum & aſſequendum: &c.

Ioannes Mariana lib. 2 cap. 6. de Regis inſtitut.

Tacitus horrida oratione atque ſpinoſâ, ſed argutâ imprimis, magnum renoſtrarum thefaurum tegit, conſilia Principum, artes fraudeſque aulæ. In alienis periculis & malis, quaſi in ſpeculo, noſtrarum rerum imaginem contemplari licebit. Idoneus auctor quem nunquá Principes, nunquam aulici, deponant de manibus die noctuque verſent.

Joan. Ovvenus lib. 2. epig. 157.

Veracem fecit probitas, natura ſagacem,
Obſcurũ brevitas te, gravitasq; breve.

F I N I S.

RE-

784532

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

RERUM PRÆCIPUARUM INDEX.

A.

A Dmiſſionalium moroſitas. pag. 663. med.
Adoleſcentum voluptates excuſatæ. 476. fin.
Adulatio ſpecie libertatis. 38. fin.
Adulationis aulicæ peſtis. 735. fin.
Adulatione princeps ad audiendi patientiam diſponendus. 447. princip.
Adulteria in aulis, dominationis arcanum. 374. f. 375. m.
Advocatorum improbitas 318. m. 319. 320 *imperitia.* 323. 324
Ædificandi ſtudium quale Principi conveniat. 542. & ſeq.
Ægyptum cur Auguſtus ſepoſuerit. 225. m.
Ærarii cura ſanctiſſimis hominibus mandanda. 655. f & ſeq.
Affinitates Principum infidæ. 74. f.
Affinitatibus Principum innexi, iis ferè inviſi. 83 pr.

Agere quàm quieſcere ſatius eſt, eodem utrobique imminente periculo. 731. pr.
Albani inconſulta crudelitas. 53. m. *imprudentia.* 218. m. *auſteritas Belgium Hiſpano perdit.* 704. pr.
Alexander Magnus fortunæ ſuæ debet. 393. m. *Temirlanco comparatus.* 606. fin.
Alexandro M. mortuo cur non rebellarint populi recens ab eo ſubacti. 195. p.
Amicitia vera exulat aulâ. 65
Amiratus perſtringitur. 256. f. 259. f. 269. f.
Amor an tutius munimentum principis, an metus 692. f. 693.
Annona principi ſumme curanda. 16 pr.
Annonæ vilitas plebem in officio retinet. 643 p. 644. & *ſeq.*
Annuli γεγοντευμένοι. 296. m.
Aragonenſium privilegia quomodo abolita. 302. f 303. 304.
Arcanum dominationis. 475. m.
Arcanum regiæ dominationis. 629. f.
Ar-

Arcanum dominationis, de modo privilegia abrogandi. 302.m.
Arcana dominationis injuſta. 422. 423. 424. 425.
Arcana imperii non vulganda. 33.m. 34. *Principum non inquirenda.* 79.p.
Arces caſtellaque procerum non ſemper Principi tuta. 248.
Archibugiare. 120.m.
Armorum potentes, nervos poteſtatis tenent 36. *ſtudium an ſit utile Reip. an vero damnoſum.* 546.m.& *ſeqq.*
Artifices eximii propoſitis ſtipendiis in aulam vocandi. 201.f.& *ſeq.*
Artis quam profitearis, ingnorantia turpis. 685.m.
Aſtus politici, 625.m.& *ſeqq. an ſint liciti,* 629.m.630.631.
Aſylorum abuſus. 476.pr.
Athenæ converſionibus obnoxiæ. 9.p.
Athenienſes injuſti. 413.*f.ſeq.*
Avaritia regentium, cauſa rebellionis. 647.f.& *ſeq.*

Auctoritatem quibus modis Princeps ſibi paret. 128.f. 199 & ſeqq.
Audacia prompti vulgo magis fidi habentur. 143.pr.
Audientiæ difficultas.vetus malum. 663.m.
Auguſtus Imperat.& tyrannum & bonum principem egit. 330.f.
in Aulam propoſitis ſtipendiis vocandi præclari quacunque arte viri. 201
in Aulis omnia perſonata & fallacia. 65.f.
Aulica gratia num fortuna vel induſtria concilietur. 596.m.
Aulicæ æmulationes. 157.f.
Aulici gratioſi, omnium facinorum rei aguntur. 102.f.
Aulici gratioſiſſimi quare tandem plerumque ruant, inveſtigata cauſa. 437.f.& *ſeqq. Talium exempla.* 461.p.& *ſeqq.*
Aulicorum procerum avaritia. 163. & *ſeqq.*
Aulicorum gratioſorũ duo genera. 433.p.
Aulicis proceribus ſalutare præceptum ex Apocalypſi. 457.f. 427.m.

Auro vincendum ferrum. 712.f.724.m.
Auſpicia ex uſu negotiorum interpretati Romani. 259
Auſtria ſuperior a Bav. Duce ſubacta. 723.p.
Auſtriaca potentia formidabilis. 716.p.
Autoris natalis. 677.p.
Auxilia externa vocanti pernicioſa. 725.m.726.f.728.

B.

Barclaji laus. 232 f.
Belgis induciæ Hiſpan. plus bello nocent. 57.f.
Belgium nimio Philippi II. rigore amiſſum. 703.m.
Bellando diu, bellicas artes hoſtem docemus 58.*& ſeqq.*
Bellicæ artes ex libris non diſcuntur. 252.p
Bellum quibus artibus arcere debiliores debeant. 710 m.711.*& ſeqq.*
Belli etiam juſti nefanda ſcelera. 45.*concitatores exules non audiendi.* 707 p 708
Belli gerendi ratio vetus 126.*& ſeqq. nova.* 283.m.

in Bello quænam vaſtare licitum 132. m. *celeritas ducum laudata* 278. m. *ſeq. quatenus cunctatio vel celeritas probãda.* 278. p. *feſtinatio & imperioſa vehementia præferenda lenta indulgentia.* 721 *f. ſeq.*
Bella orta ex contumelia. 361 m. 362. *cum Rebuspub.* Principes *cunctando feliciter gerunt.* 490. f.
Bellorum veterum in Italia *ſimplicitas.* 61. 62. *etiam imperium prætextus. Religio.* 107. f. 108
in Bellis res adverſa diſſimulandæ. 91. p. 92.
Beneficiati. 501
Beneficia nimis magna odio rependuntur. 349. f. 595. p.
Beneficiis obligati Principes *videri nolunt.* 450. f. 451.
Bombardarum inventio. 285 f.
Breviarium imperii. 79 f.
è Brutis Lucius *cur potuerit, Marcus non potuerit, libertatem recuperare.* 4. f. 567.

C. Ca-

C.

Cæſaris Cades an juſta. 39.p.40.
Callidi temporum & ſapientes qui, 612
Captivitatis magnorum hominum modus. 366.p.
Carthaginis excidium non fuit cauſa Romæ degenerantis. 312. f. *quatenus Romanis nocuerit.* 576.m.
Caſtalius fons obſtructus. 297.m.
Caſtellorum frequentia. 283.m.
Celeritas in ducibus priſcis laudata. 271. m. 272. *quatenus probanda.* 278.
Chriſtiana juris prudentia ſumma. 430. m.
Clades in bello diſſimulanda.
Clementia imperium inchoantibus utilis. 705.
Cleſelius Card. fortuna aulicæ viciſſitudinem expertus. Vlrico Ciliæ Comiti comparatus. 462.p.
ſub Clipeo pacta fida. 356.f.
Cognomine fundatori Principe, mutatur aut evertitur imperium. 43. f. 44.

Collega addito coercendi ambitioſi & ſuſpecti 223 m.341.f.
Comitiorum Germanorum incommoda. 638.f.
Conjugum Principalium imparitas. 691. m.692 p.
Conjurationis vinculum, ſcelus aliquod inſigne. 263.f.*ſeq.*
Conjurationibus apta tempora. 131.f.
de conjurationibus, & earum remediis. 515.p.*& ſeqq.*
Conſcientia, tyrannorum carnifex. 680.m
Conſcientia caſus. 423.f.
Conſi ara cur ſubterranea. 267 p.
Cōſilia ſecretè habēda 267.*ſeq. fato regūtur* 398.f.*ſeqq ſubita & arguta.* 540.541. *intricata periculoſa* 543 m.*acuta nimis Rempub. perdunt.* 544.m.*bona ſæpe infelicia, & contra.* 636.m.
Conſiliorum humanorum incertitudo. 538.f.539 *ſeqq.*
Contumelia ſtultorum ultio. 361.p. *bellorum cauſa.* 361.f.362
Coſmus Medicæus Florentinos ut ſubjugarit. 14.15.

Cremſmunſteranus Præſul, Auſtriacæ Cameræ Præſes. 656.f.
Crimina exoleta non objectanda. 689 f.
Crudelitas ſub ſpecie clementiæ. 172.p.
Culpæ ſocietas pudorem detrahit. 373.p.
Cyprus injuſtè à Romanis occupata. 418.m.

D.

Damnatorum bona Heredibus relinquūt boni Principes. 690.m.
Debiliores quibus artibus arcere bellum, & à potentioribus ſibi cavere debeant. 710.*& ſeqq.*
Decimatio antiquæ militiæ an juſta. 405.m
Defectionem diſſimulantes magis noxii. 483.m.
Delatores quare congreſſum principis vitare debeant. 301.f.*præmiis illiciuntur.* 638.p.
Delatorum artes. 162.*& ſeqq. fides ut exploranda.* 179.m.*improbitas.* 411 f.
Delatoriæ artes. 587.m.
Democratia corrupta corrigitur potenti dominatu unius. 2.f.

Demo-

Democratia corrupta mala. 432.m.

Democraticam civitatem à ſe ſubactam Princeps regendam primoribus tradat. 629.m.

Dempſteri obitus 474.f.

Deſperatio,cos fortitudinis, 261.*ſeq. cauſa rebellionis.* 478.m.

ad Deſperationem non adigendus hoſtis. 263.m.

Deſpoti Kyrii. 507.*ſeqq.*

Dicta impunè ſunto, facta arguantur. 159.p.

Dies quidam fataliter infauſti aut felices 42 f.*ſeq.*

Differendum,ubi largiri flagitioſum,& negare periculum eſt. 102.m.

Diffidentia principum erga potentes miniſtros,periculoſa. 695.m.696

Dionis hiſtorici laus. 146.p.

Diſſidentis populi pars infirmior auxilio malignè juvanda: 142.m.

Diſſidentem populum bello feliciter aggreditur, ab alterutra parte vocatus: qui à neutra,non item. 139.140.141.142.

Diſſidia inter ſubditos, an Principi ſerenda & alenda. 347.m.348.
Diverſio hoſtium. 143.f.144
Divinatores de Principe *vel Repub. conſulere, capitale.* 295.p.296.297.
Divinatrices artes plerumque fallaces, 298.m.299.
Divitiarum ſtudium emollit populū. 644.f. *ſeq.*
Dominationis origo à vi, 412.p. *ſeqq. flagitio.* 423.
Domini voluntas, miniſtri cynoſura eſſe debet. 598.p.
Duces ævi noſtri cur ad gloriam veterum non accedant. 280 *& ſeqq.*
Ducibus belli, permittendum liberius rerum gerendarum arbitrium. 94.m.95. 96.97.

E.

Eminentes in Repub. quomodo à Principe in ordinem redigendi. 217.*& ſeqq.*
Equi fuga, cauſa panici terroris. 149.150.
Equorum diſpoſitorum (poſtas vocant) origo. 180.p.181
Even-

Eventu non æſtimanda conſilia. 636 m.
Exercitus ex variis gentibus, non facilè ſeditionibus agitatur. 130.p.
in Exercitu, mulierum comitatus ridiculus. 474.f.
Externum imperium, Vide Imperium.
ab Extremo uno ad alterum ne tranſiliat Princeps. 138.m.
Exules, affligendæ patriæ inſtrumenta. 220.p.
Exulum & aliorum ſui commodi cauſa ad bellum impellentium infida conſilia. 207.p.

F.

Fabulæ veteres pro veris creditæ. 692.m.
Facetiarum leges. 668.*& ſeqq.*
Facundi vulgo grati, cavendi Principibus. 88.m.
Fœderis pignus, traditæ arces aut urbes munitæ. 356.m.
Fœdera neceſſitate inita vix ſervant principes. 351.f.352.353. *tuta mutuo metu.* 356.f. *inita metu potentioris.* 713.p.

Fœderum inter plures initorum infirmitas ac diſſolutio. 67. & ſeqq.
Fœminæ illuſtres. 156.f.
Falſa tempore vaneſcunt. 368.p.
Fama de principum morte velox aut antevertens. 28
Fama non nimis metuenda. 121.ſeqq.
ad Famam præcipua rerũ dirigenda Principi. 617.f.
Fame urgente quomodo Principi curanda plebecula. 646.p.
Familiæ ejuſdem hominibus officia plura ſimul conferre, intutum 341.p.
Familiis aliorum ſeſe falsò inſerentes. 673. p. & ſeq.
Fati vis aſſeritur contra Machiavellum, 398 p & ſeqq.
Ferdinandi Imper. apophthegma 588. p.
Feſtinatio in bello. 721.ſeqq.
Fides ſtratagemate non violanda 629 630
Fidem promiſſorum ex neceſſitate, rarò ſervant Principes. 352.p.
Florentia pacta libertate ſervit. 373.f.
Florẽtina Reſpub. nõ capax libertatis. 10.p.
uni

uni ſubjecta à Carolo V. 24.f.
Florentini Principatus initium. 211.f.215.m.
Florentini bellica conſilia paucis delectis mandant. 97 m.
Florentinorum libertas quibus artibus à Medicis oppreſſa. 14.15.
Fluminum derivationes fruſtraneæ. 187.p.
Fortuita ad conſilium flectenda. 111. p. *ad culpam trahuntur more vulgi.* 636
Fortuna quid ſit. 401.m. *ad extremum deſtituit.* 504.m.
Fortunane an induſtria in aulis plus valeat. 596.597.
Fortunæ viciſſitudo in rebus humanis. 157. *vis in conſilia humana.* 392. f. *& ſeqq.* Caſibus *exerciti ſunt conſtantes in utraque fortuna.* 148.f.
Franciæ Reges non moriuntur. 374.p.
Fridericus Palatinus. 635.p.
Friderici Bellicoſi, Auſtriæ ducis mors. 666 p.
Friderici Daniæ Regis majeſtas humanitate temperata. 204.f.

Fri-

Friſiæ primus Comes. 23.f.
Friſiorum factiones. 11.
Fumum vendere , Regum mercatura. 66.f.

G.

Gallia Hiſpaniâ potentior. 604.f.
Gallicæ turbæ unde. 212.m.
Gallicum conſilium de infringenda procerum potentia. 249.f.
Gentium tranſplantatio. 526.m.
Genuenſes in Hiſpani *poteſtate.* 487.
Germaniæ Imperium feudis hereditariis infirmius redditum. 230. & *diſtractione in varios* Principes. 236.p.
Germani, politicas exterorum artes diſcere, ſuo malo negligunt. 612. 613. *ſunt multiplices,* Turca *uniceps* 623. *nolunt* Imperatoris *ſui vires nimium augeſcere.* 715.f.
Germanicus cur Tiberio *formidatus & ſuſpectus.* 35.114.
Gratiæ tribunal. 306.p.
Gratioſi in aula , cur plerumque cadant, inveſtigata cauſa, 437. & *ſeqq.* Talium *exempla.* 461. & *ſeq.*

Gy-

Gygis annulus. 296.f.

H.

Helvetii cur ſeditionibus minus obnoxii, 525

Helvetiorum victoria Novarienſis. 154

Hiſpana potentia omnibus ſuſpecta 600.f. 718.f.719.p.

Hiſpanica potentia diſtracta. 604.m.

Hiſpanicæ divitiæ fama minores. 487.488

Hiſpanicus typhus monarchiæ univerſalis obſtaculum. 601.m.

Hiſpanus Italicas provincias quo modo retineat, 189.m. *Belgicis provinciis cur exciderit.* 190.f. 193.

Hiſpanus Galliæ inhiare dicitur. 721

Hiſpani, Orbis imperium affectant. 601.p. 613.

Hiſpanorum Præſidium in exteris provinciis impotens dominatio. 602

cum Hiſpanis induciæ plus bello nocent Belgis. 56. 57.f.

Hiſtoria de vivo Principe, ſuſpecta. 47.p. *ſcelerum aulicorum incerta.* 374.m. 378.f.

Hi-

Hiſtoricæ veritatis impedimenta. 12.m.
Hiſtriones urbibus exigendi. 589.p.
Honor merenti negatus, gloriam auget. 504.f.
Honoris ſpecie, potentia imminuta. 223.
Honoris ſpecie inviſos aut æmulos amoliri, ars aulica. 334.p.
Honoris vulgati vaneſcunt. 615.m.
Hoſtilium virium diſtractio. 143.f.
Hoſtis ad deſperationem non adigendus. 263.f. *eo redigendus, ut nocere aut nolit, aut non poſſit,* 364.p. 367.f. *non contemnendus.* 483 f.
Hoſti improviſa, fœlicem exitum fere ſortiuntur. 153.154.
Hoſtem decipere quatenus licitum. 630
Hoſtium diſparitas. 286.f. 287. *ducem ſuis ſuſpectum faciendi ars.* 521.m.

I.

Imperator Pontifici tam timendus in temporalibus, quam Turca in ſpiritualibus 714 f. 715
I*mperatorem alibi quam Romæ fieri, arcanum Imperii,* 125.m.

Imperium intra terminos coercendum cur conſuluerit Auguſtus. 82.m. *externum odioſum, nec diuturnum.* 188.189
Imperii boni ſigna. 16.p.
Imperii reditus & onera, in arcano ſunt. 81.m. *ſubinde mutantur.* 81.f. *translatio in Orientem, Occidētem invaſioni Barbarorum expoſuit.* 127.
Imperii genus quodnam optimum. 610.p.
Imperium affectantium artes. 114. *ſeq.*
Imperia ſub cognomine fundatori Principe mutata aut everſa. 43.f. 44. *viparta violente conſervantur.* 49.f. & *ſeqq.* *potiora ſub Principe, temporaria ſunto.* 226.m. & *ſeqq. nova, pace ſtabiliuntur.* 364.f.
Imperiorum principia violenta. 413. p. *magnorum incommoda vitiaque,* 599. & *ſeqq.*
Imperia magna eſſe mortalia, exemplis oſtenſum. 606.p. 607
Imperia ſuis quare continuarit Tiberius. 185

ad Imperii nova lætatur vulgus. 197. f. 198.
Induciarum ſpe decepti. 625.*ſeq.*
Ingenia ſubtilia novandis quam gerendis rebus aptiora. 545.p.
Initia rerum acria finis incurioſus. 687.
Injuriarum remedium ſi non intelligantur. 300.f.
Inopinata, animum infringunt, 147. p. 153.p.
Inquirendum non eſt in complices, oppreſſa conjuratione. 166.f.
Invidiæ in aulis effugiendæ ratio. 457. m. 458.619.
Ioci grati. 668.*ne ſint acerbi,* 669.*neve in ſeriis negotiis uſurpentur.* 670.
Ira tacita implacabilior. 86.
Irati Principes quomodo tractandi. 494.
Iſabellæ Infantis votum. 265.p.
Italia quomodo Germanorum imperio ſubtracta. 10.
Italiæ diſtractio, 10.*pax unde,* 364. f. 365. *pax Hiſpano utilis.* 617.f.618.
In Italia, immodica vectigalia venalium rerum. 186.m.

Ita-

Itali nolunt Imperatoris *vires in* Italia *reviviſcere.* 715
Italica bella olim fere incruenta. 61.62.63
Iudæi uſurarii. 687
Iudicum improbitati coercendæ remedia. 121.p.308 p.*& ſeqq.*
Iuriſconſulti officium. 326.327
Ius an Princeps *ipſe dicere debeat.* 182. f. 183.p.
Iuris principia. 427
Iusjurandum judicum. 312.f.313.314
Iuſtinianeum jus contra Lipſium defenditur. 428.429
Iuvenum luxus moroſo ſenum faſtidio excuſabilior. 476.f.477

L.

Latinæ linguæ honos. 257
L*audando evertere, ars aulica.* 334. m. 335
Legis Papiæ *Poppææ ratio.* 409
Leges à multis conſervandæ, ab uno ferendæ. 47. 48. *abrogatæ.* 426. p. *immotæ ſunto.* 432.p.
Legum ſuperfluæ citationes. 324.325. *multitu-*

titudo non eſt cauſa litium, ſed contra. 428. *ſeq. reſtauratio utilis.* 687. 688. *à Legibus in neceſſitate recedendum.* 700

Liberalitati parſimoniam præferat Princeps. 184

Liberorum multitudo firmat regnum. 17. p.

Libertas, rebellionis prætextus. 479. *ſeqq. populorum immodica, cauſa rebellionũ* 621. p.

Libertatis ſpecie adulatio. 38. f.

Libertatem opprimentium artes. 13

Libertatem in ſervitute uſurpare, imprudens eſt. 370. 371

Libido *Principum, ipſis & Reipublicæ exitioſa.* 664. 665. 666

Libri prohibiti. 613. 614.

Limitares ſubditi mitius tractandi. 653. f.

Lingua patria ubique uti, ad publicam autoritatem ſpectat. 257. 258

Lipſii adverſus Iuſtinianeum *jus objecta refelluntur.* 428. 429

Literæ bonæ, in paupertate natæ in eadem ut elemento ſuo proprio vivunt. 331. f.

Lites non exoriuntur ex multitudine legum. 428.429.
Litium diuturnitas. 318. *quomodo tollenda* 320. *& ſeqq.*
Lucretiæ illatum ſtuprum non fuit cauſa Regum Romæ exactorum. 194. m.
Luctus in publico, non decet Principem. 372. p.
Lugere à tyrannis peremptos, exitioſum. 372. f.
Luxus noſtrorum temporum. 495.
in Luxum remedia. 498. f. 499.
Lycurgi leges. 570.

M.

Machiavellica politica non eſt nova 420. p.
Machiavellus notatur. 48.
Machiavelli de fato doctrina refellitur. 397. f. 398. *& ſeqq.*
Magicæ ſortes fortuitò veræ, plerumque fallaces 197. 298.
Magos de Principe vel Rep. conſulere, capitale. 295. p. 296. 297
Magiſtratus præcipui, temporarii ſunto. 2. m.

2. m. *an continuandi.* 187. f. *non ſunt vendendi.* 308. 309. *potiores ſub* Principe *temporarii ſunto* 206. p. *& ſeqq. temporarii ſint in* Democratia. 574.

Magiſtratuum improbitati coercendæ remedia. 308. p. *& ſeqq.*

Magiſtratus perpetuos quare Tiberius *voluerit.* 585.

Magnum nimis aliquem non fieri, vicinorum intereſt. 714. *& ſeqq.*

Magni homines aut non fodicandi, aut occidendi. 359. f. 360

Mahumeticæ leges & inſtituta, imperii dilatationem, & militarem gloriam ſpectant. 558. *& ſeqq.*

Majeſtatis leges, 158. f. *falſum crimen.* 162. *& ſeqq. crimen nunquam bona fide remittitur à* Principibus. 406 407

pro Majeſtatis crimine habita leviſſima quæque apud tyrannos. 160. 161

Majori cedendum. 475.

Malavoltæ de origine diſpoſitorum equorum error. 180. p.

Mamaluchorum imperium. 555.

Matrimonium & liberorum intuitus an reprimat ambitioſos ſpiritus, & amiciores Reipub. reddat. 222.223
Matrimonia Principum infida. 75
Medicæis, magnitudinis fundamentum, opes. 211
Mediolanenſes exactiones. 618.m.
Mediolanenſium, à milite Hiſpanico, per civium domos diſtributo, calamitas. 659.660.661
Mediolanum Hiſpano Præſidi ſervit. 602.p.
Medium in paciſcendo cum hoſte, vitioſum 357.358
Memoria ſui proſpera paranda via duplex. 615.f.616
Mercatura facit imbelles. 489.f.490
Mercaturam cum nobilitate pugnare, cur Principes credi velint. 491
Mercenarii milites exitioſi. 725.726.728
Merita in Principem, non jactanda. 449
Metus amore an tutius munimentum Principis. 692.f.693
Miles an auro argentoq́ ornandus. 724.f.

Mili-

Militem in hybernis vel præſidio retentum, in cives alendum diſtribuere, dedecus Principum, & infamia ſeculi. 658. 659
Mlites à commilitonibus affecti ſupplicio, 120.
Mulierum encomion. 475
Militum hodiernorum miſeria præ veteribus Romanis, 89 *ſtipendia malignè ſoluta aut intercepta.* 290
Militibus præmia dare, ſolius Principis. 290
Milites externos eſſe vocanti pernicioſos exemplis oſtenſum. 725. 726. 727. 728
in Milites gratitudo veterum. 289
Militiæ hodiernæ corruptio. 548. 549. 559
Militari ærario præfectorum variæ fraudes, 290. 291. 292.
Militaris ſeditionis remedium, ſpargere ac dividere militem. 515. 582. *ſeq.*
Militares ſeditiones ex otio. 87. f.
Minæ ſtultorum ultio. 361
Miniſtri ſcelerum, ſupplicio affecti, placando populo. 31. m. 32

Miniſtri iis adhibendi negotiis, ad quæ natura & inſtitutione facti. 97.f. 98.99
Miniſtri dominorum ſuorum domini, 507. *& ſeqq.*
Miniſtris potentibus diffidere, Principi-*bus intutum.* 695.696
à Miniſtris prava conſilia ſæpius quam ipſis Principibus orta. 635.p.
Miſeris favemus. 391.f.392
Moderatio in Repub. neceſſaria. 702
Mœnibus nudatæ ſuſpectæ urbes. 528
Molinæi judicium. 327.p.
Mores eorum, queis converſamur, aſſumendi. 119
Morum mixtura an aulico neceſſaria. 434.435.
Mors Principum vide Principum.
Mortis locus ambiguè prædictus. 298
de Morte Principum. *fama atrox.* 587.
Mortalium cuncta incerta.
Mulieres caſtris arcendæ. 474.f.
Muphtis apud Turcas autoritas. 108.109.
Mure captus amator. 467.f.
Mutinenſes. 10.f.

N.

ex Neceſſitate promiſſa vix ſervant Prin*cipes.*352. 353. *at ſervare debent.* 354
Nembrodus, politicorum pater. 413.
Nobilibus cur interdicta mercatura; 491
Nobilitatis retinentes. 332.p.
Nobilitate virtus, an hac illa præſtantior. 472.f.
Nuptiæ P*rincipum impares.* 692.f.

O.

*Obſequio gräſſandũ principi.*702.703.*ſeqq.*
Obſides firmando P*rincipatui.* 484.485
in obſidione caſtellorum, aut oppidorum, morum facientes improbantur. 273. 274.
*Odia privata Reipub. remittenda.*55. f. *non ultra mortem inimici extendenda,*266. m. *profeſſa perdunt vindictæ locum.* 361.p.365.f.
Officia non ex gratia, ſed merito mandanda. 99.f. 100.
Omnia certa quibusdam inſunt 43.f. 44.
Omnium horarum homines. 434. *& ſeq.*

Optimatum in regno potentia, ſeditionum cauſa. 621
Oracula ambigua. 298.299.349.f.
Oratio quanam apta mulcendis rebellibus, 533.534
Oratores illuſtres. 321.f.
Oſtraciſmi iniquitas. 219
Otium cauſa ſeditionis militum. 87.f.

P.

Palatini ruina trahet alios. 217.f.
Papaverum ſumma capita deſecanda. 217
Papia Popæa lex. 409
Parſimonia liberalitati præferenda in Principe. 184
Parthenius litigioſus. 320
Paſquinus Rom. 852
Paupertas gignit & fovet bonas literas, 331 *ſubditorum non præſtat tutum Principem.* 640.647.p.
Pax per interponentes ſe proxenetas ex dignitate procurata. 20.f.21
Pacis leges æquiores, ſunt firmiores. 357.358 *artibus imperia diuturniora quam bello* 578.579.580.

Pace opus eſt novis imperiis, 364 f. *arma victa.* 711
Pecuniam ſine ſubditorum injuria comparcentes. 662
Perduellium punitorum bona heredibus relinquenda. 690
Perduellium poſteri, ejusdem criminis ſuſpecti 84. f. 85
Peregrinari Senatoribus extra Italiam cur non licuerit ſub Auguſto. 224
Peregrini judices eſſe debent 310. 311 312
Perezius collatus cum Piſone. 384. f. & *ſeqq.*
Perezio reo confidentia noxia. 382. m.
Periculum commune concordes facit. 140
non Petenda plura ſimul. 141. 142
Petrus Sarpus quis. 21
Philippi II. Hiſp. Reg. modeſtia in Luſitanos recens ſubactos. 192. f
Pipnorii laus. 347. f. 617. m.
Pipinus. 210. f.
Piſonis errores. 381. p.
Plebs, alta non ſpirat, 642. f. *annonâ contenta eſt.* 643. p.

Plebis natura. 112. f.
Plebem ſubactam primoribus tradat Princeps. 729
Pœnas per magiſtratus irroget, præmia ipſe det Princeps. 305. m. 382. f. 806. p.
Poetæ famelici ſuavius canunt. 331. f. 332. p.
Politica prudentia quibus in rebus conſiſtat. 611
Politicæ diſputationes Politicum non faciunt. 612. f.
Poloni cur exteros ſibi Reges imponant. 197
Poloni quatuor pro uno capone promiſſi. 264. f.
Poliarchia mala. 623
Polyarchici ſtatus incommoda. 97. m.
Pompejus à Cæſare victus cur deſperarit. 146
Pontificis majeſtatem lædentes non reconciliantur. 407. m.
Pontifices oderunt Imperatores. 714. f.
Populi favor infauſtus 36. m. *murmur & quæſtus in Principem inanis.* 87
Populo nuper acquiſito ſuos mores, ſua jura conſervet Princeps. 191.

Po-

Poſtarum, quas vocant, origo. 180. 181
Potentia nimia quomodo frangenda privatorum ſingulorum, 213. *& ſeqq. magnatum unius provinciæ,* 231 *& ſeqq.*
Potentia unius nimia coercenda. 714. 715. 716
Potentiæ inſtrumenta. 186.m.
Potentiorum injuriæ quomodo debilioribus arcendæ. 710.m *& ſeqq.*
cum Potentioribus competere, ſtultum. 475.f.
Pottendorffius Baro, Principem ſuum zelotypus occidit. 665.p.
Præcedentiæ jus ambiguum. 129.m.
Prædæ aviditas victoriam corrumpit. 149.m.
Præjudicio nemo damnandus 380 m.
Præmia aurea, non laurea, ſeculi genius poſcit. 256.f.
Præmia det ipſe Princeps, pœnas per magiſtratus irroget. 305.m 382.m.
Pragenſis victoria. 276.m.
Primogenituræ jus, 197. f. *jure procerum opes in unum collatæ, intutæ Regi* 249.p.

Princeps jubeat, non diſputet. 34. f. *ipſe pleraque tractet, & in miniſtrorum fidem cum diffidentia inquirat.* 778. p. *an ipſe jus dicere debeat.* 183. p. *glorioſa certa ſibi ſumat, periculoſa legatis permittat,* 269. p. *ipſe præmia tribuat, pœnas per alios irroget* 305. f. 806. p. *miniſtrum rebellem dolo capiat potius quàm bello petat,* 333. p. *autoritatem ſuam intempeſtivo rigore in caſum ne det.* 698. 699

Princeps bonus, ſed mali conſiliarii: an hi boni, iſte malus, utrum horum ſit optabilius. 730. p.

Principis ab educatione bona, ſalus Reipublicæ pendet, 78. m. *educatio quibus committenda* 101. *propriæ virtutes,* 199. f. *ſermo, inceſſus, veſtis,* 203. *receſſus & popularitas cum modo,* 204. *irati conſpectui non obverſandum.* 79. m. *cædes, exempli causâ vindicanda Principi* 380. pr. *exemplum pœnis efficacius,* 498. f. 499 f. *à juſſis miniſtro non recedendum, ſi tamen illa ſint honeſta,* 598 p

de

de principis ſalute vel Reipublicæ ſummæ, divinatores conſulere, capitale, 295. p. & ſeqq.

Principi quænam deflenda. 372.p.

Principi miniſtri tribuant à ſe geſtorum gloriam, 451.p.452.453.454.455

Principem futurum, in occulto fortuna tenet. 404.m.

Principes colunt amicitias ex utilitate, 66. in exordio regnandi poſtulationibus importunis obruuntur, 88.f.89. an mutato habitu, diſſimulata perſona debeant ſui famam exquirere, 259. p. à pactis ferè reſiliunt, 352.353.354. in ſucceſſivo regno ſunt immortales, 374.p. cenſura plebis perpetua ſubjecti, 383.p. ſe potiorem è ſuis neminem æquo animo ferunt, 444 445.454.p. quidam ſervis ſuis ſe regendos tradunt, 507.508. inde redundantia in Rempublicam mala, 509.& ſeqq. reprehenſionis ac monitionum impatientes, 620. beneficiis obſtricti videri nolunt, 634. p. nolunt videri peccaſſe, 672.p. exules, aut ſoboles regia, oſtentati, inſtrumentum turbandis regnis, 708.709

Prin-

Principes in deterius mutati, 732. 733. *Ejus rei cauſa.* 734.f.

Principes ævi noſtri, armorum gloria & imperii dilatione veteribus minime comparandi, 280. 281. *Ejus differentiæ cauſa prima, caſtellorum ac munimentorum frequentia*, 283. p. 284. *ſecunda inventio bombardarum*, 285. *tertia, diſparitas hoſtium.* 286. 287. 288

de Principum *morte atrocia finguntur.* 26.m.

Principum *mors celeriter aut præproperè nunciata*, 28. *occultanda donec neceſſariis proviſum.* 29.p.

Principum *quorumcunque cædes divinitus vindicata*, 39.f. 40. 41. *actiones fucatæ*, 65.f. *ira conſilio mollienda, à potentioribus Aulicis, non incitanda*, 86.m. *congreſſus cum cautione ſunt inſtituendi*, 252.f. 253. *congredientium dignior ad deſtinatum locum prior venire ſolet*, 255. *propinquorum iræ*,

iræ, poſt reconciliationem in miniſtrorum primariorum exitium deſinunt, 338. 339. *educatio*, 342. *ſcelera per* rationem ſtatus *fruſtra excuſantur*. 423. m. *ingratitudo in miniſtros*, 514. m. *multitudo, Chriſtianorum potentiam minuit, Turcarum auxit* 622. m. *libido exitioſa*. 664. 665. 666. *gratia qui exciderunt, eorum amicitiæ nemini fraudi eſſe debet*. 680. f. 681.

de Principum poteſtate diſputare periculoſum. 427. f.

Principibus ſuſpecti generi, & alii qui uxores ex regio ſanguine ducunt. 83. *ſuſpecti poſteri perduellium*, 84. f. *& eminentes viri*, 85. f. *& qui proximi imperio deſtinantur*, 590. f.

Principibus ferenda de ſe loquendi libertas, 121. *& ſeq. negotia pro ſolatiis accipienda*, 587. f.

cum

cum Principibus & eorum conſanguineis reverenter agendum, in quacunque fortuna. 335.f.336.
Principalis gratiæ levitas. 438. & *ſeqq.*
Principatus, antiquiſſima, eoque digniſſima Reipublicæ forma. 1. *quo dominationi propior, hoc firmior,* 621.p.
Principatûs firmandi duæ rationes egregiæ, 484. & *ſeqq.*
Privatorum eminens virtus, potentiæ, opes, Principi *formidabiles.* 206. m. 207. & *ſeqq. nimii ſpiritus, quibus remediis cohibendi.* 213. & *ſeqq.*
Privilegia ſubditorum abrogandi modus. 302.m 303.489.m.
Privilegia, lapis ſcandali, ſeminarium Zizaniorum. 621.p.
Procerum in Regem ſuum potentia quomodo contundenda. 231. p. & *ſeqq. in aula gratioſorum duo genera.* 433 p.

Pro-

Proditionis merces ab hoſte propoſita, ne noſtris innoteſcat curandum: & ſi innotuerit, ut eludenda. 93
Proditores inviſi. 143
Protectionis ſpecie imperium. 23
Proximorum odio acerrima. 139
Prudentiæ *humanæ incertitudo*, 392. f. & *ſeqq.* 861. 862
Pſeudo Alexander, & alii ſuppoſititii, 673. p. & *ſeqq.*
Pudor placabiliores facit. 392
Pugna ferè incruenta. 61. f. 62. 63
Pugna ſtataria belli aleam experiri, mos veterum. 270. p.

Q.

Quæſtionarii ICti. 325. p. 326

R.

Ragion *di ſtato, nefaria* Politica. 423

Rebel-

Rebellionis crimen à Principibus bona fide non remittitur. 406 407.408

ad Rebellionum initia connivere, ars Principum. 489

Rebellium animos cauſa & Imperatorum majeſtas frangit. 101. f. *Cætera vide in Seditio.*

Receſſus ad majeſtatem facit. 203.f.

Regia ſoboles. aut injuriâ regno pulſi, inſtrumentum alliciendis populorum animis, ac turbandis regnis. 708. m. 709

Regnum antiquiſſima Reip. forma. 1. *vi partum, violentè conſervandum.*49.& *ſeqq.*

Regni ſymbola. 425.f.426.

Regna ſub Principe cognomine fundatori, everſa 44. *ſocium non ferunt.* 546. p *mediocria, commendabiliora.* 599.f. 600

Regnorum origo à vi. 412.p 413

Reis contumacia & confidentia noxia eſt. 380.& *ſeq.*

Religio prætextus bellorum. 108
Religionis (Chriſtianæ præcipuè) vis in animis hominum. 104. & ſeqq.
Religione Principes ambitionem ſuam velant. 76.f. 108. 109
Religione, regnandi inſtrumento uſi. 259
Religionum diverſarum libertas firmando regno. 347 f. 348
Religionum libertas. 368.m.
Reputatio. 425.m.
Reputationis inepti jactatores. 698. m.
Reipublicæ nomen tributum Regno. 373. f. *forma quænam optima.* 609. f.
Rerumpub. converſiones ab ambitione vix præcaventur. 213
in Rerumpublicarum converſione, quædam umbra ſtatus priſtini relinquenda. 22. p. 23. 24
Reſpublicas mori, naturale. 605. f.
R*oma caput rerum*, 124. f. *non temerè à Principe deſerenda*, 126. m. *à lepore capta.* 151. f.

Romæ privatorum quorundam opes regiæ, 208.f.209
Romam à Gallis capi, fatale. 402. m. 403
Romanæ potentia quibus modis ad faſtigium provecta. 549 p.& ſeqq.
Romanæ Reipublicæ vitia & exitium 568. & ſeqq.
Romanæ potentiæ incrementa & decrementa. 607.608
Romani auſpicia ſunt interpretati ex uſu negotiorum. 259
Romanorum injuſtitia. 415. m. & ſeqq.
à Romulo latæ leges. 427.p.
ex Rumore non ſtatuendum. 500.f.

S.

Sacris præfectorum negligentia. 501
Scelerum miniſtri nec ipſis Principibus jubentibus grati. 31
Scenæ vitiorum ſchola. 589.p.

Sci-

Scirifii. 112 p.
Scorta militaria. 474.f.
Scripto præſentem etiam Principem adire, mos probus; in privatis tamen non ferendus. 616.m.
Sebaſtiani Luſitan. R. temeritas. 100. p.
Secreta Principum periculosè miniſtri retegunt. 26. *Imperii tegere oportet.* 33. m. *inquirere, capitale.* 79.p.
Securitas vitioſa. 133.p.
Seditio militum ex otio. 112.f.
Seditionis magnæ & implacabilis indicium, leges ordineſque ſeditioſorum. 113.
Seditionis militaris contagio ut præcavenda, 120. f. *excitandæ modus.* 481. 482.*prætextus.* 673.p.
Seditionem non facilè movet è diverſis gentibus mixtus exercitus. 130.m.
Seditiones violentis remediis exaſperantur interdum 111.f. 112. *peregrino milite cur opprimendæ.* 131.m.

Seditionum comprimendarũ artes. 31.32 111.m.117.118.367.m.489.p.504. *auctores inſigni aliquo ſcelere ſibi conjuratos obſtringunt* 263.f.*flabella.*478 m.479.

de Seditionibus,& earum remediis, 516. *& ſeqq.*

Senectus timida & ſuſpicax. 736.f.

Senenſi Republica quomodo potitus ſit Coſmus. 591.p.592.593.

Senenſes bellica conſilia XVIII. viris committunt. 97. m. *Stulti joco dicti.* 671.m.

Senenſium factiones, 10.f.*gratitudo in milites.* 289

Senes, iuvencularum amoribus obnoxii. 19.f.*ſæviores ſunt.* 506.f.

Senum vitia. 477.m.

in Senibus plerumque fortuna deficit. 506

Senioribus cum juvenibus malè convenit. 473.f.

Sententiæ in ſenatu dicendæ ordo 182. p.

Severitas nimia nocet, 496. f. *juſta expers*

pers odii, 694. m *intempeſtiva, fugienda Principi.* 701. fin. 702. 703
Silentium arcanorum principalium, neceſſaria miniſtro virtus, 26. f. *anima conſiliorum.* 266 267. 268
Similitudo cultus & inſtitutorum, gratiam conciliat. 305. m.
Simulacra veteris Reipub. 22. 23. 24. 35. m.
Simulatores fidem non inveniunt, etiam cum ſincerè agunt. 586 m.
Somnum & inertiam oſtentando, periculum ab æmulo Principe *declinatur.* 436. m.
Spartani injuſti. 414. f.
Spe ſua quiſque facilimè capitur. 635. m.
Spectacula ludorum, inſtrumentum regnandi. 134. m 135.
Stratagemata communia, eoque contempta, facilius fallunt, 156. p. *an & quatenus licita.* 629. m. 630
Structura, Principis cura digna. 503

Stru-

Struthiocameli aulici. 690.f.
Studia literarum imbelles faciunt. 138. pr.
Subditi in pace armis exerciti, bello inutiles 463
Subditorum in inopia non conſiſtit Prin*cipum ſecuritas.* 640. 641. 642. 647. p.
Subditorum diſcordia an principi fovenda, 347.f.348.
Subditis an armorum tractatio permittenda. 565.566.
Subita terrent. 147.148.m.
Succeſſor certus firmat imperium. 17.p.18. *deterior deſiderabilem facit principem,* 77. m. *bonus potius exoptandus bono* Principi. 78.p.
Summa maximè nutant. 157.m.
Superſtitio ad multitudinem regendam efficaciſſima. 103.p.
Superſtitionis vis. 260
Supplicium de gratioſis populo, clàm ſumendum. 333.m.

Supplicia de viris inſignibus in ſecreto ſumantur. 218.p.
Suppliciorum executio tarda ſit. 495.p.
Syndicatus plebis. 383.p.
Syndicatores Genuenſes. 317.p.

T.

Taciti laus, 422. p. *hiſtoria ſcelerum aulicorum ſcena.* 422.423
Taciturnitas in conſiliis bellicis, & aliis, neceſſaria. 267.268.
Tarquinii conſilium decapitandi ſumma papaverum, quando valeat. 54.m.
Temerarium eſſe licet in hoſtem ignavum aut imperitum. 637.m.
Temeritas felix. 393
Temir lancus Alexandro Magno comparatus. 606.f.
Templis in bello parcendum. 132.m.
Templis mulieres Turcæ cur arceant. 562.f.
Tempori cedat Princeps. 698. & ſeqq.

Terror Panicus à leviſſima cauſa. 150. 151.
Teſtamentum Auguſti cur recitatum, non item Claudii. 37
Theologi & ICti ſæpe in ſpeciem conſuluntur à Principibus. 76.f.77.p.
de Theſauro politico tripertito judicium. 81.m.
Tiberius ſenatui adverſatur. 330 p.
Tituli, ſi novis hominibus collati vulgentur, evileſcunt. 251.m.
Titulorum inania contemnat Princeps, dũmodo rem teneat. 22.23. *typhus.* 368. f. *vanitas hodierna.* 614.f.
Tribunalia à corruptelis ut vindicanda, 308 *& ſeqq.*
Tributorum diminutio. 350.f.
de Tributorum acerba exactione diſſertatio. 639. *& ſeqq.*
Tributorum neceſſariorum invidia qua ratione mollienda. 653. *& ſeqq. & vectigalium abuſus.* 679
Trophæa dolore & ira hoſtem accendunt.

dunt. 265. f. *ideoque ex materia non durabili conſtruenda.* 266. p.
Turca çur nunquam diuturnum cum Chriſtianis bellum gerat. 59 f.
Turcis Auguſtus menſis felix. 43. p.
Turcica potentia, multitudine, æmulatione & diſcordiis Chriſtianorum principum aucta. 622. f. 623. & *ſeqq.*
Turcicæ potentia fundamentum. 556. f. & *ſeqq. corruptio hodierna, & ad interitum inclinatio.* 580. m & *ſeqq.*
Turcicum regnum quæſitu difficile, retentu facile. 195. m.
Turcici judices. 309 f. 310.
Tyrannis corrigitur ariſtocratia. 2 p.
Tyrannidis arcanum, voluptatibus ſubditos enervare. 135. p. 136.
Tyranni non omnes violenta morte pereunt. 51. m.
Tyrannorum tortor, conſcientia; 680. m.
Tyrannos an occidere fas ſit. 39. m. 40. 41

ſub Tyrannis *inertiam ſimulare, ſapientia eſt.436.* f. *virtus inviſa & exitioſa eſt.* 443. 444. *propinquorum necem flere non licet.* 683.f.

V.

Vana à ſceleſtis differunt. 159.p.

Vectigalia venalium rerum. 186.m. *vide Tributa.*

Veneficia in aulis, dominationis arcanum & inſtrumentum regni. 374. f. *& ſeqq.*

Veneta cum Pontifice *controverſia.* 618.p.

Veneta Reipubl. diuturnitas unde. 688.f. 689.p.

Venetiæ cur ſeditionũm expertes. 524. pr.

Veneti Senatus ſimillimum oblivioni ſilentium. 268.

Veneti arcana Reipubl. ſua tegunt. 34. med.

Veneti à fœderatis deſerti 70. *fœdera quadam exuunt, ſervandæ Reipub. cauſa.* 72. 73.

Veneti ducem belli certis finibus circumſcribunt. 96. m.

Veneti in magiſtratus Provinciarum ſuarum inquirunt, 178. f *erga milites grati,* 290. p.

Veneti maritimam militiam ſuis patritiis, terreſtrem exteris ducibus quare committant. 572 p. *cur trophœa, & ſimilia monumenta virtutis in ſuis non ferant.* 574. m.

Venetum Imperium quare tam diuturnum. 577. f. *cur non æquè latè ac Romanum extendi potuerit.* 579.

Veſtitus & mores eorum, queis converſamur, ſumendi. 119. m.

Vetera non omnia meliora. 500 p.

Victoriam corrumpit prædæ aviditas. 149. med. *& ſæpè leviſſimum quoddam accidens.* 150. 151.

Victoriam certam ſibi pollicentium vana confidentia. 264. m.

Vienna per hac bella civilia purgamentis ſuis liberata. 525.m.
Viennam cur non petat Turca. 61. *amittere ſatius Germanis quàm recuperare Budam.* 716.m.
Violentum non omne tyrannorum. 48 f.
Virtus oppreſſa præfulget. 504.f.
Vitæ ſpes magnos animos infringit. 383. f. 384.p.
de Vita hominis cunctanter ferenda ſententia. 495.p.
Vitia prævalida non punienda. 496. f.
Unius imperium neceſſarium ad inſtitutionem aut reformationem Rerumpub. 47.f.
in Vno ſæpè viro plurimum eſt momenti. 343.p.344.345.
Voluptatibus, ſubditorum ferocia frangitur. 135.p.136
Vrbs princeps à Principe non temerè deſerenda. 126.m.
Vrbes captæ, mox receptæ. 156,m.
Vrbes populoſas, in officio continendi ratio. 490.p.

Vſu-

Vſurarii. 686.p.

*Vulgi minæ inanes.*87.m. *ſermonibus moveri prudentis non eſt*, 121. m. 122. 123. *judicia ſpernenda Principi.* 159. pr.

Vxor ne quem magiſtratum provincialem comitetur. 317.f.

Vxores ex regio ſanguine qui ducunt principibus ſuſpecti. 83.p.

Vxorum adulteria, regni cauſa tolerata. 133.m. 134

Z.

Zelotypiam injicere, politicum artificium, 591.p.592.593.

FINIS.

f 500